








BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XII
F
20
NAPOLI



R. P. F.

PETRI
MARCHANT
ORDINIS S. FRANCISCI.

TRIBVNAL
SACRAMENTALE.



TRIBVNAL
SACRAMENTALE & VISIBILE
ANIMARVM
IN HAC VITA MORTALI,
TOMIS TRIBVS EXPLICATVM.

Quorum
1. *Pœnitentiæ sacrum judicium ejusq; ordinem judicialem à fundamentis explicat.*
2. *Codicem legum, earumque obligationes ac transgreßiones exponit.*
3. *Speculum totius vitæ humanæ, juxta omnes omnium hominum ſtatus, oculis mortalium ſubijcit.*

Auctore R. P. F. PETRO MARCHANT COVVINIENSI.

Totius Ordinis S. Francisci aliquando Diffinitore Generali; & per Germaniam & Belgium Commissario Generali; S. Theologiæ Lectore emerito.


EDITIO TERTIA,

Ab Auctore reviſa, & aucta: cum novis & copioſis indicibus,

ACCEDVNT AD CALCEM RESOLVTIONES

Variorum Caſuum, & Quæſtionum practicarum, à multis hactenus deſideratæ.





COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud IOANNEM WILHELMVM FRIESSEM juniorem.

ANNO M. DC. LXXII.



PRIVILEGIUM CÆSAREUM

Super impreſſione librorum Authorum Ordinis S. FRANCISCI *Strictioris Obſervantiæ.*

PRIVILEGIO CÆSAREÆ MAIESTATIS cautum eſt: Ne quis per univerſum Imperium libros à Patribus Ordinis S. FRANCISCI Strictioris Obſervantiæ editos aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recuſos, intra Sacri Imperii, Regnorumque ac dominiorum hereditariorum DOMUS AUSTRIACÆ adducat, vendat, vel diſtrahat abſque conſenſu & facultate eorumdem Patrum ſub pœna Confiſcationis Librorum, & mulcta viginti marcharum auri puri. Ita ſancitum & decretum in Civitate Ratiſponenſi pridiè nonas Decembris Anno 1630 *ſignatum.*

FERDINANDVS

Infra: *Ad mandatum S. Cæſ. Ma*[tis]*. proprium*

JOANNES WALDERODE.

A latere: P.H.A. STRALENDORFF.

SUMMA PRIVILEGII

Regiæ Catholicæ Majeſtatis.

PHILIPPI IV. Hiſpaniarum Regis Privilegio conceſſum eſt R.A.P.F. PETRO MARCHANT *Ordinis* S. FRANCISCI *per Belgium & Germaniam* &c. *aliquando Commiſſario Generali*, ut per quemcumque Typographum, juratum in Belgio & Ditionibus ſuis poſſit curare imprimi pro 2. Editione Librum, cui Titulus *Tribunal Sacramentale & Viſibile animarum in hac vita mortali* à ſe compoſitum, tribus Tomis diſtinctum *cum Reſolutionibus variorum Caſuum & Quæſtionum practicarum* &c. Cum prohibitione ne quis abſque facultate ſpeciali dicti R. Patris, & licentia, in dictis Ditionibus conjunctim & diviſim illos libros

imprimat,

imprimat, aut alibi impressos in præfatas Ditiones importet, retineat, divendat, sive divendi faciat, sub pœna confiscationis, & amissionis dictorum librorum, & mulcta triginta florenorum pro quolibet exemplari, &c. Vt latiùs patet ex originali Privilegio dato Bruxellis 2. Martii Anno 1655. Regnorum 35. Paraph. ASSEL. UT. & signatum: *Par le Roy en son Conseil.* HAPPART, cum impressione Majoris Sigilli in cera rubra.

FACVLTAS AVTHORIS.

EGo infrascriptus Ordinis S. FRANCISCI utriusque Provinciæ Flandriæ Fratrum Minorum Recollectorum Pater perpetuus, harum virtute facultatem facio Petro Bellero in Civitate Antuerpiensi Typographo jurato denuò imprimendi Opus nostrum, quod, *Tribunal Sacramentale visibile animarum in hac vita mortali*, intitulatum est. Tribus Tomis distinctum juxta Privilegium Regiæ Catholicæ Maiestatis mihi factum, & juxta illius tenorem, additis *Resolutionibus Casuum*, &c. pro hac Editione Secunda. Actum Gandavi hac 12. Martii 1655. sub nostra signatura & privato sigillo.

F. PETRVS MARCHANT
Ordinis S. FRANCISCI *per Belgium & Germaniam &c. aliquando Commissarius Generalis.*

PETRVS BELLERVS *cessit utrumque suum Privilegium* IOANNI WILHELMO FRIESSEM *Bibliopolæ Coloniensi, uti latius patet in litteris desuper subsignatis Anno* 1672. *Ianuarij* 10.

FACVL-

FACULTAS ET APPROBATIO

Ex Commissione Em. ac R. S. R. E. Cardinalis D. Francisci Barberini, Ordinis S. FRANCISCI Protectoris.

FRanciscus VAN DER BURCH Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archi-Episcopus & Dux Cameracensis, Princeps S. R. Imperii, Comes Cameracesii, &c. R. Admodum Patri F. PETRO MARCHANT totius Ordinis S. FRANCISCI Regularis ac Strictioris Observantiæ Diffinitori, ac per Provincias Germaniæ, Belgii, & Britannicas Commissario Generali, Salutem.

Cum Em^mus. & R^mus. Dominus Franciscus Barberinus S.R.E. Cardinalis ac Ordinis S. FRANCISCI Protector, nobis per litteras datas septima Maii currentis Anni, commiserit, ut Opus quoddam inscriptum Tribunal Sacramentale & visibile animarum in hac vita mortali, &c. quod R^da. P^tas. T. publicæ utilitati in lucem edere parat, priùs debitè examinatum, suo nomine & auctoritate approbaremus & facultatem illud imprimendi concederemus: Hinc est, quòd exhibitis nobis Approbationibus Censorum, & visis operis justis commendationibus, harum virtute, nomine & auctoritate dicti Em^mi. ac R^mi. Domini Cardinalis Protectoris Ordinis tui, R^dæ. T. Pat^ti. facultatem faciamus dictum opus evulgandi, sperantes indè majorem Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, & animarum salutem. Datum Lessiniæ 11. Augusti M. DC. XLII.

De mandato
Ill^mi, ac R^mi. Domini præfati.
G. de Bullen Secret.

APPROBATIO

R^mi. Patris Generalis totius Ordinis

S. FRANCISCI.

OPus Theologicum duobus Tomis distinctum, quorum Titulus est TRIBUNAL SACRAMENTALE ET VISIBILE ANIMARUM IN HAC VITA MORTALI, à Patre F. PETRO MARCHANT nostro Generali Commissario in Provinciis Germaniæ & Belgii Theologo, concionatore ac lectore jubilato compositum, & à Theologis Ordinis aliisque Censoribus approbatum, ac commendatum prælo mandari posse concedimus. Datis Madriti die 10. Martii M. DC. XLIII.

Signatum erat
F. JOANNES MERINERO,
Minister Generalis.

Locus Sigilli

APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

Librum hunc intitulatum, *Tribunal Sacramentale & visibile animarum in hac vitâ mortali*, &c. *Auctore* R.mo P. F. PETRO MARCHANT, *totius Ordinis* S. FRANCISCI *Regularis ac Strictioris Observantiæ Diffinitore, & super Provincias Germanicas, Belgicas, & Britannicas Commissario Generali, S. Theologiæ Lectore Emerito*, cum gaudio vidi, & legi. Opus enim est (tempore hoc infelici, quo omnia fermè (præter Articulos Fidei) in rebus salutis fluctuant & convertuntur) inter tot libros, in tanta opinionum & doctrinarum varietate à classicis magistris de hac vel simili materia conscriptos, lauro & auro dignum. Etenim hîc universa materia quæ ad Tribunal Sacramentale pœnitentiæ spectat, novâ methodo, brevi compendio, claroque stylo à suis fundamentis declarata, comprehenditur. Hîc omnia peccata omnesque casus ad fundamenta legis divinæ, adeoque primæ veritatis, solidè sine fluctuatione reducuntur. Hîc tandem *Ecclesiasticus Iudex* sic formatur, *Reus* instruitur, *Actor* dirigitur, ut si hanc judicii formam in hac vita mortali benè observaverint, in Tribunali illo animarum & corporum post hanc vitam mortalem maximè visibili, à summo judice CHRISTO instituendo, coronam pro justitia, gloriam pro delicto remisso, præmium pro labore, cum laude consequentur. Quare ut opus orbis Christiani confessariis & pœnitentibus utilissimum & necessarium, prælo vel maximè dignum censeo. Gandavi hac 19. Februarii. M. DC. XLII.

NICOLAUS BREYDEL *S. Theol. Licent.*
Ecclesiæ Cathedr. S. BAVONIS *Canonicus & Cantor, Librorumque Censor.*

APPROBATIO CENSORIS ORDINIS

de beneplacito Emmi. ac Rmi. Cardinalis Protectoris ejusdem.

EX beneplacito Eminentissimi ac Rmi. Cardinalis D. Francisci Barberini Protectoris Ordinis nostri Seraphici, &c. perlecto ac perpenso hoc opere seu Tribunali animæ, Rmi. *Patris nostri* F. PETRI MARCHANT *Commissarij Generalis Ordinis nostri per Belgium, Germaniam, & Provincias annexas:* inveni illud non tantùm sanæ per omnia doctrinæ moralis, sed etiam salubertimæ ad curandas à peccatis, erroribus & scrupulis, conscientias, ideoque dignissimum editione. Datum in Conventu nostro Namurcensi FF. Minorum Recollectorum hâc 3. Augusti. M. DC. XLII.

F. MATTHIAS HAUZEUR,
S. Theologiæ Professor emeritus, & Provinciæ Flandriæ FF. Minorum Recollectorum P. Provincialis.

APPROBATIO CENSORIS ORDINIS

de Auctoritate Superiorum Ordinariorum.

EGo infra-scriptus, juxta Constitutiones Ordinis, de mandato Superiorum legi *Tribunal Sacramentale animarum* &c. editum à Rmo. P. F. PETRO MARCHANT, *totius Ordinis Fratrum Minorum Regularis ac Strictioris Observantiæ Diffinitore, & super provincias Germaniæ Superioris, Belgij ac annexas ejusdem Ordinis Commissario Generali S. Theologiæ Lectore Emerito*, & nihil in eo reperi quod Fidei Catholicæ, sanæ doctrinæ, & moribus adversetur: imo judico dignissimum ut omnium, præsertim confessariorum, manibus teratur: tum propter soliditatem & realitatem doctrinæ, & in explicandis materiarum etiam intricatarum gravioribus difficultatibus facilitatem: tum propter salubertima, quæ continet, consilia, longo etiam usu & experientia auctoris firmata, ad cujusuis conditionis conscientiarum directionem non solum utilia, sed etiam necessaria. Ita sentio

F. LAURENTIUS DINGEON, *Sacræ Theologiæ Lector Iubilatus, & Provinciæ* S. JOSEPH *Comitatus Flandriæ FF. Minorum Recollectorum Custos Custodum.*

INDEX

INDEX

TRACTATVVM, TITVLORVM, QVÆSTIONVM, &c.

Tomi primi & secundi tribunalis sacramentalis.

TRACTATVS PRIMVS

De Natura, Institutione, & Partibus Tribunalis Sacramentalis.

TITULUS UNICUS.

De Tribunalis Sacramentalis institutione & Effectibus.



TRACTATUS II.

De Iudice sive Confessario, ejusque potestate, Qualitatibus, Officio, Obligationibus, &c.

TITULUS I.

De Iudicis potestate ordinaria.

TITULUS II.

De potestate sive jurisdictione delegata, & judice delegato sive Commissario.

TITULUS III.

De potestate sive jurisdictione certa, probabili, & dubia.

TITULUS IV.

De jurisdictione universali & restricta.

TITVLVS V.

De qualitatibus sive de bonitate & scientia judicum sive Confessariorum.

Con-

TRACTATVS V.

De Actore contra Reum & Advocato pro Reo sive de Conscientia.

TRACTATVS VI.
De Sententia & Absolutione.

TOMVS SECVNDVS
sacrum Codicem complectens.

TRACTATVS PRIMVS.
De Legibus, Legislatoribus & Legum obligatione,

Appen

TRACTATVS II.

De Decalogo, & ejus primo Præcepto.

SECTIO IV.

De Lectione & retentione librorum hæreticorum.

SECTIO V.

De Dubio in Fide.

SECTIO VI.

De peccatis quæ committuntur contra Confessionem externam fidei.

TITVLVS III.

De Spe Theologica, & præceptis ad spem pertinentibus.

TITVLVS IV.

De charitatis præceptis & obligationibus.

SECTIO I.

De peccatis contra Dei dilectionem.

SECTIO II.

De dilectione proximi.

TRACTATUS SECUNDI PARS II.

De vero Dei cultu & virtute Religionis.

TITVLVS I.

De virtute Religionis.

Quæst

Dub.

TITVLVS V.

De Sacramentorum & Sacramentalium Ritibus, & aliis observationibus sacris.

TRACTATUS SECUNDI PARS III.

TITVLVS VNICVS.

De Irreligiositate & ejus speciebus.

TRACTATVS III.

De 2. Præcepto Decalogi: *Non assumes Nomen Domini, &c.*

TITVLVS I.

De 2. Præcepti Decalogi substantia & obligatione.

TITVLVS II.

De juramento assertorio & execratorio.

TITVLVS III.

De juramento promissorio.

TITVLVS IV.

De Votis & peccatis in transgressione Votorum contingentibus.

Cor-

SEC.

PROLO-

PROLOGUS
AD
LECTOREM.
DE
Operis hujus Fine, Occasione, Methodo, Vtilitate.

Isaia 30. vers. 1. Eccles 12 vers 12. Ibid.

MIRABERIS (*Lector*) me rem à tam multis, tam magnis & doctissimis viris hactenus actam, iterum agere velle; quasi eorum geniis, ingeniis, doctrinis aliquid additurus Fateor: Audio & *verbum quasi post tergum monentis* Ecclesi 12 *Hu amplius fili mi ne requiras faciendi plures libros nullus est finis: frequensque meditatio carnis afflictio est. finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & Mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo.* Et subdit: *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit.* Monitio verè salutaris: Sed uti gravissimè monet libros plures non faciendos, & carnem meditatione frequenti non cruciandam; sic monet finem loquendi audiendum, sic urget Dei timorem & observationem Mandatorum, sic ad judicium Dei futurum omnia facta nostra evocat.

Finis primarius Auctoris.

Hic quidem est finis hujus Exercitationis meæ, non libros scribere plures, sed finem loquendi audire, Deum timere ac Mandata ejus observare, & ad judicium futurum me meosque quos mihi dedit Deus præparare.

Occasio Operis. 1. Timot. 3. v. 15.

Occasionem dedit huic Operi, in rebus salutis tanta Christianorum Scriptorum varietas, ut exceptis fidei nostræ articulis, quos Ecclesia Catholica, Apostolica, Romana (quæ sola est *Ecclesia Dei vivi Columna & firmamentum veritatis*) illibatos Cathedræ Apostolicæ veritate & firmitate semper servavit, servatque, nulla fere in Præceptis & Mandatis Dei [illegible] naturalibus, sive positivis, nulla in Præceptis Ecclesiæ aut etiam potestatis civilis sit portio quæ non fluctu alicujus opinionis, vel in se vel in marginibus ac limitibus suis concutiatur in animarum præjudicium; conscientiis timoratis hinc fluctuantibus: Cauteriatis ad omnem libertatem viam sibi sternentibus. Indului plures toto ferè quadraginta annorum decursu quo cœpi vel studio in Sancta intrare, vel in Scholis ac Cathedris docere & prædicare, vel judicio ac curæ animarum regularium & sæcularium in omni genere insistere, videns cum Jeremia cap. 23 *In Prophetis Jerusalem similitudinem adulterantium & iter mendacii, & confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque à malitia sua.* Audiens pariter cum Isaia (quamvis *semita justi recta sit, rectus callis justi ad ambulandum*, directa via ita ut *stulti non errent per eam*) *Angelos pacis amare flentes: Quia dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam, irritum factum est pactum.* Lutum utique tot diversis opinionibus [illegible] Zacharia teste) *at neque introeunti neque exeunti pax esset præ tribulatione* Quinimo, & ipsa Sponsa timore perterrita postulat sibi ostendi ubi Sponsus *cubet ubi pascat in meridie, ne vagari incipiat post greges Sodalium* Sponsi, qui (juxta Divum Bernardum serm. 32, in Cantica) *volunt se videri amicos Sponsi & non sunt. & cum sint non illius greges pascere curæ sit eis:* Idem serm 33 *Qui dicunt se Sodales tuos & non sunt, habentes greges suos & fines suos pabulo mortis referti, quos pascunt, nec tamen, vel per te* Quid igitur facto opus in tanta opinionum & doctrinarum varietate ac labyrintho? Quis modus *Dispersiones congregandi Israelis*?

Jerem 23. vers. 14. Isaia 26. vers. 7. Ibid. 35. vers 8. Ibid. 33. vers. 7. 8. Zach. 10 vers. 5. Ibid. 8. vers. 10. Cant. 1. vers. 6. D Bern. Serm. 32. in Cant. Idem sermone 33. Psal. 146. vers 2.

Occurrit mihi unica veritas, *Lex utique divina* quæ nihil aliud est, quam *Lumen vultus Dei signatum super nos*, quatenus his principiis, sacra Scriptura, Traditione & Ecclesiæ antiquo sensu, sacrorum Conciliorum Decretis, sanctorum Doctorum Ecclesiæ scriptis declaratur. Hoc Filo, Labyrinthi hujus inextricabiles semitas evolvendas; hoc lumine, tenebrosa quæque in [illegible]; hac via, deducendam Sponsam se ignorantem speravi, ut de turba opinantium egressa, abeat *post vestigia gregum* Sanctorum virorum, qui vitæ, pietatis & sapientiæ exemplo præiverunt & pascunt gregem suum circa *Tabernacula Pastorum*, Apostolorum utique, & Prophetarum, sanctorumque Doctorum.

Operis utilitas. Psalm. 4. vers 7. Cant. 1. v. 6.

Porro Methodum elegi novam quidem, naturæ tamen rei quæ tractatur, maximè idoneam. Cùm enim & ex Concilio Tridentino sess 14. & ex sensu nostri Doctoris subtilis Scoti in 4 dist. 14. q. 5, adverterem; doctrinam totam de Pœnitentia & peccatorum per Absolutionem sacramentalem remissione subalternari doctrinæ de judiciis & sententiis, rem multum utilem me facturum credidi, si in toto opere principiis subalternantis scientiæ inhærer Idcirco *Tomo* quidem *primo* TRIBUNAL suis partibus & essentia instruxi *Judices* eorumque qualitates & munia distinxi, *Reorum* citationes, Examen, responsiones suis limitibus, modis, terminisque disposui. Et ne quid deesset, *Actorem* tum contra *Reum*, tum pro *Rei* defensione, *conscientiam* accusatricem, excusatricem, exceptricem in medium prodire jussi, ejusque errores, dubia, opiniones, scrupulos, statuitates à fundamentis eventilavi; ut rectitudine sua instructa, coram *judice* compareret ad instruendam causam & rectum judicium pronunciandum. Insuper sententiarum modum & æquitatem declaravi, ut nemo erret, angatur nemo: *Tomum* verò *secundum* velut codicem omnes casus ex suis principiis fundamentalibus legum tam divinarum, quàm humanarum expressis, continentem, omnium oculis subjicio; ut Sacerdotes methodicè his voluminibus instructi, justum judicium de quolibet peccato & peccatore ferre possint, animas demùm è peccatorum cœno eruere & afflictas ac tentatas juvare & consolari possint.

Method. Scot. in 4. D. 14. q. 5. vers 4. Observationes pro Lectoribus.

De tribus verò te (*Lector candide*) monitum volo.

Primò, me in toto opere isto à citatione Auctorum, quantum potui, à proposito abstinuisse: non quia sententias meas singulares agnosco, sed ut turbam opinantium declinem, ne videar demum *vagari post greges Sodalium Sponsi*, de quibus suprà, & ne putet unum diligere & alterum contemnere, ac cum contentiosis illis Corinthiis seminare Schismata variorum affectuum, quibus ratione contemptà, unus dicit: *Ego sum Cephæ*, alter *Apollo*, alter *Pauli*. Amici certè mihi Scriptores omnes; sed super omnes amica veritas, quam nolo expendi auctoritate dicentium, sed sola conformitate ad primam veritatem, quæ mensura unica est omnis veritatis, estque nobis in lege divina, Scriptura, Traditione Ecclesiæ, sacris Conciliis, ac sanctis Patribus sufficienter proposita. Quod aliunde venit, inane puto & inutile ad rem nostram.

Cant. 5. vers. 6. 1. Cor. 1. vers. 12 1. Tim 6. Ad Tit. 3.

Secundò, Me pariter declinasse omnem disputationem, & altercationem cum aliquo: nè judicer denuò *languere circa quæstiones & pugnas verborum ex quibus oriuntur invidia, contentiones, conflictationes*, edoctus ab Apostolo, *contentiones & pugnas Legis devitare*, quia *inutiles & vanæ sunt*, & fumis ac pulveribus veritatem obscurant, dum quilibet non tam veritatem in se, quàm ut in proprio mentis conceptu reluceret, propugnare videtur.

Salvianus Præfatione libri de Gub. Dei.

Tertiò, Ab Eloquentiæ humanæ phalerato stylo calamum lubens subduxi; præterquam enim quod hæc Doctrina, eloquentiæ humanæ splendorem refugiat. Malui (ut cum Salviano loquar) *esse rerum quàm verborum amator, utilitatem, quam plausibilia sectari, non quærens ut in hoc opere sæculorum ornamenta, sed ut sal virtutum emolumenta laudentur, nolens scripta mea lenocinia esse, ad remedia quæ sicut non tam otiosorum auribus placeant quàm ægrotorum mentibus prosint.*

Utere igitur & fruere (*Lector*) candido & sincero hoc labore meo, ex quo, ut confido, Sacerdos bonitatem, & disciplinam & scientiam, justus sanctum Dei timorem, peccator salutem, timoratus fortitudinem, scrupulosus & afflictus consolationem hauriet.

TRACTATUS PRIMUS

DE NATVRA, INSTITVTIONE, ET PARTIBVS TRIBVNALIS SACRAMENTALIS.

TITULUS UNICUS

DE TRIBVNALIS SACRAMENTALIS Institutione, & effectibus.

QUÆSTIO I.

An detur in Ecclesia visibili tribunal Sacramentale, in quo judicentur animæ in hac vita mortali?

Varia significationes Tribunalis. 3.Reg.7. Vers.7 2. Paralip. 34.vers.31. 2.Mach.13 Vers.26. Matth.27. Vers.19. Rom.14. Vers.10. Act.25. Vers.6.



PRænotandum 1. ex variis significationibus quibus in Scripturis nomen *Tribunal* nonnunquam *Iudicij locum* (ut 3.Reg.7.2.Paralip.34.2.Mach.13.) nonnunquam *ipsum Iudicium* (ut Matth.27. ad Rom.14.) nonnunquam *potestatem ipsam judicandi* significat (ut Act.25.) nos hic nomen *Tribunalis* sumere pro *potestate legitima, & vera judicandi animas in causis criminum & peccatorum, sive ad absolutionem, sive ad pœnam; quæ quidem potestas in verbis sententia, honore signi Sacramentalis illustrata est.*

Varia Dei Iudicia.

Prænotandum 2. Nullam hic moveri quæstionem de Tribunali invisibili, sivè Judiciariâ Potestate, quam Deus in animas invisibiliter exercet. Quemadmodum enim profitemur post hanc vitam dari tum Particulare judicium animarū in primo non esse hominis, tum Universale in fine mundi (de quibus ad Rom. 14. *omnes stabimus ante Tribunal Christi*. Et 2. ad Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sivè bonum sive malum*) sic fatemur Deum, qui iustus iudex est, quamvis sit longanimis & patiens, nec irascatur per singulos dies, diversa tamen in hac vita circa animas exercere iudicia in salutem, & condemnationem; *Percutiens & sanans; hunc humilians & hunc exaltans, deducens ad inferos & reducens*: interdum etiam iusto iudicio faciens, ut aliqui descendant ad inferna viventes. Unde unus precabatur: *De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates.* Alter piè lamentabatur: *Indica mihi cur me ita iudices?* Imò quandoque æquitatem suam externis etiam signis demonstrare volens Dominus, Ezech. 38. *Iudicabo (ait) eum peste, & sanguine, & imbre vehementi*, &c.

Rom.14. Vers.10. 2.Cor.5. Vers.10. Deut.32. Vers.39. psal.74. Vers.9. 1.Reg.2. Vers.6. Psalm.16. Vers.2. Iob.10. Vers.2. Ezech.38. Vers.22.

Quæstio igitur tota hoc cardine versatur, An Deus præter suum invisibile Tribunal, inter homines in Ecclesia visibili aliquod instituerit Tribunal Sacramentale, in quo animæ iudicarentur, tum ad peccatorum absolutionem, tum æquitate id postulante, ad pœnalem correctionem, & vincula spiritualia?

Sensus quæstionis.

CONCLUSIO I.

Promissio Tribunalis

CHristus Ecclesiæ Dei promisit aliquando institutionem Tribunalis, in quo animæ vel à peccatis & spiritualibus vinculis absolverentur, vel etiam eis ligatæ remanerent.

Ita Matth. 16. promittit Petro: *Tibi* (ait) *dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*

Et Matth. 18. nè quis parvi-penderet ejectionem ab Ecclesia, quam illam non audienti decreverat Christus, dicens; *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*, volens Ecclesiæ auctoritatem, quæ in suis Magistratibus futura esset, magnificare, ait Discipulis: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terrā, erunt soluta & in cælo.* Quæ omnia de aliqua iudiciaria potestate intelligi, probant, tum nomen *Clavium*, (quæ in Scriptura Isaiæ 22. Apoc. 1. 3. 9. &c. signa sunt Potestatis) tum particulæ *ligandi* & *Solvendi*. Vide Patres in hæc loca, ex quibus etiam nonnulla sequenti Conclusione referemus.

Matth.16. Vers.19. Matth.18 Vers.17. Matth.18. Vers.18. Isai.22. Vers.22. Apoc.1. Vers.18. ibid.3. Vers.7. Ibid.9. Vers.1.

CONCLUSIO II.

institutio Tirbunalis.

D*E facto Tribunal visibile, quo Animæ à peccatorum vinculis vel absolverentur, vel pœnis plecterentur, aut etiam in vinculis retinerentur, designatis Iudicibus in Ecclesia visibili à Christo institutum, & erectum est.*

Ioan. 20. vers. 20. 22. 23.

Clarus est textus Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, insufflavit, & dixit eis. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.*

Potestas Ordinis & Iurisdictionis.

In quibus verbis Potestas duplex, quæ ad Tribunal hujusmodi constituendum requiritur, clarissimè indicatur: Nimirum: *Potestas Iurisdictionis*, quæ subditos respicit, & *Potestas Ordinis remissiva peccati*, quæ in persona Iudicis residet. Prior potestas illis verbis declaratur: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Missio enim quædam Jurisdictionis commissio est, quæ committentis voluntatem excedere non potest. Vndè prima Apostolorum Missio ad prædicandum, & infirmos supernaturali Potestate curandos, primùm ad Israël restricta erat expresso mandato Matth. 10. *In viam (ait) gentium nè abieritis, & in civitates Samaritanorum nè intraveritis, sed potius ite ad oves quæ perierunt domus Israel.* Et demum Lucæ. 10. *Cùm designavit alios septuaginta duos, misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum* (non simpliciter) sed *quò erat ipse venturus.* Post resurrectionem verò, Missio sivè Jurisdictionis commissio Apostolis concessa est, & extensa ad vniversum orbem, ut de Prædicationis, & Baptismi mandato constat Matth. ultimo: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: Euntes ergò docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Ioan. 20. — Matth. 10. Vers. 5. — Luc. 10. Vers. 1. — Matth. ult. vers. 18. 19.

Sicut ergò Missio Apostolorum ad prædicandum, & baptizandum, Iurisdictionis commissio fuit super universo orbe: sic hæc Apostolorum missio ad judicandum de peccatoribus, quædam Jurisdictionis commissio fuit. q. d. *Sicut me misit pater*, cum primaria Potestate Excellentiæ; cùm utiquè: *Omne iudicium dedit Filio*, cùm, *Data est ei omnis potestas in cœlo & in terra*, cùm: *Missus est mederi contritis corde, & prædicare captivis indulgentiam, & clausis apertionem*; cùm, *Primus & novissimus habuit claves mortis & inferni*: cùm *ut sanctus & verus habuit Clavem David, qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit.* Sicut (inquam) missus fuit à Patre ad supradicta in quantum homo, per potestatem Excellentiæ; sic mittit Discipulos suos ad eadem per potestatem Ministerialem, Iurisdictionē eis illis verbis tribuens.

Ioan. 20. Matth. ult. Isa. 61. Vers. 1. Apoc. 1. Vers. 10. Apoc. 3. Vers. 7.

Potestas remissiva peccati in iudicario.

Alia verò Potestas Ordinis Iudicialis & Sacramentalis operativa Remissionis peccatorum, aut Retentionis eiusdem in indignis: sequentibus verbis ad executionem fidelem communicatur: *Hæc cum dixisset* (inquit) *insufflavit, & dixit eis: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* In quibus quidem particula, *quorum*, personas indicat, cæteris verò verbis, Potestas Iudicialis & Operativa circa peccatores significatur.

Ioan. 20. vers. 22. 23.

Ex quibus omnibus sic concludo: In Ecclesia Dei, ad Tribunal pro animabus in hac vita mortali iudicandis in materia criminali peccatorum, constituendum, sufficit Potestas certis personis à Christo data, ad quorumcumquè peccata vel remittenda, vel ubi causa postulaverit, retinenda. Atqui talis Potestas cum plenissima Iurisdictione data est Apostolis Ioan. 20. Ergò datur in Ecclesia Dei huiusmodi Tribunal.

Concil. Trid. Sess. 14. cap. 5.

Et ita explicavit Concil. Tridentinum sess. 14. cap. 5. *Dominus* (inquit) *noster* IESUS CHRISTUS, *è terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam præsides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi Fideles ceciderint, quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuncient.* Et Can. 9. *Si quis dixerit, Absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata &c, anathema sit.* Sicquè loquuntur PP. qui Potestatem Sacerdotibus traditam ad remittenda, aut retinenda peccata vocant *Iudicium terrestre*, ut D. Hilar. can. 16. in Matth. Et D. Gregor. homil. 26. in Evangel. explicitè docet, Sacerdotes, *Principatum superni iudicij sortiri, & animarum, ac vitæ alienæ iudices fieri.* Hieronymus verò Epist. ad Heliodorum de vita eremitica dicit *Sacerdotes habentes claves Regni cœlorum quodammodo ante diem Iudicij iudicare.*

Idem. can. 9. — D. Hilar. can 16. in Matth. — D. Gregor. hom. 26. in Evang. — D. Hieron. Epist. ad Heliod.

Clarissimè D. August. lib. 20. de Civit. ca. 9. explicans illud Apoc. 20. *Vidi sedes, & sedentes super eas, & iudicium datum est*: *Non hoc* (inquit, *putandum est de ultimo iudicio dici, sed sedes Præpositorum, & ipsi præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum est: Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt & in cœlo.*

Apoc. 20. — D. Aug. l. 20. de Civit. cap. 9. — Ioan. 20.

Hoc verò Tribunal ad animas maximè spectare declarat S. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio. *Iis (ait) datum est ut potestatem habeant, quam Deus Opt. nequè Angelis, nequè Archangelis datam esse voluit; nequè enim ad illos dictum est: Quæcumque allegaveritis &c. Habent quidem & Principes terrestres vinculi potestatem, verùm corporum solum: Id autem quod dico, Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos usque pervadit, ut quæcumq; infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet.* Hæc ille.

S. Chrysost. lib. 3. de Sacerd. paulo post initium.

Quæ omnia latiùs deduxi, quia omnes præcipuæ difficultates quæ de Sacramento Pœnitentiæ, & in eo occurrentibus actionibus tam ex parte Sacerdotis, quam ex parte Pœnitentis moventur, ab hoc ferè fundamento benè intellecto dependent, ut suis locis videbitur.

QUÆSTIO II.

Cur vocetur Tribunal sacramentale?

CONCLUSIO UNICA.

H*Oc tribunal, sacramentale vocatur, quia cum ratione vera Sacramenti à Christo institutum est, nimirum tanquam signum visibile gratiam invisibilem sanctificantem efficiens.* Super quo generalis doctrina de Sacramentis hic breviter repetenda est: Ad verum (scilicet) novæ legis Sacramentum tria requiri: *Signum sensibile*, deinde *mandatum*, & *promissio efficax gratiæ*, quæ perfectissimè in hoc tribunali concurrunt.

Ioan. 20. Vers. 21. & seqq. 1. Enim *signum sensibile* verbis Christi Ioan. 20. deducitur: Si enim homo homini peccata dimittit, debuit sanè hominibus constare, hanc potestatem circa se exerceri; quod fieri non potest, nisi signo, aut ritu sensibili potestatis illius exercitium manifestetur.

Ioan. 20. 2. De mandato Christi clara sunt verba ibidem: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum sanctum*, &c.

Ioan. 20. 3. Collatio etiam, ac promissio efficax gratiæ continetur his verbis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Nec enim sine infusione gratiæ peccatum remittitur. Ista conclusio est de fide. Undè & proprijssimè Doctor subtilis Scotus, vocat hoc tribunal *judicium sacramentale, & Sacramentum judiciale.*

Scot. in 4. dist. 14. quæst. 4.

QUÆSTIO III.

Qui sint huius Tribunalis sacramentalis?

D*Istinguendum est de fine principali, & minùs principali, sivè accessorio. Finis autem principalis dicitur, qui primò, & principaliter est intentus: Finis verò minùs principalis, & accessorius est, qui tantum secundariò, & quasi occasione principalis intendi videtur.*

CONCLUSIO I.

Fines principales tribunalis. Ioan. 20. Vers. 23. Math. 18. Vers. 18.

D*Vo sunt fines principales tribunalis sacramentalis*, nimirum: *remittere, vel retinere peccata*, sivè *solvere, vel ligare.* Hi constant ex institutione Christi: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Item: *Quæcunque alligaveritis*, &c. & *Quæcunque solveritis*, &c.

Quibus verbis duplex ille finis exprimitur. Nec incongruè, sicut enim tribunalis civilis fines sunt, rei condemnatio, vel absolutio: ita sacramentalis tribunalis fines sunt, rei absolutio à peccatis, vel ejusdem certa condemnatio, sivè universaliter, sivè ad certam pœnam, & satisfactionem; duo tamen adverte. Primum: tribunal sacramentale primò-principaliter intendere rei à peccatis absolutionem; secundò-principaliter rei condemnationem, quæ ex indignitate eius nascitur, & originem ducit. Undè retentio peccatorum non tàm absolutè intenditur, quàm quasi conditionatè, eo scilicet casu, quo ob obicem, quem reus ponit, aut in eo reperitur, indignus absolutione sit: ideòque tribunal primò, & ex se tendit ad absolutionem rei ex occasione autem, & causâ in reo repertâ ad retentionem, sivè ad ligandum reum.

Rei condemnatio, & peccatorum retentio.

Retentio enim intelligenda est 1. Vel purè negativa, quâ simpliciter peccata retenta dicuntur, quia non sunt remissa, utpotè, quia judicio legitimè subjecta non fuerunt; quomodo homicidium à principe dicitur negativè non remissum, quia pro eo non fuit supplicatum. 2. Retentio intelligitur privativa, utpotè: quia peccatum non modo non est remissum, sed etiam à judice denegata est absolutio, quia judex obicem, aut indispositionem in reo reperit, ob quam remissionis gratiam ei denegavit. 3. Retentio est per positivam impositionem alicuius pœnitentiæ, seu satisfactionis, ad quam sub peccato in foro conscientiæ, & Dei reus obligatur, & quasi quodam vinculo ligatus retinetur. Et hæ duæ posteriores duntaxat pertinent ad rationem huius tribunalis.

Negativa. Privativa. Positiva.

Secundùm advertendum est: utrumque finem, tàm remissionis, quàm retentionis sequi debere rectum, ac justum judicium. Remissionis quidem judicium, peccati reverà contracti. Retentionis autem, præter judicium peccati commissi, judicium indignitatis, aut indispositionis, seu obicis in reo, aut etiam pœnæ, juxta discretum judicium rationabiliter subeundæ. Et ita passim explicant Patres duos istos fines, quos locis suis, ubi de confessarijs agemus, latè citabimus, nunc omittimus ad vitandam prolixitatem, & inutiles repetitiones.

CONCLUSIO II.

Fines secundarij.

V*Arij fines secundarij, sivè minùs principales à sanctis Patribus huic tribunali sacramentali attribuuntur*, ut: instruere pœnitentem, deterrere à malis, exhortari ad bona, remedia vulneribus adhibere; ea denique agere, quæ & sacium doctorem, & pastorem, ac medicum animarum decent. Quæ omnia, etsi ad rationem præcisam tribunalis, sivè judicij non pertineant; quia tamen hoc tribunal saltem rei, eiusque absolutionem, ac remissionem culparum respicit, & in secreto conscientiæ exercetur, decet ut sacerdos non modò judicis, sed & doctoris, & pastoris, ac medici partes agat. Cuius ratio est: Quia judicis est curare, ut sententia circa reum plenum sortiatur effectum. Cùm igitur, ut suo loco dicetur, ex parte rei requiratur accusatio integra peccati juxta su-

am qualitatem, contritio, & dolor cordis, ac firmum propositum de cætero non peccandi, illaque requirant & scientiam, & exhortationem, terrorem, & correptiones pro ratione subjecti: judicum erit supplere suâ actione, quod ex se, aut ex impedimentis supervenientibus reis deest. Sed de his suis locis.

CONCLUSIO III.

Fines remoti. *Sunt & alij fines magis remoti, ut dispensationes in votu, absolutiones à censuris, indulgentia,*&c. quæ cum magis ad aliquam jurisdictionem spiritualem, quàm ad præcisam potestatem remittendi peccata pertineant, & extra hoc tribunal fieri possint, idcircò ex industria omittuntur, ut meliùs alibi pertractentur.

QUÆSTIO IV.

Qui sint effectus hujus Tribunalis?

CONCLUSIO UNICA.

Effectus Sacramenti. *Ex finibus huius tribunalis deduci possunt sequentes effectus gradatim.* Effectus itaque primus & principalis huius tribunalis est *gratia prima sanctificans*, quatenùs est remissiva peccati. Ratio huius effectus est manifesta: cùm enim de fide sit, justificationem fieri non posse absque infusione gratiæ, sine qua nec peccatum remittitur, & hoc tribunal institutum sit ad justificationem, & remissionem peccatorum, consequens est, ut effectus primarius sit gratia. Dixi (*effectus primus, & principalis*) omne enim agens primò & principaliter intendit introductionem formæ, quam posteriùs naturâ sequitur privationis depulsio: ita & sacramentalis actio priùs intendit gratiam, quam naturâ posteriùs sequitur depulsio peccati, quod gratiæ privatio est.

Effectus secundus, seu secundò-principalis est *condemnatio rei*, tanquam incapacis effectus gratiæ huius tribunalis; aut vinculum pœnæ, sivè satisfactionis eidem reo impositum.

Secundarij tandem effectus, & accessorij ex finibus secundarijs, & accessorijs deduci possunt. Quot enim fines accessorij, tot ferè effectus deducuntur: ut *instructio, terror, aversio à malo, conversio ad bonum, medela*, &c.

QUÆSTIO V.

Quæ sint partes huius Tribunalis?

Partes huius tribunalis, sicut variæ sunt, sic ex varijs considerationibus variè assignari possunt: aut enim sunt *essentiales*, ex quibus tribunal quasi essentialiter constituitur: aut sunt *partes actuales*, quibus exercitium, sivè actus judicij completur. Potest etiam hoc tribunal secari per personas ad illud concurrentes, earumquè officia, & actiones, ut infrà declarabitur.

CONCLUSIO I.

Tria concurrunt ad essentiam tribunalis huius, nimirum: potestas ordinis, jurisdictio, causa, sivè crimen. *Essentialia.*

CONCLUSIO II.

Tres etiam sunt partes actuales, quibus exercitium, sivè actus judicij completur; nimirum accusatio rei, cognitio causæ, sententiæ prolatio. *Partes actuales.*

CONCLUSIO III.

Tres iterum personæ, aut quasi personæ ad judicium concurrunt: judex, actor, reus. *Personæ concurrentes.*

CONCLUSIO IV.

Tres similiter sunt præcipuæ actiones judicis: examen rei, & causæ, judicium de reo, & gravitate causæ, prolatio juridica sententiæ. *Actiones judicis.*

CONCLUSIO V.

Tres sunt actiones actoris: accusare, probare, convincere. *Actiones actoris.*

CONCLUSIO VI.

Tres actiones rei: conteri, confiteri, satisfacere. *Actiones rei.*

De his quidem omnibus particulares tractatus dabimus; ut tamen termini pleniùs intelligantur; & ordo huius tribunalis meliùs pateat, pono sequentes quæstiunculas.

QUÆSTIO VI.

Quid sit potestas ordinis in hoc Tribunali, & quandò conferatur?

CONCLUSIO I.

Potestas ordinis. Potestas ordinis nihil est aliud, quàm *potestas spiritualis, & supernaturalis, sivè gratia gratis data, ex vi characteris sacerdotalis immutabiliter sacerdoti assistens, per quam rite externo per modum judicij peccata remittere, aut retinere potest.*

Dixi (*potestas spiritualis, & supernaturalis*) ut distinguatur à potestate temporali, sivè civili, sivè ecclesiasticâ tantùm, quæ est ab homine, vel jure humano: qualis in tribunalibus, tùm civilibus; tùm ecclesiasticis exerceri solet. Quamvis enim curia ecclesiastica vocetur spiritualis, non ita tamen, quasi ex potestate merè spirituali procedat, sed quia clericorum, & spiritualium causas pertractat, & interdum spirituali gladio ferit.

Dixi (*sivè gratia gratis data*;) hanc enim potestatem inter gratias gratis datas referunt

S. Hieró. ep. 150. ad Hedibiam quæst. 9. rum Patres. S. Hieron. ep. 150. ad Hedibiam quæst. 9. *prima* (ait) *die resurrectionis acceperunt Spiritus sancti gratiam, quâ peccata dimitterent, & baptizarent, & filios Dei facerent, &c. die autem Pentecostes eu amplius repromissum est, &c. ut haberent operationes virtutum, & gratiam sanitatum.* &c. Infra: *Profectus* (ait) *Apostolicus est, ut qui primò remittendorum peccatorum gratiam acceperant, postea acciperent operationem virtutum, & cuncta operationum genera &c. & (quod magis necessarium erat) diversitatem linguarum omnium gentium.* Similia habet Chrysost. hom. 85. in Ioannem. *Quidquid* (ait) *Sacerdoti concreditum est, Dei donum est* : & vocat ibidem *virtutum genus.* S. Chrysost. hom. 85. in Ioannem.

Vocatur verò Gratia gratis data: quia datur à Deo homini non pro se, sed pro utilitate alienâ, sicut gratia Prophetiæ & miraculorum, & aliæ similes, quæ referuntur ab Apostolo 1. *ad Corinth.* 12. Quamvis enim Ordo Sacerdotibus conferat gratiam sanctificantem & Sacramentalem necessariam, tum ad sanctificationem subjecti, tum ad alia munia Sacerdotalia obeunda; tamen præter gratiam illam, tum sanctificantem, tum Sacramentalem (quæ in motibus quibusdam Spiritus sancti, & assistentia particulari consistit) aliæ etiam conferuntur gratiæ gratis datæ, quæ sunt virtutes quædam operativæ ad certos effectus. Talis est potestas transubstantiandi panem in corpus, & vinum in Sanguinem CHRISTI verum. Talis etiam est Potestas remittendi peccata, quæ vocatur Potestas in corpus CHRISTI mysticum.

Dixi (*ex vi Characteris Sacerdotalis immutabiliter Sacerdoti assistens*) *fundatur enim* hæc Potestas in Charactere: adeoque, sicut Character immutabilis, sic immutabilis est ista Potestas immutabiliter assistens: in quo hæc Gratia distinguitur ab alijs multis Gratijs gratis datis. Neque enim Donum Prophetiæ semper Prophetæ assistit, similiter nec Donum curationum, aut miraculorum ijs, quibus interdum à DEO conceditur.

Dixi (*per quam ritu externo per modum iudicy.* &c.) in hoc enim distinguitur à Potestate datâ Ministro Baptismi, aut extremæ Vnctionis ad remissionem peccatorum. Potestas enim in Ministro Baptismi peccatorum remissionem operatur per modum regenerationis, sivè ablutionis: in Ministro verò Extremæ Vnctionis, per modum deprecationis. In Tribunali verò Pœnitentiæ, per modum Iudiciariæ Potestatis.

Dixi (*potest,*) quia hæc potestas in actum, sivè exercitium deduci non potest absque Jurisdictione, sivè Potestate Jurisdictionis, cùm sit tantùm fundamentalis Potestas.

Potestas Ordinis quandò detur. Ioan. 20. Vers. 22. Ex his patet, quandò hæc Potestas detur (nimirum) in ipsâ Ordinatione, quando impositis manibus Episcopus dicit: *Accipe Spiritum sanctum: Quorū remiseris peccata, remittūtur eis,* &c.

QVÆSTIO VII.

Quid sit Iurisdictio, sivè Potestas Iurisdictionis?

CONCLVSIO UNICA.

Iurisdictio, sivè Potestas Jurisdictionis, est *Potestas, sive Authoritas quædam spiritualis circa aliquos subditos, quatenùs aliquâ ratione subditi sunt.* Potestas Iurisdictionis. Et hæc est, quam Missionis nomine suprà explicavimus: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Ioan. 20. Vers. 21. Quæ verba notanter in consecratione Sacerdotis tacentur: quia tunc ei quidem Potestas ad peccata remittenda datur, nullatenus tamen Jurisdictio concreditur: quia ideò exercere non potest, quia non habet, in quem illam exerceat: Judex enim subditos, vel quasi subditos habeat, necesse est, cùm sententia à non suo Judice lata, nulla sit, communi & recepto Axiomate; sed de his posteà.

QVÆSTIO VIII.

Quæ sint causæ ad hoc Tribunal pertinentes?

CONCLVSIO UNICA.

Causa Tribunalis mortale peccatum. *Causa necessariò ad hoc Tribunal pertinentes sunt sola, & omnia peccata mortalia ab homine post susceptum Baptismum commissa.*

Dixi (*omnia, & sola peccata mortalia;*) venialia enim, cùm varijs alijs modis solvi possint, ad hoc Tribunal necessariò non pertinent, quamvis vtiliter etiam huic tribunali proponi valeant, & sufficiens materia sint ad sententiam absolutionis recipiendam.

Dixi (*ab homine post susceptum Baptismum commissa;*) quæ enim ante Baptismum sunt commissa, frustrà, & inutiliter huic Tribunali subijcerentur, cum anteà per Baptismum supponantur remissa, nec ad forum Judiciale Ecclesiæ pertineant.

Fictio in Baptismo materia Confessionis. *Petes.* An peccatum mortale, ex. gr. *Fictio*, quæ in ipso Baptismo committitur, inter peccata confitenda necessariò reputari debeat, quasi post Baptismum commissa? *Resp.* affirmativè, ista enim *fictio* peccatum maximè reputatur, cùm ponat Gratiæ Sacramenti obicem, & per illam quoddam Sacrilegium committatur, & ille obex intelligatur in instanti vltimò, sivè primo non esse Baptismi, & jam supponatur in homine baptizato, & Ecclesiæ incorporato per Characterem remanere.

QVÆSTIO IX.

Quid Accusatio, & qualiter à Confessione differat?

CONCLVSIO UNICA.

Accusatio. *Accusatio nihil est aliud, quàm actus conscientiæ propriæ adversus peccatorem vindictam*

dictam exposcentis. Vndè accusatio latiùs patet, quàm confessio. Sunt enim, quos conscientia accusat, qui tamen peccatum non confitentur, sivè per erubescentiam taceant, sivè contra conscientiam se defendant. Vndè ad Rom. 2. *Testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cùm judicabit Dominus occulta hominum.* Hic itaquè actus est quasi fundamentalis, qui peccatorem ad confessionem urget. Nec vera confessio fieri potest, nisi accusatore illo, qui est *conscientia*, peccatorem velut ante tribunal judicis deferente. Vnde Chrysost. hom. 31. in Epist. ad Hebr. *Persuadeamus nobis peccasse nos, nè hoc sola lingua pronuntiet, sed etiam intima conscientia.*

Rom. 2. Vers. 15. 16.

S. Chrysost. hô. 31. in epistol. ad Heb.

Et hæc est, quam dicimus, *actorem*, in hoc tribunali, quæ quasi personas, tùm accusatoris, tùm testium diversa ratione induit, de qua non pauci intelligunt illud Matth. 5. *Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via cum eo: nè fortè tradat te adversarius judici, & judex tradat te ministro, & in carcerem mittaris: Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.* Sic enim conscientia nos tradit, aut judici misericordiæ in hoc tribunali, aut judici æternæ vindictæ in tribunali Christi post hanc vitam. De quibus omnibus in tractatibus particularibus.

Actor.

Matth. 5. Vers. 25. 26.

QVÆSTIO X.

Quid intelligatur per cognitionem causæ, & prolationem sententiæ?

CONCLVSIO UNICA.

Cognitio causæ nihil est aliud, quàm examen debitum, & judiciaria expensio, tùm dispositionis peccatoris, tùm qualitatis numeri, & quantitatis peccatorum.

Prolatio autem *sententiæ* tria fetè complectitur, nimirum aut *repulsionem* totalem peccatoris ob indignitatem, sivè indispositionem: aut *impositionem* pœnitentiæ, & satisfactionis: aut *absolutionem* à peccatis.

QVÆSTIO XI.

Quid nomine personarum, aut quasi personarum intelligatur?

CONCLVSIO UNICA.

Nomine *judicis*, intelligitur *persona*, penes quam est judicandi potestas, authoritas, & facultas.

Nomine *actoris*, intelligitur *conscientia* accusans, testificans, & convincens: quæ quidem vocatur quasi persona, quia personæ accusantis, & testificantis, &c vicem gerit.

Nomine *rei*, intelligitur *peccator*.

Et hinc patet etiam clara interpretatio actionum dictarum personarum, quæ *quæst.* 5. *concl.* 4. 5. & 6. referuntur; de quibus latissimè suis locis.

QVÆSTIO XII.

An hoc tribunal sit necessariò subeundum ad remissionem peccati post baptismum commissi?

CONCLVSIO I.

Tribunal sacramentale pœnitentiæ est institutum à Christo ut medium necessarium ad remissionem peccati post baptismum commissi. Ita explicant Pattes verba Christi, *Math.* 16. & 18. & *Ioan.* 20. Frustrà enim, & non sine gravi confusione tribunal huiusmodi institutum esset, si cui liberum esset, vel illud subire, vel omninò ab illo recedere. Nec retinendi potestas ulla esset penes judices, si aliâ viâ peccatores remissionem criminum accipere possent.

Necessitas tribunalis.

Eleganter S. Augustinus lib. 50. hom. 49. *Agite* (inquit) *pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia: Nemo sibi dicat: Occultè ago, apud Deum ago.* Infrà. *Ergò sine causa dictum est: Quæ solveritis in terra, soluta erunt & in cœlo? Ergò sine causa claves datæ Ecclesiæ? Frustramus Evangelium Dei? frustramus verba Christi? promittimus, quod illa negat?* Vide passim Patres citatos à Doctoribus, qui controversias tradunt ex professo, aut etiam expositores *in cap* 20. *Ioannis*; inter quos excellit, & prolixior est Alphonsus Salmeron *tom.* 11. *tract.* 19. 20. & *seqq.* Nobis hæc sufficiunt, qui sola fundamenta damus.

S. August. l. 50. hom. 49.

Alphôs. Salmer. 10. 11. tract. 19. 20. & seqq.

Dices: apertissimæ Scripturæ sunt, quæ remissionem peccati promittunt contritioni, gemitui, lachrymis, absque alia confessione, sivè comparitione coram aliquo tribunali: Ergò illud tribunal non est institutum, ut necessarium medium. Antecedens patet Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, &c. omnium iniquitatum eius &c. non recordabor.* Et Psal. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.*

Ezech. 18. Vers. 21.

Psal. 50. Vers. 19.

Luc 7. Vers. 47.

Resp. 1. Istas Scripturas plenissimè concludere pro tempore, quod fluxit ante legem evangelicam debitè promulgatam, & executioni demandatam. Hoc ad minus certum, & manifestum est ex communi modo loquendi Scripturarum, earumquè interpretatione. Nec aliquod aliud remedium ad efficacem peccatorum remissionem tunc fuit ordinatum, præter circumcisionem, in sententia Scoti, & sequacium.

Resp. 2. Post legem evangelicam debitè promulgatam, & executioni demandatam, sivè usu receptam, eandem vim habere contritionem, sivè veræ contritionis gemitus, & lachrymas, ad remissionem peccatorum, eaque de facto remitti; superadditam tamen

obli-

obligationem peccata subjiciendi tribunali sacramentali pœnitentiæ: ita ut quamvis verè contrito peccata statim remittantur, obligatio tamen exsurgit in peccatore sub pœna peccati mortalis eadem peccata remissa (ut supponitur) semel subjiciendi clavibus Ecclesiæ: ita, ut qui moreretur non confessus, habita tamen commoditate confitendi, & absolutionem recipiendi, damnaretur, non ratione peccatorum, quæ verè remissa sunt per contritionem, sed ratione peccati mortalis commissi, ex eo quod (ubi potuit) dicta peccata clavibus Ecclesiæ, & tribunali non subjecit.

Ratio huius sumenda est ex voluntate CHRISTI, sic statuentis: *Et quorum retinueritis, retenta sunt*, quia nimirum, quæ per solam contritionem remissa sunt, libera absolutione, & remissione dimissa non sunt, sed cum obligatione illa ad judicium sacerdotale, & tribunal sacramentale deferendi, quæ est vinculum quoddam retentionis, reddens (si illi non satis-fiat) inutilem illam remissionem per contritionem obtentam, quia utiquè infallibiliter damnabitur, qui culpâ suâ, saltem ante mortem, ubi potuerit, pro peccatis mortalibus, etiam per solam contritionem remissis, hoc judicium non subierit. Quod declaratur manifestè exemplo judicij civilis. Quemadmodum enim princeps, etsi plenaria suâ potestate aliquando absque sententia, vel strepitu judiciali, homicidia, & alia crimina gratiosè remittat, datis literis de huiusmodi gratia fidem facientibus; simul aliud exprimat, tenetur, qui huiusmodi gratiam, & remissionem accepit, illius emologationem, sivè verificationem coram concilio, sivè parlamento requirere, & ut consuevit fieri, se etiam sistere: cui per modum sententiæ judicialis remissio principis confirmatur; aut interdum etiam infirmatur, si vera, & legitimè concessa (utpotè propter falsitatem narratorum, aut alium obicem) non fuerit: imò etiam aliqua reo pœnitentia, sivè emenda ut plurimum constituitur. Sic proportionaliter in præsenti casu evenit: posito enim, quod Deus verè contrito indulgere efficaciter voluerit omnia sua peccata; noluit tamen detogare legi à Filio suo Deo, & homine latæ, de comparendo coram tribunali sacramentali ab ipso instituto, ad verificandam, & confirmandam juridicè dictam gratiosam per contritionem peccatorum remissionem: ita ut etiam judex teneatur cognoscere de tota causa, tùm, ut si fuerit obex in contritione, ostendat illam fuisse inefficacem, tùm ut aliquandò peccatorem justis pœnitentijs, & satisfactionibus liget, & vinciat. Qui autem huic comparitioni opportunè non satisfecerit, reus æternæ mortis remanet ex contemptu huius obligationis.

Nec desunt exempla similia in Scripturis, & articulis fidei nostræ: etsi enim per veram & perfectam contritionem, & actum amoris Dei super omnia, in quibus consistit baptismus, quem vocant *flaminis*, fateamur remitti omnia peccata, etiam ipsum originale, si adhuc insit; nihilominùs qui hoc modo justificatus est, tenetur in re baptismum aquæ suscipere, & si existente commoditate non subeat, mortaliter peccat; non quia peccata non fuere remissa, sed quia obligationem medij necessarij non subiit, dicente CHRISTO: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quod & exemplificari potest de adulto Judæo, cui per contritionem remissa erant peccata ante susceptam circumcisionem, qui si circumcisionem ex sua culpa non susciperet, *delebatur anima de populo suo*; quod de damnatione æterna Interpretes & Theologi communiter intelligunt. Et hinc pono concl. 2. Ioan. 3. Genes. 17. Vers. 14.

CONCLVSIO II.

Tribunal sacramentale pœnitentiæ, ubi re ipsâ subiri omninò non potest, obligat in voto saltem implicito. Ita communiter Doctores. Ratio fundamentalis firmitur ex illa obligatione, quam docuimus remanere etiam per contritionem remisso peccato: cui satisfacere, saltem desiderio, debet peccator omnis verè ad Deum conversus. Dico verò: *implicitum votum sufficere*; cùm enim contingat interdum, peccatorem tali actu amoris Dei super omnia, vel contritionis elevari, & angustiâ temporis, rei contingentiâ præcipiti coarctari, ut tribunal subire non possit, fit, ut ad istam singularem obligationem formaliter non reflectatur; illi tamen obligationi satisfacere virtualiter censeatur, cùm una fit ex præcipuis, quæ ad absolutam & liberam justificationem ex CHRISTI Domini institutione requiritur, quam nemo mediocriter dispositus relinquere velle judicandus est, cùm supponatur, velle omnibus obligationibus satisfacere. *Votum tribunale implicitum.*

Remitti itaquè peccatum per hoc Sacramentum in voto, nihil est aliud, quàm remitti cum obligatione ad hoc Sacramentum, sivè tribunal subeundum, in quantum subiri potest: ita ut votum illud, aut formale illius Sacramenti desiderium includat, aut saltem virtuale. Quo tempore verò illud votum, sivè desiderium, aut voluntas executioni mandari debeat, suo loco dicetur. *Quomodo remittatur peccatum in voto?*

QVÆSTIO XIII.

Ad quam virtutem hoc tribunal sacramentale pœnitentiæ pertineat?

Hæc quæstio etiam hoc loco necessaria est, ex illa enim multorum casuum radices oriuntur, eorumquè resolutiones dependent.

CONCLVSIO I.

Hoc Tribunal Pœnitentiæ, quatenus signo Sacramentali, & Mystica, sive Mysteriosâ actione exercetur, ad virtutem Religionis pertinet. Ratio est, Quia sacra ista signa, & actiones mysteriosæ ad cultum Dei, & protestationem Fidei, & Spei nostræ specialiter ordinatæ sunt, quâ ratione virtutem Religionis, sive Religiosi cultus naturam, & modos sequi debent.

Super hoc fundantur casus de irreverentiâ circa ritum, modum, situm, locum, quibus hoc Tribunal, quà sacrum signum est, administrari debet.

CONCLVSIO II.

Tribunal Sacramentale Pœnitentiæ, quatenùs est Potestas quædam supernaturalis effectiva gratiæ ad remissionem peccati, pertinet ad donum Dei, & gratiam gratis datam. Hoc suprà docuimus *quæst.* 6. & eleganter indicat Cyrillus lib. 12. in Ioannem cap. 16. *Non absurdum est, peccata remitti posse ab illis, qui Spiritum sanctum in se ipsis habeant. Nam cùm ipsi remittunt, aut detinent, Spiritus, qui habitat in eis, per eos remittit, & detinet; Erit autem id per eos, vt arbitror, duobus modis: primum Baptismo, deindè Pœnitentiâ.* Hæc ibi. Vbi per Spiritum sanctum intelligitur eius gratia, aut donum, sive consistat in aliquâ qualitate formali supernaturali, sive in infallibili operationis Spiritus sancti assistentiâ, de quibus hîc non disputo.

Cyrill. lib. 12 in Ioan. cap. 16.

Et super hâc Potestate, sive Spiritus sancti gratiâ fundantur casus de bonitate confessarij: An, & qualiter debeat esse in statu gratiæ ad administrandum licitè hoc Sacramentum: cùm enim in ordinatione suâ cum gratiâ sanctificante hanc potestatem acceperit, illam sanctificationem in exercitio sui ministerij repræsentare debebit. De quo demum suo loco.

CONCLVSIO III.

Tribunal Sacramentale Pœnitentiæ, quatenùs Potestas est judicialis, & rationem Iudicij includit, pertinet ad virtutem Iustitiæ Vindicativæ: non illam, quæ respicit rei mortem, aut perditionem, sive infamiam: sed illam, quæ respicit eius salutem, pacem, reconciliationem, nec non salutarem correctionem, & emendam.

Iustitia Vindicativa.

Super hoc fundantur Casus, qui respiciunt scientiam necessariam, probitatem, æquitatem, prudentiam, charitatem, &c. De quibus Tractatu sequenti.

Super eodem fundantur Casus, qui Rei dispositionem, Confessionem, Satisfactionem concernunt. Quæ omnia præmitto generaliter, ut posteà distinctiùs memoriæ inhærere possint.

QVÆSTIO XIV.

An Tribunal Sacramentale Pœnitentiæ sit necessariò, & ex suâ institutione secretum?

Ratio dubitandi sumitur ex Confessionibus, & Pœnitentijs publicis, quæ aliquandò in Ecclesiâ vsurpatæ fuerunt; ita vt peccata publicarentur, & indictam secundùm Ecclesiæ Canones Pœnitentiam certo tempore nonnulli facerent, ac per manuum impositionem, & diversas Cæremonias Ecclesiæ reconciliarentur; quarum descriptio ad feriam V in Cœnâ Domini, in Pontificali adhuc invenitur.

CONCLVSIO I.

Confessio Sacramentalis, & Tribunal Pœnitentiæ omnibus modis secretum est, non tantùm ex aliquo jure naturali de proximi famâ, & secreto servando; sed ex Jure divino, & institutione Christi, cui nemo derogare potest.

Confessio Secreta.

Hæc Conclusio traditione Apostolicâ constat, & communi, ac recepto Axiomate August. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. *Quod vniversa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Et lib. 2. cap. 7. *Multa non inveniuntur in Apostolorum litteris, neque in Concilijs posteriorum, & tamen, quia custodiuntur per universam Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.* Nullum autem invenitur huius universalis, & omni tempore receptæ traditionis initium: sumi ergò debet huius Secreti divini juris ratio, ex ipsâ naturâ Tribunalis Sacramentalis.

S. August. lib. 4 de Bap. contra Donatist. cap. 24. Idem lib. 2. cap. 7.

1. Quia judicium hoc ad Forum Dei pertinet, solis Sacerdotibus tanquàm eius Vicarijs commissum. Judicia autem apud Deum principalem Judicem circa homines in hac vita occulta sunt: Ergò & apud Vicarios Judices; neque enim naturam suam mutare censenda sunt. Prior pars patet ex Apostolo 1. ad Cor. 4. *Nolite* (inquit) *ante tempus iudicare:* nimirum, Judicio publico: *Qui autem iudicat me, Dominus est, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium,* &c. Quemadmodùm enim, etsi *Pater dedit omne iudicium Filio,* Filius tamen in hac vita neminem externo, & publico Judicio judicat, sed Secreto tantùm, & occulto: ita & Filius committens conscientiarum Judicium Apostolis, & Sacerdotibus, noluit eis publicum Judicium committere, sed Secretum, quia publicum in futurum sibi reservavit.

1. Cor. 4. Vers. 5.

Ioan. 5. Vers. 22.

2. Quia hoc Judicium conscientiarum est: Deus autem, *qui solus scrutatur corda, & renes,* etsi pro vtilitate peccatoris mandet secreta cordis Sacerdoti aperiri, & quasi Sacerdotem suæ Scientiæ participem efficiat; ita tamen mandâsse censendus est, vt reserva-

Psal. 7. Vers. 10.

tæ sibi

tæ sibi scientiæ non præjudicaret, quâ solus à seipso conscientiarum scrutator est, & vindex.

3. Quia totum hoc tribunal in sacro mysterio transigitur; mysteriorum autem Dei natura est, ut abscundita sint, & occulta.

4. Quia occultorum manifestatio tantùm ad salutem internam pœnitentis ordinata est, & ex eo solo capite, quod remittere, & retinere absque cognitione peccata judex non possit; ad quem finem publicatio omninò & inutilis, & damnosa foret, ac contra legem divinã, & naturalem.

Clem. Roman. Const. Apost. l. 2. c. 13. S. Chrysost. hõ 31. in epist. ad Hebr. Psal. 36. Vers. 5.

Et has rationes indicant passim Patres, dum æquiparant ista: *Confiteri Deo, & confiteri sacerdoti Dei locum tenenti, sivè vicario*, dum sacerdotem vocant *mysteriorum præfectum*: ut Clemens Romanus Const. Apostolicarum l. 2. cap. 13. *Tu ergo* (inquit) *Episcope, judica ut Deus: Domini enim est judicium.* Et Chrysost. hom 31. in epist. ad Hebræos: *Non tibi dico, ut te prodas in publicum, neque ut te apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti: Revela Domino viam tuam*, quasi dicat: quod sacerdoti dicis, Deo dicis. & Domino in sacerdote revelas.

S. Chrysost. hõ 20. in Genes. 4.

Et homil. 20. in Genes: *Qui crimina fecit, si voluerit, ut decet, uti conscientia adjumento, & ad confessionem facinorum festinare, & medico ostendere ulcus, qui curet, & non exprobret, &c. & soli ei loqui, nullo alio conscio, & omnia dicere cum diligentia, facilè sua peccata emendabit.*

Idem ser. de pœniten. & confes.

Idem serm. de pœnitentia, & confessione: *Nunc* (inquit) *neque necessarium præsentibus testibus confiteri &c. absque teste sit hoc judicium, &c.*

D. August. de visit. infir. lib. 2. cap. 4.

Elegantet D. Augustinus de visitatione infirmorum libr. 2. cap. 4. *Sunt qui sufficere sibi ad salutem autumãt, si soli Deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina, &c. Sed nolo, ut ipsâ decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini vicario, tabescens præ rubore, vel cervicosus præ indignatione: nam ipsius humiliter subeundum est judicium, quem Dominus sibi non dedignatur vicarium, &c.* Rationem etiam secretorum mysteriorum attigit S. Basilius in breviorib. usquæstiunculâ 288. *Necessariò iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.*

S. Basil. in breviorib. quæst. 288.

CONCLVSIO II.

Confessio publica illicita.

PEccaret gravissimè pœnitens, qui absque necessitate sua peccata publicè pro huius Sacramenti susceptione propalaret, ut publicam absolutionem acciperet.

Ratio est: quia præter scandalum, quod oriri posset, etsi suæ famæ dominus sit, non potest tamen esse Sacramenti, & secreti tribunalis profanator, & proditor: quod sicut sub mysterijs à Christo institutis reservatum est, sic sub illis remanere debet.

Leo Papa epist. 57. (alijs 80.) ad universos Episc. per Cap.

Et ita declaravit Leo Papa epistolâ 57. (alijs 80.) ad universus Episcopos per Campaniam: ubi pravam consuetudinem confitendi peccata publicè, vocat *Præsumptionem contra regulam apostolicam, illicitam usurpationem, & vituperabilem consuetudinem.* Verba sunt eius: *Illam etiam contra apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicitâ usurpatione committi, modis omnibus constituo dimoveri, de pœnitentia videlicet, quæ ita à fidelibus postulatur; ne de singulorum peccatorum genere libello scripta confessio publicè recitetur, cùm reatus conscientiarum sufficiat solis sacerdotibus indicari confessione secretâ. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium eiusmodi sunt peccata, ut ea, quæ pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, &c. sufficit enim illa confessio, quæ primùm Deo offertur, tùm etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit.* Hæc ille. Dixi (*absque necessitate*) non quasi necessitas confessionem publicam directè indulgeat: sed quia interdum pœnitens angustiâ loci, & temporis constrictus ita peccata edicere cogatur, ut aliqui audiant; ut fit interdum naufragio instante & urgente, in quo ad absolutionem confusè, & clamoribus concurritur; sed hæc confessio non est ex intentione publica, sed tantùm ex accidenti, ratione angustiæ, & anxietatis, in qua (ut suo loco dicetur) sufficit vel unum peccatum veniale judici, sivè confessario edicere.

Pœnitentia solemnis antiquorum.

Petes: Quid igitur de pœnitentia & confessione publica, sivè solemni?

Resp. 1. Non pertinuisse ullatenus ad tribunal, sivè judicium sacramentale, sed ad Ecclesiæ forum externum duntaxat absque ulla ratione sacramentali.

Resp. 2. Duplicem fuisse tùm confessionem, tùm pœnitentiam publicam: Alia enim fuit voluntaria, seu voluntariè assumpta: Alia ex sententia judicis & canonum imposita.

Voluntaria erat, quæ à pœnitentibus zelo, & ardore fidei, & pœnitentiæ assumebatur: sed non sine consilio sacerdotis, qui non judicis, sed consiliarij officio fungens, illam aut permittebat, aut dissuadebat, sivè etiam prohibebat pœnitenti. De qua Origenes hom. 2. in psal. 32. ubi quærens, quis sacerdos in suscipienda huiusmodi pœnitentia consulendus sit? sic loquitur: *Si is intellexerit, & præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multâ hoc deliberatione, & satis perito medico illius consilio providendum est.* Hæc Origenes. Ex quo loco intelligimus, multo consilio, deliberatione, ac prudenti consilio huiusmodi pœnitentias voluntarias fuisse susceptas.

Origen. hom. 2. in psal. 32.

Alia erat pœnitentia ex judicis sententia, & canonum decreto inflicta, de qua canones pœnitentiales Apostolorum intelligendi sunt; & hæc non nisi ob publica peccata in foro externo publicè cognita infligebatur à superioribus & præpositis, sivè judicibus ecclesiasticis.

Adver-

Duplex pœnitentia publica. Advertendum porrò est ad intelligendum Patres, & antiquas Ecclesiæ historias, duplicē fuisse pœnitentiam publicam: Alia enim erat publica tantum; Alia publica, & solemnis. *Publica erat tantum*, quæ exteriori actu exercebatur cùm consilio confessarij quovis anni tempore, cum tæda accensâ, cum cilicio, peregrinatione certis modis, & circumstantijs facta, &c. *Publica, & solemnis*: quæ in quadragesima sola usque ad feriam V. in cœna Domini solemniter instituebatur. Pœnitentes enim præsentabant se cum presbyteris episcopo civitatis ante fores Ecclesiæ sacco induti, nudis pedibus, vultibus demissis, crine deposito, si viri essent, & in Ecclesiam deducebantur, ibique ab episcopo, & clero septem psalmi pœnitentiales dicebantur, operiebatque episcopus capita eorum cilicio, & cinere adspergebat, & magno gemitu, & suspirio eos ab Ecclesia ejectos pronuntiabat, sicut Adam ejectus erat de paradiso, & mandabat clericis, ut eos expellerent; qui & eos prosequebantur, cantato responsorio: *In sudore vultus tui vesceris pane*, &c. Sicque expulsi usque ad feriam V. in cœna Domini, foris pœnitentiam in summis gemitibus exercebāt, quâ die iterum in Ecclesiam admittebantur usque ad octavam paschæ, sed nec communicare, nec panem benedictum accipere poterant, donec ab episcopo illis manus imponerentur, & Ecclesiæ reconciliarentur. *Genes. 3. Vers. 19.*

Adverte 2. Pœnitentias voluntariè assumptas (nisi peccata omninò essent publica) etsi in actione, sive executione publicæ forent, in causâ tamen occultas fuisse; cùm enim determinatæ non essent ad certum genus peccati, & à pluribus justis ad exercitium humilitatis, & pietatis etiam exercerentur, de peccato pœnitentiam agentium (si publicum non erat) non constabat. Unde & ex hac parte, etsi ex consilio sacerdotis, sive confessarij fierent, secreta tamen peccata nullatenùs pandebātur. Aliud erat de pœnitentijs ex sententiâ judicis & canonum præscripto inflictis.

Advertendum 3. Pœnitentiam solemnem tantum semel in vita fuisse uni permissam: quia solemnis erat professio de non recidiva. Quomodò intelligendum est illud S. Ambrosij lib. 2. de pœnit. cap. 10. *Meritò reprehenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo: nam si verè agerent pœnitentiam, iterandam posteà non putarent, quia sicut unum baptisma, ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidianè nos pœnitere debet peccati, sed hæc delictorum leviorum, illa graviorum.* *S. Ambr. lib. 2. de pœnit. cap. 10.*

Advertendum 4. Non fuisse permissum clericis sive presbyteris, & diaconibus huiusmodi solemnem pœnitentiam, aut sibi imponere, aut suscipere: ne ordo clericalis in contemptum veniret. Unde Leo Magnus epistolâ 92. ad Rusticum Narbonensem. *Alienum* (inquit) *est à consuetudine ecclesiastica, ut qui in Presbyterali, aut Diaconij gradu fuerint consecrati pro crimine aliquo suo, per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi; quod sine dubio ex apostolica traditione descendit, secundùm quod scriptum est: Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo? Undè huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio*, &c. Hæc ille. *Leo Magn. epist. 92. ad Rust. Narbon.*

Advertendum 5. Nonnullas interdum pœnitentias publicas maculam aliquam in pœnitente reliquisse. Undè quidam post pœnitentiam solemnem ad clericatum assumi nō poterant: & mulieres post pœnitentiam peractam de fornicatione, velum sacrum recipere prohibebantur. Sed hæ pœnitentiæ pro peccatis publicis tantùm imponebantur: nec aliæ pœnitentiæ pro peccatis occultis, aut etiam pro exercitio humilitatis assumptæ, huiusmodi maculam, aut incapacitatem suaptè naturâ, & impositione inurebant.

Hæc lariùs adnotavi ad evitandas verborū & opinionum confusiones, quæ occasione eorum, quæ variè, & à varijs auctoribus referuntur, ortæ sunt, & nonnullis materiam erroris subministrarunt.

EPILOGVS TRACTATVS PRIMI.

Oeconomia, & structura totius Tribunalis sacramentalis pœnitentiæ.

EX dictis in superioribus quæstionibus potest formari œconomia, & dispositio totius tribunalis ad tractatus sequentes per modum nomenclatoris.

I.
TRIBUNAL
In remissionem & retentionem peccatorum;
Consistit
In accusatione rei, causæ cognitione, sententia prolatione.

II.
JUDEX
In quo residet
Potestas ordinis, & jurisdictionis.
Cuius qualitates sunt:
Bonitas, scientia, idoneitas approbata.
Cuius actus sunt:
Reum examinare, de criminum gravitate judicare, reum absolvere, vel condemnare.

III.
CAUSA, SIVE MATERIA TRIBUNALIS.
Peccatum post baptismum commissum;
Sive
Mortale, aut veniale etiam aliàs confessum.

IV. REUS

IV.
REUS SIVE PECCATOR,
Cujus tres Actus
Contritio, Confessio, Satisfactio.

V.
ACTOR, CONSCIENTIA,
Cujus Actus tres
Accusare, Probare, Convincere Reum.

VI.
ADVOCATI PRO REO.
Opinio probabilis, Indeliberatio, Ignorantia, Vis, & Metus.

VII.
JUDICII FINIS ET EFFECTUS.
Reum mulctare, Absolvere, vel Condemnare.

VIII.
LEGES JUDICIALES.
Divina naturalis, divina positiva, humana.

De terminorum supradictorum significatione in Tractatu superiori proœmiali actum est; de eorum realitate, & omnibus ad tribunal pertinentibus, subsequentibus Tractatibus, Titulis, & Quæstionibus agetur.

TRACTATUS II.

De Iudice sive Confessario, eiusque potestate, qualitatibus, officio, obligationibus, &c.

TITVLVS I.

De Iudicis potestate ordinaria.

QUÆSTIO I.

Quis sit legitimus Iudex in Tribunali Sacramentali Pœnitentiæ?

CONCLUSIO UNICA.

Solus Sacerdos Iudex.

Omnis & solus Sacerdos Iurisdictionem Sacramentalem habens in Pœnitentem, in ordine ad judicialem remissionem vel retentionem peccatorum, est Iudex legitimus in pœnitentiæ tribunali.

Dixi (*omnis & solus Sacerdos*) sicut enim omni Sacerdoti legitimè ordinato in sua ordinatione datur *Potestas* illa, quam dicimus *Ordinis*, per quam efficaciter, sive moraliter, sive physicè (de his enim non disputamus) remittuntur peccata: sic etiam illi soli ex institutione Christi dicta potestas competit; nec alteri non Sacerdoti competere potest.

Dixi (*Iurisdictionem Sacramentalem in pœnitentem habens*) ad excludendas alias Jurisdictiones spirituales, quæ extra Sacramentum exerceri possunt, nec ad hoc tribunal præcisè spectant, ut sunt Jurisdictio excommunicandi, suspendendi, & alias pœnas spirituales infligendi; aut etiam absolvendi à censuris & pœnis, & dispensandi in inhabilitatibus, &c. Hæc enim Jurisdictio non soli Sacerdoti competit, sed clericis communicatur. Talis etiam erat potestas, sive Jurisdictio reconciliandi Ecclesiæ publicos pœnitentes.

Dixi (*in ordine ad judicialem remissionem peccatorum*) ad excludendam potestatem dispensandi in votis & aliis obligationibus spiritualibus etiam in foro conscientiæ: hæc enim potestas sive Jurisdictio etiam non Sacerdoti similiter potest competere.

Dixi (*Iudicialem*) ut excludam eam, quæ cum Jurisdictione fit in administratione aliorum Sacramentorum.

Dices 1. Sententia Magistri, & aliorum antiquorum Theologorum fuit, deficiente Sacerdote licere confiteri Laico, juxta illud Augustini: *Tanta est vis confessionis, ut si deest Sacerdos, confiteamur proximo*: Ergò & Laicus in hoc Sacramento Judex esse poterit. S. August. 6. de vera & falsa pœn c. 10.

Resp. 1. Dupliciter dici posse fieri confessionem laico: 1. ad absolutionem & remissionem peccatorum consequendam: 2. ad aliquod consilium, exhortationem, aut adjutorium sive solatium accipiendum. *Quo bis modis laico confessio fiat.*

Primo modo, Laico confessio absque mortali peccato fieri nec potest nec debet. Ratio est: Quia potestas ordinis necessaria ad peccati veram remissionem, solis Sacerdotibus conceditur, aut concedi potest in ordinatione sua (ut definitum est in Concil. Trid. *sess.* 14. *can.* 10.) Undè hæresis esset, asserere Laicum peccata remittere posse per potestatem à Christo Joan. 20. concessam. Concil. Trid. sess. 14. can. 10.

Secundo modo, Laicis in extremis periculis frequenter peccatorum confessio facta est, ad præfatos effectus consilij, solatij, & adjutorij.

Resp. 2. Nullatenus peccatorem teneri ad hanc confessionem secundo modo faciendam. Ratio est: Quia nullum extat de hac re præceptum, & si consilium aut adjutorium *Non tenetur peccator laico confiteri.*

rium necessariò interdum requirendum esset; non tamen per hujusmodi Confessionem necessariò requireretur.

Non expedit.

Scot in 4 Dist. 17. num. 17.

Resp. 3. Nullatenus expedire Laico secundo modo prædicto confiteri. Ita *Scotus in 4. Dist. 17. num. 17.* Ratio est: Quia etsi possit talis Confessio interdum per accidens ex prudentia, ac doctrina, sive etiam sanctitate personæ cui fit, aliquid utilitatis conferre: plurimum tamen etiam periculi & detrimenti ex personæ, cum qua conferimus, infirmitate, insufficientia, & imprudentia subesse potest, adeoque nullatenus consulenda. Præterquam quod videamus etiam per ista consilia laicorum, vel personarum non Sacerdotum, cum quibus conversamur, & qui peccatis mederi nequeunt, latebras multas errorum misceri, non sine animarum gravi periculo. Quo spectat in novellis illis Reformationibus quarundam Monialium, imò & in aliquibus antiquis noviter introducta consuetudo, quâ Moniales ad Superiores sivè præfectas, quovis nomine nuncupentur, quasi coguntur accedere ad secreta conscientiæ singulariter manifestanda sub prætextu directionis spiritualis; ex qua, quot anxietates, pericula, turbationes, ob mulierum indiscretiones & passiones nascantur, norunt qui earum regimen administrant. Non nego quidem interdum utile esse, generales quasdam afflictiones declarare ad solatium, & ut iis per viros prudentes provideatur: in particulari tamen & ordinariè secretas tentationes, aut etiam peccata mulieri manifestare, periculosum & damnosum est.

Nota pro Monialibus.

Dices 2. *In c. Fures. de Furtis*, dicitur: Si Presbytero, vel Diacono confessus fuerit, communione non privetur: Ergo Diacono confessio fieri potest, & consequenter Diaconus in hoc Sacramento Judex erit. Resp. neg. conseq. Tantum enim ibi providetur, ut infirmus, quantum fieri potest, sacro Viatico non privetur, sed si Sacerdos adsit, & pœnitentiæ signa ostendat, confiteatur, eique Absolutio, & demum sacra Communio impendatur: Si verò Sacerdos haberi non possit, & Diaconus præsens adsit, si signa contritionis ostendat, quæ volentis confiteri sunt indicia, tamquam impotentis confiteri ob Sacerdotis absentiam, ei sacrum Eucharistiæ Viaticum Diaconus præstet.

Jacob 5. vers. 16.

Dices 3. Jacobi 5. universaliter dicitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra*: Ergò & Laico licet confiteri. Resp. neg. Conseq. Illa enim Scriptura si (prout multi ex Patribus eam interpretantur) de Confessione Sacramentali intelligatur, accommodè intelligenda est: ut nimirum, *Ly, alterutrum*, personis habentibus potestatem absolvendi accommodetur, hoc sensu: Alterutrum: id est, unus alteri potestatem habenti.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit potestas Jurisdictionis in Judicio Sacramentali, & quibus modis acquiratur?

QUuid sit potestas ordinis, & quando conferatur, diximus *Tractatu superiori tit. 1. quæst. 6.* Et quid demum potestas Jurisdictionis, etiam *ibid. quæst. 7.* explicatum est. Modò de ejus multiplici divisione & acquisitione ad majorem dicendorum declarationem, aliquid distinctè decernendum est.

CONCLUSIO I.

Divisiones Jurisdictionum.

JUrisdictionis in Sacramentali foro pœnitentiæ, sequentes divisiones à Doctoribus usurpari solent, videlicet: 1. *Ordinaria, & delegata.* 2. *Universalis, & Restricta.* 3. *Certa, probabilis, dubia*, de quibus omnibus in sequentibus specialiter disputandum est.

CONCLUSIO II.

Jurisdictionis acquisitio.

OMnis Jurisdictio, *sive Ordinaria sive Delegata, externo aliquo actu, vel habitu acquiritur extra Sacramentum.* Conclusio manifesta est: Acquiritur enim vel per electionem ad aliquod officium, vel beneficium: Aut per concessionem aliquam externam verbo, vel scripto factam: Aut per rationabilem usurpationem, sive passionem interpretativam, ut in sequentibus explicabitur. Unde quod à nonnullis Theologis Jurisdictio dicitur inchoativè in Sacramento Ordinis dari, id intelligendum est, non tam de Jurisdictione, quam de potestate Ordinis, quæ ad effectum remissionis peccati prærequiritur, & est Jurisdictionis hujus fundamentum.

QUÆSTIO III.

Quid sit Jurisdictio Ordinaria, & quibus competat?

CONCLUSIO I.

Jurisdictio Ordinaria quæ?

J*Urisdictio Ordinaria dicitur, qua alicui competit ex vi muneris, officii, sive beneficii, ad quod assumitur.* Unde & *Ordinaria* vocatur, quia talibus sic assumptis, semper & ordinariè ipso officio vel beneficio collato, censetur conferri: ut potestas Jurisdictionis Parochi; eo enim ipso quod Parochiale beneficium ei confertur, Jurisdictionem in foro Sacramentali in Parochianos accipit.

CONCLUSIO II.

Judices Ordinarii.

TRiplices sunt judices Ordinarii in hoc Tribunali: *Papa, Episcopi, Parochi.*

Papa enim ex vi suæ electionis in summum Pontificatum, competit Jurisdictio in Ecclesiam universalem, tamquam Ordinario, &

rio & vniversali pastori, ac vicario generali Christi.

Episcopis jurisdictio in suas diœceses, ex vi etiam suæ electionis: *Parocho* in suam parochiam, ex vi legitimæ suæ institutionis. Dixi, *Papa, & Episcopus ex vi sua electionis*: eo enim ipso, quo legitimè electi, & confirmati sunt, etsi consecrationem episcopalem necdum acceperint; si tamen sacerdotes sunt, per se hoc sacramentum ovibus sibi concreditis in foro sacramentali administrare possunt; imò in eodem foro alios delegare. Dico (in eodem foro) in foro enim externo requiritur, ut investiti sint, & possessionem acceperint.

Ratio autem prioris partis est, quia eo ipso, quod quis legitimè ad officium episcopale, sive universalis Ecclesiæ, sive diœcesis est legitimè assumptus, hoc ipso in foro conscientiæ, & sacramentali verè ordinariam jurisdictionem accepit, etsi exterius nonnulla exurgant, quæ impediunt, nè accipiat externam possessionem, ob persecutiones, bella, &c.

Idem dicendum est de parocho, cui verè, & à parte rei collatio parochialis beneficij est legitimè facta; in foro enim conscientiæ, & sacramentali verè pastor est, etsi in foro externo, & contentioso in ijs, in quibus requiritur strepitus aliquis judicialis, vel superioritatis, aliquandò impediatur.

CONCLUSIO III.

Ordinariorum judicum nomen participantes. Ordinariorum præfatorum locum obtinent, & ordinarij vocantur, & habentur, qui ex vi officij, vel beneficij eorum vices gerunt, ut sunt. 1. *Vicarij generales papæ, legati de latere, supremus pœnitentiarius.*

2. *Vicarij generales episcoporum* in utroque foro, & *pœnitentiarius ecclesiæ cathedralis*, ubi pœnitenriaria in officium est erecta.

3. *Vicarij parochiales*, ubi similiter vicaria parochialis in officium, sivè beneficium est instituta, ordinarij sunt: quales sunt *Vicariæ parochiales* ordinum sancti Benedicti, Cisterciensis, ac Præmonstratensis, ubi monasterio beneficium parochiale est annexum, & unitum. Quales etiam sunt *Vicariæ parochiales* capitulorum, sivè Ecclesiarum cathedralium, vel collegiatarum, quibus etiam beneficium est annexum, & unitum. Qui enim à monasterijs, sivè capitulis deputantur, ordinariè quidem ad nutum amovibiles sunt, eo tamen, quo instituuntur, veri ordinarij sunt, & ex vi institutionis jurisdictionem ordinariam subeunt, etsi non perpetuam, nec ad vitam. Est verò ad rationem ordinariæ jurisdictionis impertinens, quod ad vitam perduret, vel non duret; sufficit enim, quod ex vi officij jurisdictio oriatur.

CONCLUSIO IV.

Ordinariorum nomen & participantes. Ordinariorum demùm nomine, & jure censentur, qui in ordinibus exemptis ab episcoporum jurisdictione quasi episcopalem jurisdictionem in suos subditos exercent: & alij, qui ad modum archi-presbyterorum, vel curatorum curam animarum ex vi officij exercere debent.

Generales ordinum. Provinciales. Abbates. Quasi episcopalem jurisdictionem obtinent *Generales, & ordinum capita* in universum ordinem, vel congregationem. Similiter *Provinciales* respectu provinciæ, *Custodes* respectu custodiæ, *Abbates* respectu suorum monasteriorum, prioratuum, præpositurarum, &c.

Guardiani, Priores, &c. Quasi parochialem habent *Guardiani, priores, rectores, correctores*, & alij immediati *superiores ordinum* ratione sui officij: quos tamen reputamus magis archi-presbyterorum, sivè decanorum jurisdictionem habere; quia juxta rationem constitutionum cuiusvis ordinis, singulares habent jurisdictionum prærogativas, etiam in foro conscientiæ, & pœnitentiali, quæ parochorum, sivè Curatorum ordinariâ jurisdictionem excedunt. Quæ omnia juxta ordinis cuiuslibet constitutiones expendenda sunt.

Ratio verò, quare eorum jurisdictio reputetur, & verè sit ordinaria, est: quia ex vi officij illis omninò competit.

Confessarij regularium. Petes: Quo loco habendi sint confessarij, qui juxta *Decretum Clementis VIII. de casuum reservatione* §. 4. in singulis monasterijs à superioribus deputantur ad audiendas regularium confessiones? Respondeo: Non habere potestatem jurisdictionis ordinariam: etsi enim superiorum (qui, ut §. 3. dicitur, confessiones suorum subditorum audire non possunt; nisi quandò peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet sponte, aut proprio motu id ab ipsis petierint) vices subeant: tamen cum illud non sit officium in ordine, quod propriè subditos habeat, tantum delegata jurisdictio censetur.

Instructores novitiorum. Nec maioris conditionis in ratione Sacramenti pœnitentiæ in ordine Minorum regularis observantiæ sunt novitiorum, clericorum, juvenum, & laicorum instructores, quibus jurisdictio competit ex consuetudine ad audiendas suorum, quos instruunt, confessiones. Etsi enim instructorum munus officium sit, ex vi tamen officij illius jurisdictio ipsis non competit; sed tantùm ad aliquam congruitatem annexa est, ut in spiritualibus illis meliùs consolere possint. Habent se itaque confessionis respectu eo modo, quo alij confessarij pro monasterio deputati, adeòque jurisdictio illa confessiones audiendi omninò disparata est, & de facto ab instructore manente cu-

rà instructionis separari potest per superiorem.

Confessarij monialium. Petes 2. Quo loco habendi sunt confessarij monialium? Respondeo: Ubi confessarium esse, est officium à capitulo determinatum, & institutum; confessarij sic instituti ordinariam potestatem jurisdictionis habent. Ratio est: quia supposito, quod sit officium, ex vi eius jurisdictio oritur, cum ad illud principaliter, & non ad aliud sit ordinatum. Dico (supposito quod officium sit) sæpè enim tantum deputati, & delegati sunt ad nutum, & voluntatem superiorum, sine aliqua singulari institutione. De quibus omnibus judicium sit peues praxin, & modum, quo illis ista jurisdictio committitur.

CONCLUSIO V.

Ordinarij in articulo mortis. **A**D *ordinariam potestatem jurisdictionis pertinet cuiuslibet sacerdotis, etiam simplicis, jurisdictio in articulo mortis.* Potest enim tunc quivis sacerdos, etiam excommunicatus, absolvere ab omni peccato. Ratio verò, cur ad potestatem ordinariam revocetur, est: quia etsi ex officio non competat, omnitamen sacerdoti jure divino decreta est, ita immutabiliter, ut nec eam Romanus Pontifex suspendere possit, ex CHRISTI redemptoris institutione: ut traditione ab initio Ecclesiæ constat. Quamvis enim aliqui ad jus positivum ecclesiasticum reducere velint, id credibile non est; cum sit potestas invariabilis, nec illius initium reperiri possit, sed necessitati extremæ ità competit, ut ex illius visceribus quasi oriatur. Undè nec placet, quod *Hieronymus Llamas* 1. p. *methodi cap. 6.* §. 4. excludat sacerdotem hæreticum ab hac jurisdictione: si enim verè consecratus sacerdos fuerit, nec alius adsit, jure divino illi competit, & salvo errore aliquo in administratione sacramenti, illud tunc validè administrabit.

Nè verò hanc doctrinam iterum cogamur alibi repetere: advertendum est, eam non eodem modo ab omnibus proponi. Non enim desunt plures, qui tantam, & tàm ordinariam agnoscunt in hoc casu simplicis sacerdotis jurisdictionem, & auctoritatem, ut nec *ordinaria* proprij sacerdotis, nec cuivis *delegata* alterius legitimè approbati cedat, ita ut simplex sacerdos in dictis articulo, vel periculis, etiam præsente proprio sacerdote, vel aliàs delegato, confessionem cuiuslibet audire, & ab omnibus casibus absolvere possit. Fundamentum principale desumere conantur ex *Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7.* ubi de hac potestate, & jurisdictione sic loquitur: *Veruntamen pie admodum, nè hàc ipsâ occasione aliqui pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideò omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt.* Ubi expendunt istas particulas generales, *omnes sacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibusvis peccatis:* quæ ita universaliter concludunt, ut alia omnia excludere videantur: etiamsi sacerdos proprius, vel alius delegatus adesset. Ita *Navarrus in consil. 15. de Pœnit. & remiss. num. 6. Emanuel Sa, V. Absolutio.* Verum etsi nolim huic sententiæ derogare, quin probabilis sit; non puto tamen omninò in his Concilij verbis benè fundatam. Quæ verba, ut benè intelligantur, hæc sequentia adnota.

In articulo mortis undè auctoritas sit plus sacerdoti? *Concil. Trident. sess. 14. cap. 7.*

1. Concilium supponere hanc jurisdictionem simplicibus sacerdotibus competere jure divino ex antiquissima traditione. *Veruntamen* (inquit) *piè admodum in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit.* Quibus verbis indicat, non fuisse per Ecclesiam decretum, sed ut traditum, seu ut una ex traditionibus custodita.

2. Causam huius traditionis fuisse extremam necessitatem. *Nè hàc ipsâ* (inquit) *occasione aliquis pereat,*

3. Addit, ad subveniendum huic necessitati; *atque adeò omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes, à quibusvis peccatis, ac censuris absolvere posse.*

Ex quibus sic formo argumentum: concessa est traditione antiquissimâ à CHRISTO jurisdictio, & potestas omnibus sacerdotibus, non solùm proprijs, aut delegatis; sed etiam simplicibus aliàs non approbatis, absolvendi à peccatis quoslibet pœnitentes in casu necessitatis, articuli, vel moralis periculi mortis, *nè aliquis pereat.* Atqui præsente proprio, aut delegato nullum est periculum, nè anima pereat, cum possit illis confiteri: Ergò in hoc casu illis præsentibus ista jurisdictio concessa non est, cum nulla supponatur ex defectu ministrorum approbatorum necessitas.

Quo casu possit pœnitens in periculo mortis confiteri simplici sacerdoti. Dices: Potest ex alio capite oriri necessitas, ut quod pœnitens nolit, aut rationabiliter non possit in tali periculo confiteri proprio, aut alteri delegato; sed magis simplici sacerdoti, adeoque simpliciter omnibus Ecclesiam in hoc casu dedisse jurisdictionem ad plenionem libertatem.

Respondeo Ecclesiam id posse, & fortè fecisse: non constare tamen ex istis verbis Concilij, quæ nullam concessionis ecclesiasticæ faciunt mentionem, sed tantum traditionis in Ecclesia Dei constitutæ, & fundatæ in vera necessitate, nè ex defectu potestatis, sivè jurisdictionis aliquis pereat. Undè concludo, quod prima jurisdictio ex antiqua traditione proveniens, est ordinaria: Altera autem, quæ est ab Ecclesia superaddita, est delegata, sed de ea mihi non constat. Quamvis ubi pœnitens rationabiliter nollet, aut non posset ordinario, aut dele-

gate

gato præsenti confiteri, simplicem Sacerdotem habere Iurisdictionem eâdem Traditione crederem, quia causa illa includeret causalem additam: *Ne anima pereat.* Censeo ergò in articulo illo in omnibus favendū esse Pœnitenti: quia Traditio in ejus favorem est quæ non censetur coarctanda, sed potius amplianda.

Quid censeatur mortis periculum. Periculum mortis iminens æquamus articulo, ut in ingressu periculosissimæ pugnæ in bello, in ingressu longissimæ & periculosissimæ navigationis, & instante partu mulieris, &c.

CONCLUSIO VI.

Quibus modis subjiciatur Pœnitens Confessario TRibus ferè modis subjecto ad habentem Iurisdictionem Ordinariam in Pœnitentibus nascitur: Nimirum, 1. Ratione Domicilij, aut quasi Domicilij 2. Iuris Dispositione, vel interpretatione. 3. Privilegio Status.

§. 1.

De habentibus Domicilium in locis diversis. RAtione Domicilij, aut quasi Domicilij Parochorum ordinariæ Iurisdictioni subjiciuntur, qui intra limites Parochiæ Domicilium, vel quasi Domicilium obtinent, id est, Familiam, & habitationem habent, vel saltem ubi majori ex parte anni habitant. Ex quibus resolvuntur sequentes casus.

1. Qui enim habet duo, vel plura verâ Domicilia in diversis Parochijs sita, in quibus fixè, vel æquè fixè habitat, in quot Parochijs fuerint illa Domicilia, tot Parochis tamquam Ordinarijs subditur, à quibus quando placuerit, absolvi potest: Ita, ut quamvis *Ex g.* Gandavi tempore Paschatis habitet, si tamen habeat alterum fixum Domicilium Ruri, non tantum à Pastore Civitatis Gandensis potest recipere beneficium Absolutionis, sed etiam Parochò Gandensi relicto, potest absolvi à Pastore rurali in quo alterum domicilium habet. *Ita Navarrus c. Placuit num. 77. cum Antonino, Paludano* & alijs. Ratio est; Quia ratione utriusque domicilij utrique Pastori subjicitur, & in illum ipsi Iurisdictionem Ordinariam acquisiverunt. Nec obstat quod ille jam actu commoretur, & sit Gandavi: Cum enim administratio hujus sacramenti Iudicialis, non fiat cum pompa, aut strepitu, à loco est independens, ideoque modo in Parocho sit verà Iurisdictio, in alieno etiam territorio administrari potest in subditum, ut postea dicetur. Aliud est de Viatico, quod cum solemnitate deferri, & alijs actibus solemnioribus administrari debet.

De habentibus quasi Domicilium. 2. Qui habet in uno loco verum Domicilium, in altero autem loco quasi Domicilium, potest liberè similiter ab alterutro Parocho Absolutionis beneficium recipere ad suum beneplacitum. Ille verò dicitur in aliquo loco habere quasi Domicilium, qui etsi in illo loco verè & fixè non habitet, agit tamen ibi magnâ parte anni ratione alicujus administrationis vel negotij, ut Mercator externus in aliquo Emporio, Studiosus in Vniversitate, Aulicus aliquis in Curia. Qui omnes possunt liberè suscipere Sacramenta in suo quasi domicilio ab illius Parocho, sive Ordinario.

§. 2.

Ordinarius Iuris Dispositione, vel Interpretatione. IVris Dispositione, sive Interpretatione Ordinarium Iudicem nanciscuntur 1. *Iter Agentes & peregrinantes*, qui possunt confiteri Parocho loci ad quem perveniunt tempore quò Sacramenta sive ex obligatione, sive ex devotione suscipere volunt, modò non fiat in fraudem. Et ita etiam in Confessione annua declaravit *Eugenius* IV. Quod vltimum intelligendum est, quando tempore quo deberent satisfacere præcepto Confessionis & Communionis Paschalis, in suo domicilio commodè esse non possunt.

Ratio verò sumenda est ex Iuris interpretatione benigna de justo & æquo: Qui enim dum in sua Parochia, sive Domicilio est, Ius habet ut Sacramenta ex devotione vel necessitate suscipiat, si à Domicilio suo egrediatur, Ius illud non amittit, & cum à proprio Pastore non possit illa commodè suscipere, censetur de bono & æquo Pastor suam ovem hoc Iure privare nolle, nec justè, aliquâ causâ speciali non subsistente, posse: unde & censendus est ex tacito consensu, velle ut ab Approbato idoneo ordinaria Sacramenta pietatis, & necessitatis illi administrentur: Necessarium verò est, ut tempore præcepti adimplendi illa suscipiat: Congruum etiam, ut occurrente devotione ab illis non abstineat.

Dixi (*non subsistente aliqua speciali causâ*) potest enim subsistere aliqua causa cur nolit proprius Parochus justissimè huic Sacramenta ministrari, utiquè, quia publicè alienorum detentor, maledicus, scandalosus, vel alias repulsus, & judicatus positivè indignus.

Item: Potest prohibere nè his & illis Pastoribus confiteatur, quia ignaros novit, aut Sacramentorum administratione non benè fungentes.

Dixi etiam (*Ordinaria Sacramenta pietatis, vel necessitatis*) videlicet Pœnitentiam vel Eucharistiam, & in extremo vitæ Extremam Vnctionem: Alia enim Sacramenta simpliciter iter agentibus hoc solo titulo conferri non possunt.

Dixi (*modo non fiat in fraudem*) In fraudem autem fieri dicitur, quando principali intento fit recursus ad alienum ad evitandum proprium. Potest enim quis indirectè uti ista libertate sua vel ex devotione, vel pro

pro fructu maiori animæ & conſcientiæ, ex occaſione ſe aliundè offerente, & hic non cenſetur facere in fraudem. Explico: Aliquis peregrinatur ad locum aliquem in quo ſpecialiter Sacræ Reliquiæ coluntur, vel eſt Indulgentia ſingularis, aut etiam ſolemnitas, ad quam ſolent ex variis locis concurrere, occaſione autem accepta ut ſit melius diſpoſitus, aut maiori devotioni aut conſcientiæ quieti ſatisfaciat, adit Parochum loci: Ille non cenſetur facere in fraudem (& ſi aliud iuſte non obſit) poteſt ibi confiteri Parocho, imò & aliis Approbatis? ex rationabili interpretatione conſenſus Ordinariorum. Aliud eſt ſi malitiosè, & ex principali intento ad proprium Parochum vitandum id faceret.

Dico (*alicui approbato*) ſi enim non tantum approbato, ſed & delegatam Iuriſdictionem (vt Fratres Mendicantes habent) habenti confiteretur, poteſt ex directa & principali intentione id facere, etiam abſquè alio prætextu.

Idem cenſendum eſt de Religoſo qui mittitur à prælato ad iter cum aliquo Confeſſario approbato, qui non eſt deputatus pro Conventu. Poteſt enim vti libertate occurrente ad ei confitendum, nec cenſetur facere in fraudem, quia non facit ex intento principali, ſed occaſione ſeſe offerente utitur ad conſolationem ſuam.

De Religioſis in Conventibus externis, confiten tibus.

Petes: An Religoſi tranſeuntes per Conventus alios ſui Ordinis ſivè propriæ, ſivè alienæ Provinciæ, poſſint cuilibet Sacerdoti approbato, quamvis non expoſito ſivè deputato ad Confeſſiones Fratrum audiendas, confiteri?

Reſp. 1. Iure communi non poſſe. Ratio eſt: Quia iter agentes non fiunt per hoc melioris conditionis quam domi manentes ſivè in conventibus habitantes, Conſtat autem eos qui in conventibus habitant id non poſſe. Nec valet, quod in itinere exiſtenti permiſſum ſit cuilibet Approbato confiteri, hoc enim fit in gratiam Sacramentorum, & itineris ſolatium congruum aut neceſſarium, ex eo quod ibi nulli deputati cenſeantur: Cum verò in Conventibus ſunt, Conventualium rationem & regimen ſortiuntur, niſi de jure ſpeciali, Conſuetudine probatâ, vel Superiorum mente aliud conſtet.

Dixi (*Iure communi*) hoc enim per Innocentium VIII. antiquo Jure ordinatum eſt, vt Religoſi non confiteantur niſi approbato & deputato, ſivè inſtituto à Superioribus.

Et Clemens VIII tales pro ſingulis Conventibus deputari mandat, qui omnium confeſſiones audiant.

Dixi (*niſi Iure ſpeciali, Conſuetudine probata, vel Superiorum mente aliud conſtet*)

1. Enim Iure Speciali conſtat in actuali itinere exiſtentes extra conventus, licere Fratribus (ſi proprij Ordinis approbatum confeſſorem non habeant) confeſſario cuilibet idoneo, vel ſæculari, vel alterius Religionis confiteri, modò non fiat in fraudem & ſuo poſtcà Superiori indicent. Quæ quidem inſinuatio facta Superiori de aliqua ratificatione intelligenda non eſt, ſed tantùm à Summis Pontificibus hoc additum eſt, vt ſervetur obedientia ad Superiorem & ſuperior in genere ſaltem cognoſcat, qualiter Sacramenta ſuis ovibus adminiſtrentur. Vide Privilegia.

Alia pertinent ad jus ſpeciale elegendi Confeſſarios, de quibus dicemus poſteà cum agemus de poteſtate Iudicum ſubdelegatorum.

2. *Conſuetudine probatâ* aliquid fieri cenſendum eſt, quandò ab omnibus Timoratis & Doctis communiter ſinè aliqua nota, ſcientibus Superioribus, & non contradicentibus, obſervatur.

3. *De mente Superioris* id fieri ſimiliter iudicatur, quandò juxtà rationem perſonarum & actionis, de bono & æquo Superiorem id voluiſſe, vel ſi adeſſet, conſenſurum eſſe morali certitudine credimus.

Quomodo 1. Si duo eiuſdem Conventus Confeſſores approbati quamvis non ad hoc munus actualiter in Conventibus deputati ſimul iter faciunt, cenſetur Superior proprius illis concedere licentiam vt invicem abſolvant, & Sacramenta adminiſtrent, etiamſi per alios Conventus iter faciant. Quia cum ſub eius Iuriſdictione actu permaneant, illos ſibi invicem ſubjicit in iis quæ forum externum, & ſtrepitum aliquem iudicialem non requirunt. Undè & tales non tenebuntur deputatis Confeſſariis Conventuum per quos tranſeunt, ſed ſibi invicem poterunt confiteri, niſi proprio Privilegio cedentes, communi Iuri ſe accommodare voluerint, & deputatos Confeſſarios adire.

2. Si in Conventu ex deputatis nulli ſint, vel alias ita manifeſte impediti fuerint, ut Confeſſionem alicuius audire non poſſint ex eadem interpretatione non modo externi, ſed etiam conventuales, aliquem ex Approbatis non deputatis, eligere poſſunt: Quia cenſetur hoc omnino velle Superior, qui non vult ovem ſibi ſubditam Sacramentorum ordinariorum uſu privari: Quod maximè intelligendum venit ſi obvius & commodus non pareat ad Superiorem recurſus pro licentia poſtulanda. Quamvis putarem ex tam rationabili interpretatione etiam ſine ulla licentiâ actu poſtulata, id fieri poſſe.

3. Religoſi in Conventibus ſivè Monaſteriis alterius Ordinis per quæ tranſeunt, non tenentur deputatis à ſuperioribus illius Ordinis, & Monaſterii confiteri: Ratio eſt: Quia ex mente Superiorum cenſentur remanere Religoſi iter agentes inter terminos Iuris & Privilegiorum Itinerantium, nimirum ut poſſint cuilibet Approbato, ſivè etiam idoneo confiteri;

cum

cùm non sint in loco Iurisdictionis sui Ordinis, nec alienæ Iurisdictionis decretis ligentur.

Petes: Quid intersit inter Approbatum à Superioribus, & inter Deputatum? Resp. in hoc distingui Approbatum tantum à Superioribus, & Deputatum quod Deputatus actualem Iurisdictionem habeat, ut actualiter se exponat, & munus Confessarij exerceat, super accedentibus ad illum: Approbatus autem & non Deputatus præter testimonium idoneitatis Iurisdictionem tantum in habitu possideat, ut, nimirum, possit deputari, aut ab habentibus facultatem in Confessarium actualem eligi.

Appendix.

HÆc itaque quæ dixi, iuxta Ius commune & doctrinam communem dicta sunt: omnia tamen regulari debent iuxta particulares Religionum probatas consuetudines, Præcepta, vel Statuta.

§. 3.

Quis Confessarius vagorum.

AD Iuris *Dispositionem seu interpretationem communem* spectat Vagorum Sacerdos proprius & ordinarius, quia nullus determinate talis est; sed is dumtaxat cui se subiecerint, sive sit Ordinarius in loco, sive Delegatus. Vagi autem nuncupantur, qui nusquam Domicilium, vel quasi domicilium, obtinent; sed quò fert arbitrium illuc vadunt, & in continua velut peregrinatione sunt. Unde à Concilio Trident. *sess.* 24. *cap.* 7. dicuntur *incertas habere sedes*.

Concil. Trid. sess. 24. cap. 7.

Hi itaq; in quocumque loco existant tempore quo Sacramenta recipere aut debent, aut volunt, à loci Parochis aut alijs Delegatis recipere poterunt, cùm nullus eorum Ordinarius sit & determinatio Ordinarij per domicilium vel quasi domicilium locum in illis non habeat; nec per hospitium unius aut alterius diei domicilium, vel quasi domicilium acquisivisse censeantur, quidquid de actuali in loco existentia dicat Soto & Silvester.

Dices: In casu necessitatis Pastor loci in quo sunt, tenetur illis Sacramenta administrare: ergò est ipsis Ordinarius. Resp. non teneri ex iustitia, sed tantum ex charitate, idque sub peccato mortali, tum ratione necessitatis in qua præceptum urget, tum ratione loci in quo Ordinarius Sacramentorum Administrator est, & consequenter existenti in loco succurrere debet.

§. 4.

Ordinarius ex Privilegio Status, aut Muneris.

PRivilegio *Status* Ordinarium nancisci censentur qui alicui Statui, Familiæ Convictui uniuntur, cui ex Privilegio competit ut Superior illius, Ordinarij potestate in Statum, Familiam, vel Convictum gaudeat. Sic qui Militiæ adscribitur, Capellanorum militum Iurisdictioni in hoc Tribunali tamquam ordinariæ, subijcitur.

Concil. Trid sess. 24 cap. 11

Qui Novitiatum in aliquo Ordine assumunt, tempore Novitiatus Superiorem Monasterij pro Ordinario habent. Qui ad Famulatum intra Monasteria assumuntur, vel ad continuam mensam sive convictum sicut continui commensales, Ordinarium Superiorem loci sortiuntur.

Item: Qui ad Cardinalium vel Episcoporum familias admittuntur; ipsis ut Ordinarijs subiacent.

Item: Sæculares Parochiani sub Monasteriorum Iurisdictione temporali & spirituali existentes. Vbi scilicet Abbates Generales, aut Capita Ordinum degunt &c. Vide Trident suprà & alia similia apud eos qui de Privilegijs tractant.

Appendix.

EX suprà dictis patet 1. Qualiter *Ordinarius*, & *Proprius Iudex* interdum confunduntur, & pro eodem accipiantur, interdum verò distinguantur. Distinguuntur enim, si *Ordinarius* ille dicatur qui quovis modo Potestatem Ordinariam acquirit: *Proprius* verò qui immediatam, ita ut per Proprium significetur qui immediatus est Pastor.

In *Cap.* tamen, *Omnis utriusq; sexus*, ille generaliter ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ *Proprius Pastor* dicitur, qui veram & non impeditam Iurisdictionem habet in Pœnitentem, sive Ordinaria sit præcisè, sive à quocumque Ordinario commissa. Eo enim ipso quo Pontifex vel Episcopus dat Iurisdictionem in suas oves, facit illum ipsis quasi *Proprium* sive Locum-tenentem *Proprij*.

Patet 2. Quemlibet Iudicem Ordinariâ potestate fungentem ubicumque repererit ovem suam, illam posse à peccatis absolvere. Etsi enim Ordinaria Potestas per loca interdum designetur, in hoc tamen Tribunali non coarctatur aut limitatur, quia hoc Iudicium sine strepitu administratur.

TITVLVS. II,

De Potestate sive Iurisdictione Delegata, & Iudice Delegato sive Commissario.

QUÆSTIO. I.

Quid sit Iurisdictio Delegata, & quis Iudex Delegatus censendus sit?

CONCLUSIO UNICA.

IVrisdictio *Delegata dicitur, quia in Pœnitentem acquiritur non ex Vi Officij, aut Beneficij.* *Iurisdictio Delegata.*

sed ex commissione alicuius qui Ordinariam iurisdictionem habet. Et consequenter : Ille dicitur Iudex sive Confessarius Delegatus, qui non ex vi Officij, Beneficij, aut Muneris alicujus habet Iurisdictionem in Pœnitentem, sed ex commissione alicujus Ordinariam Potestatem habentis. Tales sunt Confessarij Sæcularium in Ordinibus Mendicantium, & alij qui ab Episcopis ad confessiones audiendas exponuntur. Tales sunt etiam Religiosi expositi à Superioribus Regularibus pro suis subditis.

QUÆSTIO. II.

Quis possit delegare?

Conclusio Vnica.

Ordinarius solus delegat.

OMnis & solus qui proprie dictam Iurisdictionem Ordinariam habet ex vi sui muneris, suam iurisdictionem delegare potest respectu ovium sibi concreditarum, quamvis non eodem modo omnes.

Dixi (*Omnis & solus qui Iurisdictionem Ordinariam habet*) qui enim Ordinariam Iurisdictionem non habet, nequaquam Delegare potest, cùm si quam habet, illam ex aliena voluntate censeatur habere.

Dixi (*ex vi sui muneris*) potest enim quis delegatus habere commissionem subdelegandi, sed quia hoc ex voluntate Ordinarij procedit, nec ex suo munere id facere censetur, cùm ex commissione fiat delegatio, reputatur fieri ab Ordinario mediante Delegati ministerio.

Dixi (*quamvis non eodem modo*) Papa enim & Episcopus, vel qui quasi Episcopalem auctoritatem habent, possunt approbare simul & delegare : Parochus autem delegare non potest nisi Approbatos ab Episcopis, vel à Papa

Dixi (*qui proprie dictam Iurisdictionem Ordinariam habent*) propter Pœnitentiarios Papæ & Episcoporum, qui ex vi suæ Pœnitentiariæ simpliciter delegare non possunt, quia propriè dictam Jurisdictionem Ordinariam non habent; sed magis Commissariam, quæ solùm Ordinaria dicitur, quia hæc Commissio Officio Ordinario est annexa. Distinguitur tamen ab Ordinaria, quod Ordinaria velut in fonte in Officio residet: hæc autem sit purè ex voluntate committentis Officio annexa. Item, quod Ordinaria oriatur ex cura animarum: hæc autem non tam curam animarum dicat, quàm circa animas commissum exercitium.

Dices: In Jure Communi Delegatus ad universalitatem causarum censetur subdelegare posse: ergò & in foro Pœnitentiæ.

Resp. neg. Conseq. & paritatem: Qui enim delegatus est in Jure & foro contentioso ad universalitatem causarum, non modò potest, sed etiam tenetur causas omnes audire, & personæ, propter quas est delegatus, non tantum possunt, sed etiam tenentur illum accedere; cùm autem ob multitudinem personarum & alia impedimenta non possit omnia iudicia per se ipsum agere, ex interpretatione Iuris alios censetur posse delegare. Aliud est in foro Pœnitentiæ : cùm enim Delegatus per Delegationem sibi factam tantum accipiat ut possit Confessiones audire & absolvere, non tamen teneatur, & personæ propter quas delegatus est possint alios Iudices adire si velint : idcirco hæc subdelegandi potestas quoad hoc forum non censetur illi concessa nisi exprimatur.

Casus in quo Subdelegatus potest delegare.

Dico (*nisi exprimatur*) quandoque enim exprimitur, imò etiam in aliquo casu sic interpretanda esset ex rationabili & necessaria Epikeia, Ex. g. Parochus aliquis infirmus, vel absens assumpsit aliquem approbatum, quem delegavit ut suos Parochianos in Paschate audiat ad implendum præceptum Communionis, interim delegatus non invenit se sufficientem multitudini, ita ut competenter illi satisfacere valeat : si ipsi in loco occurrat aliquis similiter approbatus qui possit & velit illum juvare, nec pateat facilis recursus ad Parochum, ex iusta interpretatione potest illum subdelegare : quia qui eum delegavit, noluit illum ad impossibile, aut tam difficile arctare, sed supponitur velle ut congrue suis ovibus satisfieret; qui enim vult finem ex obligatione, eadem obligatione censetur velle media congrua ad finem. Quod valdè notandum est pro nonnullis Capellanis delegatis à Pastoribus in absentia illorum, qui interdum illo tempore non sufficiunt ut tantam multitudinem audiant : imò occurrit casus in quo personaliter sive per se aliquem Parochianum audire vel non debent, vel non expedit; utpotè si complex esset, aut in notitiam complicum ex Confessione devenire deberet. Crederem enim quod Delegatus occurentem Approbatum subdelegare posset supradictâ ratione.

QVÆSTIO. III.

Quot modis soleat Iurisdictio delegari?

Conclusio I.

Delegatio duplex.

DUpliciter dicitur Iurisdictio delegari, Directè nimirum, & Indirectè. Directè dicitur alicui Iurisdictio delegari, quando alicui committitur ut per se & directè Pœnitentes absolvat : & hæc soli Sacerdoti fieri potest, qui Potestatem Ordinis habet. Indirectè vero aliquis delegari censetur, quando alicui conceditur, ut aliquem nominet, vel eligat, sivè ut ab eo absolvatur, sive ut alios absolvat. Et quamvis hæc delegatio in solum Sacerdotem terminetur aut cadere possit, mini-

ministerium tamen mediatum hujus Delegationis fieri potest per Laicum, imò Fœminam. Hoc modo aliquandò Laico permissum est, ut Confessarium quemcumque de Approbatis eligat Item Abbatissis & Superioribus Monialium interdum conceditur, ut Confessarios pro suis Monasteriis assumant, & nominent. Illa porrò electio aut nominatio non est Delegatio proprie dicta, sed nominatio sivè designatio personæ, ita ut ad illam designationem sivè nominationem, aut electionem (quocumquè nomine nuncupetur) Delegatio fiat ab habente Potestatem quâ mediante sic nominatus sive electus, delegatur. Dicitur autem *Indirecta*, quia altero mediante fit, & non ad nominantem, sed ad nominatum dirigitur.

CONCLVSIO II.

DElegatio Iurisdictinnis tribus modis consuevit fieri: nimirum: *A Iure, vel Privilegio, A Consuetudine recepta & approbata, Ab homine.*

Delegatio à Iure vel Privilegio. *Delegatio à Iure vel Privilegio* fieri censetur, quandò per aliquem Iuris Canonem, Legem scriptam, sivè etiam Privilegium fit. Et 1. ad hunc modum pertinent celebres illæ Delegationes Fratrum minorum & aliorum Mendicantium, tum in Iure ut in *cap. dudum de sepulturis*, tum in Privilegijs & Bullis Pontificum scriptæ, in quarum virtute Confessiones audiunt, & Pœnitentes ad se undiquè venientes absolvunt.

Greg. 9. c. 16. de Pœnit. & Remiss. lib. 5 tit. 38. 2. Ad hanc Iuris Delegationem quamvis indirectam pertinet Electio Confessariorum à Iure certis personis permissa, ut à *Gregor. 9. cap 16. de Pœnit. & Remiss. lib. 5. tit 38. Ne* (ait *pro dilatione Pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis & alijs Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam, providum & discretum sibi eligere possint Confessorem.*

Vbi sub nomine Episcoporum (*iuxta Angelum*) comprehenduntur Cardinales, quorum in Ecclesia maior est dignitas; similiter Archiepiscopi, Patriarchæ, Primates: comprehenduntur etiam qui quasi Episcopalem auctoritatem in suos sortiuntur, ut Generales Ordinum, Provinciales, Abbates; unde specialiter additum est, *& alijs Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis,*

Nomine verò Minorum Prælatorum exemptorum intelliguntur Guardiani, Priores, Præpositi & alij Superiores, qui aliquam veram Iurisdictionem Ecclesiasticam habent in foro externo nec alicui Episcopo subjiciuntur, sicut sunt in Religionibus Exemptis.

3. Huc etiam pertinet Electio Confessarij quæ fit à summo Pontifice pro persona sua, quæ à Iure Divino censetur procedere; cùm enim nullum Superiorem habeat, & peccator sit; potest quemcumque eligere pro Confessario, cui ex hac ipsa ratione confert Jurisdictionem ipse ipsum.

4. Ad Iuris Delegationem etiam pertinet; Electio Sacerdotis alicuius approbati quando proprius Sacerdos est totus ignarus, & notoriè imperitus in ijs quæ sunt sui muneris, & quando ab illo vel Superiore petita est licentia, licet non obtenta. Hoc Ius colligit Navarr. ex *Vrban 2. cap. Placuit de Pœnit. Dist 6.* ubi sic loquitur Pontifex: *Placuit ut nulli deinceps Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad Pœnitentiam suscipere, sine ejus consensu cui prius se commisit,* (id est cuius Subditus sive Parochianus aut quasi Parochianus fuit) *nisi pro ignorantia illius cui Pœnitens prius confessus est, &c.* *Nota. De Confess. factu notorie ignaro.* *Vrb. 2. c. Placuit, de pœnit. Dist. 6.*

Et sic exponitur & præsupponitur in *cap. Sacerdos. ibid. ex Gratiano: Quod autē dicitur, ut Pœnitens eligat Sacerdotē scientē ligare & solvere, videtur esse contrarium ei quod in Canonibus invenitur, ut nemo videlicet, Parochianum alterius iudicare præsumat: sed aliud est, favore vel odio proprium Sacerdotem contemnere, quod sacris Canonibus prohibetur; aliud, cæcum vitare, quod hac auctoritate quisque facere monetur: ne si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadant.* *Matth. 15 Vers. 14*

Dixi (*notoriè imperitus & ignarus*) non enim cadit in quemlibet Pœnitentem, iudicare de idoneitate & scientia sufficienti Confessarij, nec quælibet suspicio, phantasia, vel timor, aut alicuius articuli ignorātia etiam deprehensa sufficit: sed debet esse ignorantia communiter nota, & in varijs sine tergiversatione experta.

Et ita cum *Navarro* sensit *S. Thomas in 4. dist. 17. art. 2 quæst. 1 & 4. Medina Cod. de Pœnitentia quæst de multiplici licentia confitendi Silvester V. Confessio 1. quæst. 18. & alij.* Non desunt tamen qui contrarium sentiant, sed hæc est verissima sententia quæ autoritate Canonum nititur, & ipsâ fundamentali ratione, quod Iudex totus ignarus, pro non Iudice censeatur. Quod autem de licentia petenda superiùs dictum fuit, etiamsi non obtineatur, id etiam intelligendum reor, quandò commodè postulari, & sine aliquo detrimento potest, ut sunt aversiones graves Sacerdotis proprij, odia, detractiones, &c. Si enim absque gravi detrimento licentia peti non potest, à petitione huiusmodi eodem Iure censebitur quis absolutus.

5. Ad Iuris etiam delegationem supracitati revocant, quandò certò moraliter constat, ex Confessione proprio Sacerdoti facta vel Pœnitenti, vel Confessario imminere grave periculum vel damnum, aut etiam ruinam, vel lapsum in peccatum mortale: *Ex. g.* Mulier cognoscens Sacerdotem sollicitatorem ad peccatum carnis, aut multum infirmum; quia id experta est in se, vel in alijs. *Item,* se etiam multum infirmam & proclivem, ita ut se, & Sacerdotem hujusmodi periculo exponat si peccata carnis confiteatur: vel omninò potest, & debet tacere illud

peccatum, si tali velit confiteri: vel (si alium delegatum non habeat) potest eligere quemcumque aliàs approbatum, ex verâ interpretatione Juris.

Et hæc est ratio cur non permittantur Concubinarij aut Complices audire suas Concubinas, sive eas quæ cum illis peccaverunt: Quia moraliter vix fieri potest, quin ad invicem moveantur, & exponant se recidivæ, maximè si simul communiter & frequenter conversentur, nec censentur habere debitam à peccato aversionem: Si tamen veram haberent aversionem à peccato, & firmum propositum fecissent de cætero non peccandi, nec esset ullum periculum alicujus recidivæ aut damni; posset utique qui peccavit, suo Ordinario quantùmvis complici confiteri, & ab illo valide absolvi; nisi aliunde prohibitum esset, & in hoc suspensa aut ablata ejus Jurisdictio; ut in aliquibus Diœcesibus, & in hac Gandensi factum ab Episcopis audimus, qui suspenderunt omnem Jurisdictionem à suis Parochis & Sacerdotibus in absolutione peccati carnis circa Pœnitentes cum quibus peccaverunt. Sed consulenda sunt verba Ordinationis eorum.

Nota pro Pænitentibus. Adverte tamen ut suprà, non quemlibet timorem, suspicionem, aut levem experientiam esse sufficientem ut possit quis alium eligere, sed requiri nonnullam certitudinem moralem ex factis plurimis, aut ex actuali lapsu provenientem. Unde non sufficit ad declinandum à proprio Parocho, aliqua visa vel experta levitas ex potu, vel passione: quamvis & ista magnam inducere debeant cautelam, & ubi liberè possunt à talibus Confessarijs declinare, suadentur Pœnitentes.

CONCLUSIO III.

Delegatio à consuetudine. **D**Elegatio à Consuetudine probata fieri censetur, quando communiter aliqui consueverunt eligere Confessarios approbatos scientibus Superioribus; tunc enim censentur tacitè consensire, & hujusmodi Jurisdictionem delegare. Unde benè advertendum est, hanc Delegationem non fieri à consuetudine precisè (non enim nudâ consuetudine Jurisdictio acquiri potest) sed fit à tacito consensu, & delegatione tacita eorum ad quos Ordinaria Jurisdictio pertinet. Dicitur verò fieri à consuetudine, quia taciti consensus & delegationis consuetudo, est testis & signum moraliter certum.

Hac auctoritate eligendi quemlibet Confessarium approbatum gaudent Parochi, & communiter Sacerdotes Unde sibi invicem, aut alijs approbatis ex consensu tacito solent confiteri, & de facto confitentur. Fundatur hic consensus, quia ordinariè sunt soli, aut si aliquos Capellanos in sua Parochia habent, ob causas obligari ad confitendum illis, rationabiliter non possunt.

CONCLUSIO IV.

Delegatio ab Homine. **D**Elegatio ab Homine fit, quando singulariter ab habente Jurisdictionem Ordinariam committitur verbo, scripto, vel alio signo patente. Sic Episcopi Sacerdotes delegare solent, & superiores Regulares suos Religiosos.

Petes 1. An ad hanc Delegationem sufficere aliquando possit præsumptio, sive interpretatio voluntatis sive facultatis Superioris.

Resp. Si hæc interpretativa facultas fundetur in multum probabilibus conjecturis & signis quodammodo certis, quod talis voluntas sit Superioris in præsenti, tunc posse sufficere. Ratio est: Quia talis interpretatio habet rationem signi in casu sufficienter manifesti. *Ex. g.* Quidam Confessarius approbatus transiens per aliquod Monasterium Monialium reperit aliquam gravissimè afflictam, & in magno periculo, eò quod ex phantasia, vel aversione, vel aliqua infirmitate etiam sine culpa Confessarij, non potest illi confiteri, sed facit confessiones malas, indignè communicat, &c. nec datur ad Superiorem commodus accessus, vel non est conveniens ut Confessarius vel Superior sciat; In his & similibus casibus liceret Approbato præsupponere præsentem facultatem & delegationem Superioris: Quia certum est quod velit & velle debeat miseræ sic afflictæ modo omni possibili succurri. *Nota pro Confessariis apud Moniales.* Quod enim videntur Superiores aliud interdum in genere testari, id fit quia non apprehendunt totam ovis suæ necessitatem in particulari, quam si apprehenderent non tantum non concederent facultatem; sed etiam urgerent.

Petes 2. An Delegatio per ratihabitionem non sufficiat ad audiendas Confessiones, & absolvendum à peccatis? Resp. quòd non: cùm enim Absolutio, sive effectus Sacramenti non possit pendere ab eventu futuro, futura ratihabitio ei nullum valorem dare potest. Unde dixi superiùs, in interpretativa facultate debere præsupponi voluntatem præsentem Superioris.

TITULUS III.

De Potestate, sive Iurisdictione Certa, Probabili, & Dubia?

QUÆSTIO I.

Quæ censeatur Iurisdictio Certa?

CONCLUSIO UNICA.

Iurisdictio certa. **I**Urisdictio Certa est, quæ nititur certo Titulo, vel fundamento. Talis est Iurisdictio Ordinariorum qui Officia vel Beneficia Curata legitime, & pacifice obtinent. Talis etiam

tam est Delegatorum, qui expressam à Iure vel ab homine, aut ab Indubitabili, sivè quæ extra omnem controversiam est Consuetudine, Delegationem directam, vel indirectam habent. De quibus suprà sufficienter est actum.

QVÆSTIO. II.

Quæ censeatur Iurisdictio Probabilis?

CONCLVSIO UNICA,

Iurisdictio Probabilis.

IVrisdictio Probabilis est, quæ probabili tantum Titulo, vel Fundamento nititur, sivè quæ colorato Titulo, Opinionibus Doctorum tantum fulcitur, & Rationibus opinionem tantum, & non scientiam generantibus gignitur.

Talis est Iurisdictio Beneficiatorum Curatorum, quorum Beneficia Curata sivè Parochialia litigiosa sunt, itaut inter plures litigantes, quamvis à parte rei tantum possit esse vnus verè parochus, plures tamen Ius aliquod in Titulum & Beneficium prætendunt, & quamdiu per sententiam Titulo spoliati non sunt, tamdiu Probabilem Iurisdictionem habere censendi sunt. Idem dicendum de eo qui per Simoniam obtinuit Parochiale Beneficium, quamdin enim ab Ecclesia tolleratur, & pro vero Parocho se bonâ fide tenet, & communiter habetur, tamdiu Probabilem Iurisdictionem possidet.

Dixi (*quamdiu pro vero Parocho se bona fide tenet*) si enim de sua Simonia certus sit, nec bona fide pastoratum teneat; sed sciat se verè Parochum non esse, nullam omninò Iurisdictionem habet, & Sacramentum Pœnitentiæ per illum administratum nullum est, quia: Nulli mala fides patrocinatur, nec Ecclesia in hoc casu censetur Iurisdictionem dare, manifesta enim fraus excludit omnem favorem.

Talis est etiam Iurisdictio, quæ varijs in utramque partem rationibus & Doctorum fundamentis controversa est, aliquibus in affirmativam, alijs in negativam partem declinantibus, vt sunt: An apud Mendicantes approbatus ab uno Episcopo, possit ubiquè Confessiones audire? An in articulo mortis simplex Sacerdos in præsentia Approbati Ordinarij vel Delegati, possit absolvere? & infinitæ aliæ Iurisdictiones, quæ apud Auctores sunt controversæ.

QVÆSTIO. III.

Quæ sit jurisdictio Dubia?

CONCLVSIO VNICA.

Iurisdictio Dubia.

IVrisdictio Dubia est, quæ ob diversitatem rationum in aliquam partem practicè animum non inclinat, sed solum suspensum & anxium detinet in ordine ad actum, sive Iurisdictionis usum.

Talis esset Iurisdictio eius, qui vere & in praxi dubitaret de Titulo, Delegatione, vel Approbatione sua, ita ut ad unum probabiliter se determinare non posset.

Dixi (*qui verè in praxi dubitaret*) ad excludendos simplices timores, turbationes mentis, & dubia merè speculatiua, de quibus dicemus quandò de Conscientia scrupulosâ & dubia agemus. Potest sanè fieri ut quis timore, scrupulis, ac dubijs speculativis in mente agatur, ad unum tamen in praxi se determinet, propter probatorum virorum resolutionem, & praxes inter timoratos, probos, & doctos usurpatas, quibus, non obstantibus scrupulis, dubijs, & varijs ratiocinationibus in intellectu existentibus, credendum in praxi decernit, & proprio judicio quatumvis apparenti, cedendum. His quidem axiomatibus: Quod: *Frequentius in propria causa caecutimus*: Et quod: *Sapientis oculus in capite eius, stultus in tenebris ambulat.* Eccl. 2.

QVÆSTIO. IV.

An liceat vti aliquando Iurisdictione Probabili, relictâ Certâ?

CONCLUSIO VNICA.

Non licet vti Iurisdictione tantum probabili si graui cum...

VTens Iurisdictione Probabili tantum, sive activè, sive passivè (absque causa rationabili) relictâ certâ, peccat mortaliter.

Hanc Conclusionem deduco ex doctrina communi de Sacramentis, in quibus docetur quod ubi Materia certa, vel ex essentialibus certa omnia requisita ad Sacramentum occurrunt, non liceat sine peccato mortali uti tantum probabilibus. *Exg.* in Baptismo, si habes ad manum aquam elementarem puram, non licet uti impurâ, ut lixivio, quamvis sit probabilis Materia. Nec licet baptizare, si communem scias formam & tibi occurrat, utendo aliâ formâ extraordinariâ ut aliquandò ille ignorans qui baptizabat: *In nomine, Patria & Filia, & Spiritua Sancta*: quamvis enim formam istam quoad valorem ob ignorantiam idiomatis in homine illo simplici admiserit Zacharias Papa; non tamen usum illius approbavit. *Item*: Nec licet uti hâc formâ in homine Genitoris; Geniti, & Spirati, quamvis hæc apud graves Scholasticos probabilis sit, ac generaliter in omnibus Sacramentis multa probabilia in eorum administratione occurrant, quibus tamen (ubi adsunt certa) sine peccato mortali non possunt Ministri uti relictis certis, tum ob periculum, tum ob irreverentiam, tum ob præsumptionem & temeritatem in re tanti momenti; spectante ad animarum salutem.

Ratio igitur fundamentalis in hoc Sacramento & Iudicio est: Quia cum Iurisdictio sit

ctio sit unum ex essentialiter requisitis ad hoc Sacramentum debitè ministrandum: sicut non licet in alijs Sacramentis probabilibus tantum uti, relictis certis; sic minus hic licet, quia quis exponeret se periculo nil faciendi. Cum enim opinioni probabili subesse possit falsitas, ea solum quandoque & rarissimè in causa multum rationabili & necessitatis licet uti, eum nimirum ob bonam fidem & rationes occurrentes supplere censeatur Ecclesia Iurisdictionem, quæ fortè ratione falsitatis in ista opinione, deesse posset; Tunc autem tantum censetur Ecclesia supplere Iurisdictionem, quando quis tali Iurisdictione ex causa rationabili utitur, & aliàs certa sine incommodo, non est ad manum; Nemini enim Ecclesia vult patrocinari in ijs quæ planè irrationabilia sunt, aut fraude, dolo, vel animi præsumptione & levitate nituntur, sive quæ contra propria & expressa mandata planè voluntariè assumuntur; qualis est assumptio Iurisdictionis Probabilis tantum, relictâ Certâ.

Dixi (*absque causa rationabili*) ubi enim subest causa rationabilis, interdum licet uti Iurisdictione tantum Probabili, relictâ Certâ, ut quæst. sequenti explicabitur.

QUÆSTIO V.

An, & quando liceat uti Iurisdictione tantum Probabili?

CONCLUSIO I.

In tribus casibus licitum est uti Iurisdictione tantum probabili.

IN *tribus ferè casibus licet uti Iurisdictione tantum Probabili, etiam relictâ Certâ*: nimirum: *ut bono Pœnitenti consulatur: ut damnum evitetur: In congrua necessitate.*

1. Itaque: *ut bono Pœnitenti consulatur*: Ex. g. Quia indiget consilio, adjutorio, doctrinâ, solatio spirituali, singulari secreto, nec expedit ut qui Certam habet Jurisdictionem modo, hic & nunc audiat.

2. *Vt damnum evitetur*: utpote: Ne Complex in cognitionem veniat, aut Pœnitens in aliquam aversionem, vel damnosam suspicionem Confessarij incidat. *Item*, quia fortè non confitebitur alteri, aut integram Confessionem non faciet.

3. *In necessitate congrua*: ut quia implendum est Præceptum, aut Indulgentia particularis lucrifacienda; aut quia timetur non fore postea opportunum tempus confitendi, &c. Advertendum verò, si adsit Sacerdos qui æquè bonam audire possit, & certam Iurisdictionem habeat, tunc Sacerdotem qui tantum probabilem habet, debere abstinere.

NOTA.

CONCLUSIO II.

NOn licet alicui ex mera libertate, sine aliquo ex superioribus motivis, uti Jurisdictione tantum Probabili. Ratio sumenda est ex quæst. præcedenti, quia Ecclesia non censetur favere meræ libertati, ac propriæ voluntati in suppletione Jurisdictionis, sed tantum causæ rationabili, unde qui utitur Probabili tantum Jurisdictione sine causa, censetur temerariè periculo nil faciendi se exponere, & gravem ad minus irreverentiam Sacramento irrogare, ratione falsitatis quæ potest opinioni subesse, ut suprà declaratum est.

QUÆSTIO VI.

An & quomodo liceat uti Iurisdictione verè & Practicè Dubia?

CONCLUSIO UNICA.

Non licet uti Iurisdictione dubia.

NVnquam licet uti Iurisdictione verè & practicè Dubia, nisi in casu extremæ necessitatis sive etiam anxietatis. Ratio est: Quia qui practicè dubius est, & in ordine ad actionem in nullam partem practicè inclinatur; non potest absolutè propter finem operari, ad finem seu effectum intendere, cum non appareat ei possibilis: Unde nec intentio absolvendi, ei competere potest; cum ex dubio non credat se posse absolvere. Itaque absolutè manente Iurisdictione verè & practicè Dubiâ, verba firmæ formâ intentione pronuntiare non potest.

Iurisdictione dubia in casu necessitatis uti licet.

Dixi tamen (*nisi in casu necessitatis*) qui casus his explicatur exemplis: Petrus degradatus, sive hæreticus Sacerdos, occurrens Paulo Catholico in extrema necessitate, vel periculo mortis laboranti, practicè dubius est, quia multorum sententia est, quod in articulo isto sive periculo degradatus, sive hæreticus Iurisdictionem non habeat: aliundè urget anxia cura charitatis in proximum: cæterum in neutram partem practicè inclinatur: Potest nihilominus quocumque eventu, absolvere. Et in casu magis communi: Timidus aliquis & scrupulosus Sacerdos invenit hominem sic in periculo mortis constitutum, dubius interim practicè manet, an Iurisdictionem habeat, & possit illum absolvere, nec in ullam partem in ordine ad actionem se resolvere potest: quamvis maneat practicum dubium potest nihilominus absolvere, committendo omnia judicio Dei. Ratio est: quia in hac necessitate & anxietate, intentio agentis dubitantis, resolvitur in conditionalem: *Si habeo Iurisdictionem, ego te absolvo: Si non habeo, ego te non absolvo*: Quibus quidem conditionalibus in necessarijs illis Sacramentis licet uti, quia tunc nec irreverentia committitur, nec periculum aliquod incurritur: sed periculo jam nato & existenti, meliori qui occurrit modo, succurritur. Et hæc est communis sententia Theologorum de Dubia Materia Baptismi, quâ licet uti in extremo periculo, ubi alia Probabilis, vel Certa non occurrit.

TITU-

TITVLVS IV.

De Iurisdictione universali, & restricta.

QUÆSTIO I.

Quæ dicatur jurisdictio universalis, & quibus competat?

ADverte 1. Duplici respectu jurisdictionem posse dici universalem.

1. Respectu omnium locorum, & personarum: quia nimirum ad omnia loca, & personas in Ecclesia Dei existentes extenditur.

2. Respectu omnium casuum, sive peccatorum: quia per illam omnia peccata nullo penitùs reservato solvi possunt.

Adverte 2. Dupliciter iterum jurisdictionem respectu personarum posse dici vniversalem.

1. Simpliciter & absolutè, quia omnes omninò personas comprehendit.

2. Secundùm quid: ut si universalis respectu unius diœcesis, aut regni, quæ scilicet extendatur ad omnia loca, & personas diœcesis, aut regni unius.

CONCLUSIO I.

Jurisdictio universalis simpliciter.

IVrisdictio universalis simpliciter, & absolutè, prout omnia loca, & personas, omnesque casus complectitur (extra casum articuli, vel periculi mortis) ad solum Summum pontificem pertinet, sive ut per se utatur, sive ut illam delegare possit.

Ratio conclusionis clara est: quia ille solus universalis Ecclesiæ pastor, & consequenter solus habet universalem jurisdictionem in personas omnes, & loca Ecclesiæ.

Dixi (*extra casum articuli, vel periculi mortis*) tunc enim (ut suprà docuimus) omnis sacerdos, tàm quo-ad personas, quam quo-ad casus universalem jurisdictionem sortitur, servatâ proportione, quam ibi proposuimus de simplici sacerdote approbato, sivè delegato. Conclusionem etiam confirmat Ecclesiæ praxis, inquantum episcopi in solas suas diœceses jurisdictionem habent, eamque sæpiùs in aliquibus casibus restrictam, qui reservantur Summo Pontifici, maximè ratione censurarum annexarum, ut suo loco dicemus.

CONCLVSIO II.

Jurisdictio universalis secundùm quid.

JUrisdictio universalis secundùm quid, respectu personarum & locorum suæ diœcesis, competit episcopis, & alijs quasi episcopalem jurisdictionem habentibus, ut Generalibus ordinum in totum suum ordinem, Provincialibus in omnia loca, & personas suæ provinciæ. Quo ad casus verò, etsi non semper æquè universalis sit propter reservationes Summi Pontificis, quo-ad forum tamen conscientiæ, & in casibus occultis, jure & privilegijs ferè semper est universalis, ut in sequentibus explicabimus.

QUÆSTIO II.

Quæ dicatur jurisdictio restricta?

CONCLVSIO UNICA.

Jurisdictio restricta duplex.

DUpliciter potest jurisdictio vocari restricta.

1. *Negativè*, quia amplior ex vi officij, aut delegationis non est commissa. Sic episcopi jurisdictio potest dici restricta negativè, quia loca & personas suæ diœcesis non excedit.

2. Potest dici restricta *privativè*, per prohibitionem, sive reservationem expressam. Quomodo privativè episcopi jurisdictio dicitur restricta, quando per reservationem prohibetur ab aliquibus casibus absolvere, quæ seclusâ reservatione eius jurisdictioni subijcerentur. Sic parochorum & aliorum delegatorum jurisdictio per aliquas reservationes restringi solet.

Quadruplex restrictio.

Quadruplex porrò iterum restrictio hìc assignari potest: alia enim circà loca, alia circa personas, alia circà tempus, alia circà casus versatur: quæ tamen membra aliqua simul quandoque coincidunt.

Circà loca: ut quando jurisdictio ad aliquem locum, parochiam, vel episcopatum limitatur, ut est illa Mendicantium, quæ limitatur juxta communiorem sententiam ad diœcesin, in quâ approbati sunt: & illa, quæ datur alicui capellano pro aliquo pago tantùm.

Circà personas: ut quæ personarum genus aliquod intrà eundem locum, parochiam, vel diœcesin excipit: ut si episcopus det alicui jurisdictionem audiendi confessiones omnium personarum in diœcesi vel loco, exceptis confessionibus mercatorum, campsorum, vel advocatorum.

Circà tempus: ut si episcopus det jurisdictionem audiendi confessiones toto anno, excepto tempore paschali, vel aliquarum maiorum solemnitatum.

Circà casus: ut cum papa, vel episcopus dat jurisdictionem absolvendi à peccatis omnibus, exceptis à jure, vel homine reservatis.

QUÆSTIO III.

An, & penes quos sit potestas reservandi peccata, & casus?

CONCLUSIO I.

Potestas reservandi peccata.

EST in Ecclesia potestas casus reservandi. Ita Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. & can. 11.

Est

Est de fide, desumiturquè ex antiquissimis concilijs *Carthaginensi 3. cap. 31.* & *Africano can.* 10. ita ut traditionis apostolicæ rationem subeat, cùm istius articuli initium reperiri nun possit.

Ratio verò est: Quia potestates in Ecclesia Dei sibi invicem subordinatæ sunt, ita ut superior jurisdictio usum inferioris prævenire, ampliare, & restringere possit, ubi causa rationabilis subest. Vndè (inquit) *Concilium Tridentinum*, suprà, *Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non à quibusvis, sed à summis duntaxat sacerdotibus absolverentur: unde meritò Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.* Hæc ibi.

Conc. Trid. sess. 14. c. 7 & canon 11.

CONCLUSIO II.

Potestas reservandi casus residet in summo pontifice, respectu Ecclesiæ totius, & episcoporum: in *Episcopis*, respectu diœcesis suæ, & prælatorum, ac parochorum sibi subditorum: in *parocho*, respectu eorum, quos priùs ab episcopis approbatos specialiter pro suis ovibus delegat; quamvis hæc reservatio sit penitùs inusitata.

Et eodem modo argumentandum est de alijs ordinarijs regularibus respectu eorum, quos delegant.

QVÆSTIO IV.

An, & penes quos sit potestas reservandi, seu restringendi jurisdictionem in loca, personas, & tempus?

CONCLUSIO I.

Varia Potestatis reservationis.

Pontifex summus potest reservare sibi personas, eas à jurisdictione inferiorum prælatorum eximendo. Patet ex varijs exemptionibus, diversis personis, congregationibus, ordinibus concessis, tùm in jure, tùm in privilegijs vim juris habentibus. Ratio sumenda est ex universali, & absoluta potestate Petri, & successorum in universalem Ecclesiam.

CONCLUSIO II.

Episcopi non possunt sibi reservare directè personas, sive illas eximere à jurisdictione parochorum. Ratio est: quia distinctione episcopatuum, & parochiarum factâ ab Ecclesia, sicut episcopi suarum diœcesium, & personarum in ijs residentium sunt ordinarij, & in eas jurisdictionem jure divino habent, sic proportionaliter parochi in suas parochias, & parochianos ex vi institutionis suæ. Sicut igitur episcopi pro libitu suo non possunt parochos amovere, sic nec personas à parochorum legitimorum jurisdictione eximere.

Nec obstat, quod summus pontifex id possit; tota enim potestas episcoporum, & parochorum, imò divisio episcopatuum, & parochiarum in sua latitudine, & plenitudine, dispositioni supremæ sedis subjacet, tanquam capiti in inferiores prælaturas influenti.

Dixi (*Episcopum non posse directè sibi reservare personas, sivè illas eximere à parochorum jurisdictione*) potest enim indirectè id facere, sivè potestatem eligendi confessarium, vel aliorum Sacramentorum administratores certis personis concedat, sivè alijs sacerdotibus à parochis, jurisdictionem concedat in præfatas personas. Sed hoc modo propriè, & directè non eximit illas, aut sibi reservat, cùm sub jurisdictione parochorum semper maneant, ut ab illis Sacramenta recipere possint; sed tantùm impropriè, & indirectè, quia alijs administrandi illis Sacramenta facultatem donat.

CONCLUSIO III.

Potest quilibet ordinarius reservare sibi loca, & tempora, respectu eorum, qui immediatè ab illo jurisdictionem delegatam suscipiunt. Explico: Papa, & episcopi suam jurisdictionem delegãtes, possunt arctare illam ad certa loca, & ad certa tempora. Similiter pastor qui jurisdictionem alicui aliàs legitimè approbato in suas oves delegat, potest ad certum locum, sivè capellam, & ad certa tempora, *ex. gr.* paschale, vel alicuius solemnitatis eam limitare, & restringere. *Ratio est*: quia cùm delegatio voluntaria, & libera sit, illa sequitur voluntatem delegantis, nisi jura, vel superior potestas obstent, quæ fortè aliud disposuerint, & delegationes ad certos modos & terminos determinaverint, quos non liceat delegantibus transgredi. Quòmodo jurisdictio facta à summo pontifice Mendicantibus mediante episcoporum approbatione, *si præfati regulares ad audiendas confessiones idonei generaliter ab ordinarijs, sivè eorum examinatoribus reperti, & probati fuerint*, limitari non potest; sed ut habet *declaratio Cardinalium data anno 1587.* (subscribente *Michaele Bonello cardinale Alexandrino, & Georgio Paleotio*) *generaliter quoquè, & indistinctè, absquè aliqua limitatione temporis, certorumvè locorum, aut generis personarum admittuntur in diœcesi propria*, &c.

Cõgreg. Card. anno 1587.

QVÆSTIO V.

Quæ peccata, sivè casus reservari possint?

CONCLUSIO I.

Sola peccata mortalia priùs non absoluta, ac censura reservari possunt. Ratio est: quia illa sola sunt materia necessaria ad hoc judicium. Undè fatuus haberetur, qui venialia retinere vellet, quæ infinitis alijs modis remitti

Peccata mortalia reservari possunt.

remitti possunt, & quæ nullatenus quis huic Judicio Sacramentali subjicere tenetur: sed planè voluntati Peccatoris relinquuntur in ordine ad remedium remissionis eligendum, sicuti fatuus esset, qui vestitum manibus complecti, & retinere tentaret.

Nec huic reservationi Scholastica subtilitas aliquid confert: Quod Superior posset prohibere, ne saltem venialia virtute clavium remitti possent. Præterquam enim quod hæc non esset reservatio casus, cum per hanc peccatum non reservetur, non obstante hac prohibitione, omnis simplex Sacerdos si a venialibus absolveret, validè absolveret, etsi fortè contra præceptum peccare posset, quia habet potestatem in venialia tamquam materiam sufficientem à Jure divino: ut in superioribus docuimus.

Dices: In quibusdam Religionibus reservantur casus: Ingressus Religiosorum in mutuas cellas absque licentia Superioris: *Item*: Scriptio litterarum absque eadem licentia, quæ natura sua sunt ad summum peccata venialia.

Resp. Etsi per se & ex natura sua ista peccata sint materia levis, & consequenter materia sola peccati venialis. Ex circumstantijs tamen & consequentijs gravibus, ac scandalis; fieri posse materiam gravem, & consequenter prohiberi per Statutum vel præceptum sub peccato mortali: quo statuto vel præcepto durante, isti casus reservari possunt, quia verè peccata Mortalia sunt, & quidem ex accidenti & consequentijs frequenter gravissima sunt si non in se, saltem in gravissimum Status & regiminis Religiosi detrimentum.

Dixi Superius (*sola peccata mortalia non absoluta*) si enim absoluta sunt jam in materiam voluntariam transeunt, & consequenter amplius foro Sacramentali non obligantur; nisi quis ex devotione velit pro suo libitu ea confiteri.

QUÆSTIO VI.

An omnia mortalia possint à Superioribus reservari?

ADvertendum hic est 1. Potestatem reservandi casus, etsi fundamentaliter a potestatum subordinatione & dependentia Inferioris ad Superiorem oriatur, in exercitio tamen reservationis requiri causam rationabilem reservandi: qua cessante, reservatio legitime fieri non potest. *Ratio est*: Quia talis potestas à Christo ordinata est ad salutare regimen animarum, *& data in ædificationem, non in destructionem*, ut bene notat *Conc. Trid. sess. 14. cap 7.* (Concil. Trid. sess. 14. cap. 7.)

Advertendum 2. Quamvis hæc potestas reservandi, ex Christi institutione deduci possit: praxis tamen reservationis ex Sanctorum Patrum praxi & Traditione tantum probatur, ut indicat idem *Tridentinum supra.*

Advertendum 3. Hanc Reservationem non pertinere ad solam Politiam externam, sed ad forum Animæ & conscientiæ, ac coram Deo vim habere: ut idem *Concilium* decrevit etiam sub anathemate *Can. 11. 14. sessionis.*

Advertendum 4. Alias posse suppetere causas respectu Delegatorum: alias respectu Ordinariorum; & consequenter Papam vel Episcopos, aliter dici posse reservare casus respectu Ordinariorum, aliter respectu Delegatorum. *Ratio est*: Quia cum delegatio sit planè voluntaria commissio potestatis à voluntate delegantis dependens, sicut ipse illam totaliter negare potest, sic illam ad certos casus arctare, & limitare potest. Sed cum Ordinaria potestas sit à Christo, & Jure Divino; cum subordinatione tamen aliqua: ad pulchritudinem Ecclesiæ, & Hierarchicum regimen conservandum, non possunt Superiores illam pro voluntate & libitu arctare, sed tantum ubi justa & legitima ratio id postulat.

Advertendum 5. Finem & causam reservationis potissimum à Sacro Tridentino ex Sanctissimis Patribus referri: *ad Christiani populi disciplinam.*

CONCLUSIO I.

R*Espectu Ordinariorum non possunt Superiores Prælati omnia peccata mortalia collectivè reservare.* (Non posse reservari omnia mortalia.) Ratio est: Quia tunc esset illos omni suâ ordinariâ Potestate spoliare, eosque à Potestate absolvendi à peccatis suspendere: Quod non nisi per sententiam Juridicam & legitimam fieri potest.

Unde Papa non potest omnia mortalia collectivè sibi reservare respectu Episcoporum, & Inferiorum Ordinariorum, nec Episcopus respectu Parochorum.

Dixi (*respectu Ordinariorum*) respectu enim eorum quibus ab illis delegatur Jurisdictio, sicut possunt illam non dare, sic possunt illam revocare, ut supra adnotatum est.

CONCLUSIO II.

N*On possunt reservari peccata merè interna.* (Nec mortale quodlibet potest reservari.) Ratio est: Quia id tantum fieri posse censetur quod legitimè sive rationabiliter fieri potest, nulla autem videtur hic rationabilis causa suppetere posse: cum peccata merè interna, nullatenus pertineant ad populi Christiani disciplinam, qui, *juxta Conc. Trid.* finis est Reservationis, ut amplius in sequentibus declarabitur.

CONCLUSIO III.

N*Ec quodlibet Peccatum Mortale, etiam externum, legitimè reservari potest.*

Ratio apud me concludens est: Quia Potestas reservandi peccata non est potestas absoluta & simpliciter simplex, quæ à solo libitu & voluntate reservantis dependeat,

sed respicit causam aliquam utilitatis, aut necessitatis Disciplinæ Populi Christiani, utpote, *data in ædificationem, non in destructionem.* Quod manifestè declaratur ex primario fundamento: fundatur enim in Verbis CHRISTI: *Quorum retinueritis retenta sunt*, supposità Traditione CHRISTI, aut Apostolicâ: Cùm verò certum sit Sacerdotes non posse peccata retinere, nisi legitimâ causâ id postulante: æquè certum est Superiorem Sacerdotem non posse potestatem Inferioris restringere respectu alicujus peccati, quod est reservare, & quodammodo retinere, nisi aliqua ratio id postularet: Ne dissipator potius aut destructor, quam dispensator habeatur.

Ioan. 20. Vers. 23.

Quod apertissimè docet concil. Trident. supra his Verbis: *Neque* (ait) *dubitandum est, quando omnia quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem* (id est, ut immediatè ante dixerat *causas aliquas criminum graviores suo peculiari iudicio reservare*) *Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem liceat pro illa in subditos traditâ supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, præsertim quo ad illa quibus Excommunicationis Censura annexa est.*

Concil. Trid. sess. 14. c. 7.

Ex quibus verbis constat potestatem reservandi Episcopis traditam, ordinatam esse, non absolutam & pro libitu, sed in *ædificationem*, id est, utilitatem Ecclesiæ concessam, ac consequenter rationabile judicium sequi debere.

Potestas reservandi debet esse ordinata.

Unde infero, Sententias Theologorum quibus dicunt modo interna peccata mortalia, modò quodlibet externum reservari posse, Scholasticè & Metaphysicè interpretandas esse, & si ad praxim reduci debeant, conditionem illam subintelligi debere; *Si talia sint ut eorum reservatio ad utilitatem, ædificationem & disciplinam Ecclesiæ congruam pertineat.*

Petes: Quid si Episcopus sive Superior sine causa rationabili aliquod Mortale peccatum reservet, an manebit validè reservatum? *Resp.* 1. Quamdiu non constat manifestè & sine tergiversatione de illegitima reservatione, debere haberi pro Reservato. *Ratio est*: Quia constat de potestate, & in favorem Potestatis judicandum est, quamdiu de excessu vel abusu manifestè non constat. *Resp.* 2. Peccare tamen mortaliter qui de suo illegitimo actu conscius; sic Peccatum reservat. *Ratio est*: Quia cedit in grave detrimentum Potestatis Inferioris & Pœnitentium. *Resp.* 3 Si absque ulla tergiversatione manifestè constaret de illicita & illegitima Reservatione; tunc tale peccatum in Foro Conscientiæ & Pœnitentiæ tamquam non reservatum absolvi posse: *Ratio est*. Quia vere reservatum non est, nec in isto foro scandalum aliquod committi potest. Et hæc omnia proportionaliter & conformiter applicari possunt ad sententiam Excommunicationis illegitimè pronuntiatam, quæ etsi à Potestate Clavium in genere procedat, eo tamen ipso quo illegitima est, si vel modicum de injustitia & illegitimitate dubitetur, in Foro Externo servari debet: Ubi autem omnino illegitima apparet, potest in Foro Conscientiæ ab omnibus contemni, donec in Foro Externo ad evitanda scandala, nulla declaretur.

CONCLUSIO IV.

Sola atrociora & graviora crimina legitimè reservari possunt. Ita insinuat, *Concilium Tridentinum*, & sequitur ex omnibus ante dictis.

Sola atrociora crimina reservanda.

Hinc summi Pontifices, specialiter *Clemens* VIII. restrinxerunt Potestatem Prælatorum Regularium reservandi peccata respectu suorum subditorum, *in suo Decreto dato anno* 1593. 26. *Maij*, in quo prohibet ne possint reservare alios Casus præter vndecim ibi expressos, sine Capituli Generalis in toto Ordine, aut Provincialis in Provincia matura discussione, & consensu.

Et iterum *in Decreto dato anno* 1601. 9. *Ianuarij*, cum revocasset facultates omnes Regularium *extra Vrbem*, *intra tamen Italiam degentium*, absolvendi à casibus Episcopis reservatis: monet locorum Ordinarios *ut paucos, eosque tantum, quos ad Christianam disciplinam retinendam, Animarumque sibi creditarum salutem pro cujuscumque Diœcesis statu, & qualitate necessario reservandos judicaverint, reservent.* Et iterum *in altero Decreto sequenti anni* 1602. ubi aliquos Casus expressit, monet. *Ne modum in reservando excedant, & tantum atrociorum & graviorum criminum Absolutionem sibi reservent, quorum Reservatio ad Christianam Disciplinam retinendam conferat & in ædificationem, non autem in destructionem cedat ne alioquin Sacramenti Pœnitentiæ Ministrorum coarctatâ Potestate, Sanctæ matris Ecclesiæ pia menti contrarium effectus subsequatur.*

Clemens VIII. an. 1601. 9. Ianuarij.

Idem an. 1602.

Petes 1. Quæ judicanda sint atrociora & graviora crimina? Resp. Judicium non esse sumendum tantum à malitia peccati in se, sed à consequentiis & effectibus malis, utpote, quia in grave disciplinæ Christianæ detrimentum, & multarum Animarum perditionem vergunt, unde multa reservantur, quæ in se considerata, minora sunt cæteris: si tamen in circumstantijs & consequentijs considerentur, multò majus detrimentum Ecclesiæ causant, quam quæ majora apparent.

Quæ dicantur atrociora Crimina.

Petes 2. Supposito quod Præfati Regulares non possint sibi reservare alios casus præter conten. os in *Decreto Clementis* VIII: absque consensu Capituli Generalis, vel Provincialis: An non poterint alijs casibus adnectere Censuram, & eam sibi reservare? Resp. Non posse, quidquid Franciscus Suarez, & alij dicant: *Ratio est*: Quia etsi Pontifex Censuras non expresserit, plures

An possit peccatis non reservatis annecti censura reservata.

plures tamen Casus adjunxit, quibus Censura est annexa, ut de *Apostasia* & alijs constat. Unde de omnibus reservationibus tandem censeri debet voluisse esse rationem, sive esset Casuum tantum, sive Excommunicationum vel Censurarum annexarum. Quod colligi potest ex causa finali ipsius Decreti quod datum fuisse exprimit Pontifex. *Propter nonnullos infirmiores qui interdum Superiori suo Conscientiæ maculas detegere formidant, ita ut nisi Superiores admodum prudenter, ac moderatè reservatione utantur, adducere eos possent in æternæ damnationis periculum, & spiritualis remedij desperationem.* Frustrà autem moderatio aliqua per Decretum circa reservationem adhibita esset, si Superiores quibusvis casibus Censuras annectere, & eas sibi reservare possent: Inutile enim est, & impertinens ad rem, Casum directè non esse reservatum, si Censura annexa sit reservata (ut constat de casibus Pontificijs) & idem est periculum conscientiæ infirmæ, sive propter casum, sive propter censuram debeat coram Superiore comparere, cum non possit censuram absque peccati manifestatione Superiori ad Absolutionem aperire. Addo propter emergentes Casus Pontificem in eodem Decreto providisse, ut possent determinare certas aliquas Pœnitentias graves, secretas tamen, à Confessarijs pro certis peccatis imponendas, quibus ab eorum perpetratione Inferiores cohiberentur, ut sic omnis alia reservatio extra casus Decreti tolleretur.

Clemens. VIII.

Dices: Superiores non obstante Decreto Clementis possunt Excommunicare, & sub pœna Excommunicationis præcipere, ergò & censuram, sive Excommunicationem reservare: Consequentia patet. Quia tunc cum Excommunicatio sit ab Homine, ei qui eam tulit, ordinariè reservata est. *Resp.* Neg. conseq. Aliud enim est Excommunicare, vel sub pœna Excommunicationis præcipere: Aliud est Excommunicationem alicui casui adnectere, & illam reservare: Qui enim Excommunicat, non nisi pro præterito facto pœnam illam merente judicialiter per modum actus transeuntis Excommunicat. *Item*, Qui sub pœna Excommunicationis præcipit, non tam casum, quam obstinationem & inobedientiam contumacem facientis percutit, & necessariò non reservat, cum possit cuivis satisfactâ parte & obstinatione depositâ, illius absolutionem relinquere, & si aliud non obstet, relinquat. Qui autem censuram ex directa intentione casui annectit, & eam reservat, per modum Legis reservat, & immediatè Casum respicit, non peccantis obstinationem aut contumaciam, cū ex fragilitate absque ulla contumacia casus incurri possit, obligatque omninò Pœnitentem sibi confiteri, contra vim & in fraudem præfati Decreti Clementis.

QUÆSTIO VII.

Quis possit à casibus Reservatis Absolvere?

OMitto hic à proposito Quæstionem aliam, quam quidam hoc loco movent? Quæ nimirum peccata sint de facto reservata? Cum enim peccatorum Reservatio ex mera voluntate Reservantium pendeat, & Jura in quibus aliqua sunt reservata, singulis diebus pro Legislatorum voluntate, & diversis occurrentibus rationibus mutentur, nil certi determinare possumus: Ideoque omnis Confessarius debet juxta loca, tempora, & Superiorum dispositiones expendere, & nosse suam potestatem, & Jurisdictionem respectu peccatorum Reservatorum.

CONCLUSIO I.

OMnis Superior in hoc foro Pœnitentiæ potest absolvere à Casibus reservatis ab inferiore. Superior absolvit à Casibus reservatis.

Ratio est: Quia tota Potestas Inferioris continetur eminenter in Superiore, ratione subordinationis Inferioris Potestatis ad Superiorem. Unde dixi notanter (*Superior in hoc Foro Pœnitentiæ*) propter Superioritatem in Foro Externo, ut est Superioritas Archiepiscopi, vel Patriarchæ respectu Episcoporum suæ Metropolis: Hi enim cum non sint Superiores Episcoporum in Foro Pœnitentiæ, à Reservatis Episcopis non possunt eorum subditos absolvere: Aliud est de Pontifice Maximo respectu Episcoporum, de Generalibus Ordinum respectu Provincialium: Hi enim, cum verè sint Superiores, etiam quoad Forum Pœnitentiæ, ab Inferiorum Prælatorum Reservatis Casibus legitimè & validè absolvunt, imò causâ postulante reservationes Inferiorum tollere possunt, & Pontifex concedens auctoritatem absolvendi ab omnibus Casibus & Censuris reservatis, censetur dare auctoritatem etiam à Casibus reservatis Episcopis, qui sunt Inferiores, nisi aliud exprimat.

CONCLUSIO II.

NUllus Inferior potest absolvere à Casibus ab Ordinario Reservatis, nisi ab ipso Ordinario, vel eius Superiore in hoc foro Potestatem acceperit. Inferior non potest absolvere à Reservatis.

Conclusio clara est ex natura Reservationis: In Casum enim Reservatum nemo aliquid potest præter Ordinarium qui reservavit, vel eius Superiorem, ut dictum est, ideo enim Reservata dicuntur. Quamdiu ergo Reservantes Potestatem alteri non faciunt, tamdiu alius absolvere non potest.

Petes 1. Quomodo detur Potestas absolvendi à Casibus reservatis? *Resp.* Debere dari verbo, scripto, vel aliquo signo manifesto,

Modi quibus absolutio à Reservatis committitur.

& expresso Quod addo, Quia ubi Episcopus tantum dicit: *Do ubi auctoritatem meam*: non censetur dare à casibus Reservatis, nisi ex circumstantijs aliud colligatur, utpotè, quod ille cui hoc dicit, potestatem à reservatis expressè petiisset; aut quod alteram communem potestatem jam haberet sciente, & animadvertente Episcopo; aut quod hoc diceret, ratione alicujus specialis peccatoris, aut ratione alicujus solemnitatis, ut Indulgentiarum, in qua vellet ampliorem potestatem elargiri, quæ omnia prudenti judicio expendenda relinquuntur.

Reservatio clauditur Territorio.

Petes. 2. An casuum Reservatio terminetur Territorio, an personis? *Resp.* Probabilius esse terminari & concludi Territorij Regimine, & non Personis; ut tenet *Caiet. verbo Absolutio* 2. *Palud. in* 4. *Dist.* 17. *q.* 3. *Anton.* 3. *p. tit.* 17. *cap.* 4. Unde si Diœcesanus Gandensis cum licentia, vel Privilegio confiteretur alicui Confessario in Diœcesi Mechliniensi aliquod peccatum reservatum in sua Diœcesi Gandensi, quod non esset reservatum in Mechliniensi: posset talis Confessarius quamvis à Reservatis potestatem Absolvendi non haberet, Diœcesanum Gandensem à peccato illo reservato in Diœcesi Gandensi, quasi reservatum non esset, absolvere. Econtra: si ille Diœcesanus Gandensis haberet peccatum reservatum in Diœcesi Mechliniensi, quod non esset reservatum in Diœcesi Gandensi, si confiteatur, *ut supra*, in Diœcesi Mechliniensi, non potest ab isto casu in Diœcesi Mechliniensi Reservato, absolvi ab eo qui non habet ibidem casus Reservatos, non obstante quod illud non sit in sua Diœcesi Reservatum.

Ratio mea est: Quia Reservatio respicit Regimen Christianæ disciplinæ in Diœcesi, & consequenter sequitur, sicut Regiminis, sic & Judicij territorij modum, & administrationem. Cùm ergò Diœcesanus Gandensis in casu suprapos ito subeat judicium Judicis Mechliniensis ratione Territorij, debet subire Iudicii Territorii illius tum Privilegia, tum onera, & secundùm leges in Territorio illo statutas, judicari, & quia eligit judicium apud Ministros & Iudices Diœcesis cui aliàs non subjacet, iudicari debet juxtà leges Diœcesis. Sicut si quis externus Latro aut Sicarius in Comitatu Flandriæ judicatur, etsi fortè aliæ leges, & pœnæ sivè mitiores sivè graviores sint in loco unde oriundus est, imò ubi & Latrocinia commisit; iudicatur tamen secundum leges Flandriæ, & non secundùm Leges alterius Regionis.

Quare dixi (*concludi regimine Territorii*) Quia si quis Territorii regimen & ministerium non subeat, nec velit eius Privilegiis, aut oneribus subiacere: Vtpote, si quis Confessario suæ Diœcesis in aliena Diœcesi non admisso, ibi tamen reperto confiteatur; quia de Pœnitentis Diœcesi est, Is à casu reservato in Pœnitentis Diœcesi, si specialem à proprio Episcopo auctoritatem non habeat, non poterit absolvere etiamsi in Diœcesi in qua reperitur, & confessionem audit, non sit reservatus: *Ratio est*: Quia non subit Judicium Territorij juxta leges regiminis Diœcesis in qua est, sed Diœcesis de qua est: Aliud est si confessarius in illa Diœcesi externa, jam ministeria sua exerceret, & ad illum ut alienæ Diœcesis ministrum accederet. *Explico* Petrus Gandensis iter agens per Diœcesim Mechliniensem, reperit Paulum Sacerdotem commorantem in sua Diœcesi Gandensi, qui etsi sit approbatus ab Episcopo Gandensi, potestatem tamen non habet in casus reservatos: Interim Paulo confitetur aliquem casum, qui in Diœcesi Mechliniensi in qua fit confessio, reservatus non est, est autem reservatus in Diœcesi Gandensi: Paulus non potest Petrum absolvere. *Ratio est*, Quia audit confessiones ut Confessarius Diœcesis Gandensis, & non Mechliniensis, unde tenetur servare Leges Diœcesis Gandensis.

Conclusio III.

Nulla Reservatio in art. mortis.

In *articulo mortis omnes Sacerdotes à peccatis aliàs Reservatis absolvunt, imo & à Censuris à Iure sive etiam ab Homine latis*: Ratio est: Quia in isto casu cessat omnis Reservatio, ut concludit *Concil. Trident. sess.* 14 *cap.* 7. *Verumtamen* (inquit) *piè admodum, ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit Reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet Pœnitentes, à quibusvis peccatis & Censuris absolvere possunt.*

Concil. Trid. sess. 14. cap. 7.

Unde improbabilem opinionem esse censeo eorum, qui volunt Absolutionem à censuris in isto articulo non posse dari, nisi cum onere, si quis convalescat, accedendi ad Superiorem ut absolvatur. Hæc enim sententia (etsi sit plurium Doctorum) consequenter non loquitur ad textum Concilij Trident. & Ecclesiæ Traditionem ibi expressam: Quod scilicet *in Ecclesia Dei custoditum semper fuerit, ut nulla esset reservatio in articulo mortis.* Si enim onus illud comparendi pro censuris remaneret, virtus Reservationis illud operaretur, & tunc Reservatio censeretur remansisse, virtute cujus effectus ille sequeretur.

Solum igitur debet si convalescat, illi onus imponi comparendi in censuris ad Externum sive contentiosum forum deductis, cum obedientia aliqua ob contumaciam in externo foro præstanda est Superiori, aut etiam satisfactio partis læsæ, si læsa sit; sed hæc comparitio non pertinet ad Reservationem quæ tunc fuisset, sed ad obligationem innatam casui, ob quem censura incursa fuit: sicut quis postea teneretur ad restitutionem famæ, vel rei ex casu consurgente

Et

Et ita intelligendum *cap. Eos qui de sent. Extem. in 6.* in quo dicuntur qui sic absolvuntur, debere præsentari Superiori excommunicanti, *recepturi & satisfacturi, prout justitia suadebit*. Quod de satisfactionibus in foro Externo tantum intelligi debet: Et ibid. additur; Debere se repræsentare *ut passis injuriam, seu ijs quibus propter hoc obligati existunt, satisfactionem exhibeant competentem*. Quæ omnia de obligationibus ex crimine natis, interpretanda sunt, cum ijs quæ Doctores de similibus asserverunt.

QUÆSTIO. VIII.

An extra mortis articulum Inferior possit in aliquibus Casibus à peccatis Superiori reservatis, absolvere?

CONCLUSIO I.

Episcopi absolvunt à reservatis Papæ.

EPiscopi *Iure Tridendini possunt absolvere subditos ab omnibus Casibus, & Censuris occultis Summo Pontifici reservatis.* Ita apertissime *Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. de Reform.*

Occultum verò hic dicitur, quod publicâ infamiâ non laborat, sivè quod in aliqua Societate, Vicinia, Collegio, aut Communitate non est notum, ut explicat *Navarrus cap. 27. num. 250. alias 255.*

Per Episcopum verò intelligunt eum qui confirmatus est, etsi non sit consecratus, vel Capitulum sive Vicariatum Sede vacante. Altercatio vero satis gravis inter Doctores est: An non sit derogatum huic Episcoporum Potestati per Concil. concessæ in casu occultæ Hæreseos, virtutæ clausulæ Bullæ Cœnæ quæ prohibet quoscumque etiam Episcopos absolvere à Casibus in Bulla Cœnæ contentis prætextu cuiuscumque facultatis, etiam per cuiusvis Concilij decreta in genere, vel in specie concessæ? Et quidem derogatum censent plurimi inter quos *Suarez* qui citat ad hoc *Responsionem Cardinalium*, & ita declarasse ferunt Pium V. & Gregorium XIII, Contrarium affirmat Navarrus *cap. 27. num 266.*

Verum cum hæc Potestas à voluntatē Pontificis pendeat sicut & Reservatio; si de mente Pontificis constet eum absolutè hanc Potestatem quo ad Casus Bullæ Cœnæ occultos, ab Episcopis abstulisse; Episcopi virtute Concilij id amplius non poterunt. In Belgio tamen omninò credo hanc revocationem Potestatis absolvendi à Casibus Bullæ Cœnæ locum non habere, tum quod praxis inter Doctissimos & Timoratos recepta aliud indicet, tum quod ipsi Episcopi Belgij pro Inquisitoribus fidei habeantur; tum quod non credatur dicta Bulla debitè publicata & recepta; prout ab Illustrissimis & Reverendissimis Episcopis intellexi: Tandem quod per *Gregorium* XIII. ad instantiam Philippi II. sit ipsis ratione hæresum amplissima facta facultas etiam delegandi potestatem absolvendi ab Hæresi donec totum Belgium in ipsius Regis obedientiam redierit. Quod faxit Deus.

CONCLUSIO II.

Privilegiati absolvunt à Reservatis.

QVi *Privilegia habent, & specialiter delegati sunt, à Casibus Reservatis absolvere possunt.* Concil. clara est. Expendendus tamen est privilegiorum tenor, nec imprudenter fimbriæ dilatandæ.

Quid etiam in hac re possint Mendicantes per sua privilegia, dicemus in speciali Tractatu de Regularibus, ne materias confundamus.

CONCLUSIO III.

Inferior quando absolvat à reservatis.

QUando non patet aditus ad Superiorem Reservantem, vel ejus Delegatum, aut non nisi cum gravi difficultate, longâ morâ, aut detrimento, potest Inferior absolvere à casibus Reservatis Superiori, imposito Pœnitenti onere comparendi tempore opportuno, & cessantibus impedimentis, coram Superiore, aut ejus Delegato, sive ab illo facultatem absolvendi à Reservatis habente.

Hoc omninò à Jure communi concessum censeo ob rationes in Canonibus varijs sparsim expressas.

Cap. de cæt. lib. 5. Decret. tit. 39.

His enim rationibus permittitur Absolutio ab Excommunicatione reservata Papæ pro percussione Clerici Episcopis *in cap. De catero. l. 5. Decret tit* 39 *Si habens* (ait) *capitales inimicitias, vel alias justas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusetur, ita quod sine periculo, Apostolico se nequeat conspectui præsentare, &c.* Et c. Mulieres *Mulieres* (ait) *vel alia Personæ quæ sui Iuris non sunt, ab Episcopo absolvi possunt. Item ibidem*, mentio fit de Personis: *Quia magna non sunt potentia, & ita delicati quod laborem veniendi ad Sedem Apostolicam nequeant sustinere.* Etc. *Ea noscitur*, dicitur: *Quod Mulieres, senes, & valetudinarij, seu membrorum destitutionibus impediti, licet ad Apostolicam Sedem non veniant, ab Episcopis valeant communioni Fidelium restitui* Et cap. *Monachi*: decernitur: quod Monachi & Canonici *Regulares, qui quocumque modo se in claustro percusserint, non sint ad Apostolicam Sedem mittendi; sed secundum providentiam sui Abbatis disciplinæ subdatur.* Et cap. *Super eo.* dicitur: *Si Clerici intra puberes annos se ad invicem aut unus alterum percusserit, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, quia eos ætas excusat, &c.*

Ex quibus omnibus sic in re practica formo argumentum: Eadem est formaliter ratio recursus ad Episcopos, vel Superiores aut eorum Delegatos pro peccatis & Censuris reservatis, quæ recursus ad Sedem Apostolicam pro ijsdem: Sed Pontifex declarat in Canonibus eos, qui ex impotentia; aut

gravi difficultate (ut sunt mulieres, valetudinarij, delicati, senes, impuberes, pauperes, &c.) non possunt adire sanctam Sedem, posse ab Episcopis absolvi: ergò pariter qui similibus præpediti non possunt adire Episcopum vel eius Delegatum; poterunt ab Inferiore absolvi, maximè cum onere comparendi, & dato iuramento de satisfactione & obedientia; de quibus statim latè & distinctè.

Ratio verò est: Quia Pia mater Ecclesia in suis Decretis & reservationibus non potest censeri velle obligari ad aliquid moraliter impossibile, vel quod in grave detrimentum spirituale animarum, aut etiam temporale personarum vergit, ut ex istis declarationibus constat. Non est verò iuterdum minus impossibilis, aut in grave detrimentum animarum, vel etiam personarum recursus ad Episcopum vel eius Delegatum, quàm ad S. Sedem, etsi talis impossibilitas vel necessitas, sivè periculum non sit tam frequens, unde Confessarij prudenti æstimationi ista sunt relinquenda.

Ex quibus infero 1. Potestatem absolvendi, quâ à reservatis in huiusmodi necessitatibus vel periculis Inferiores absolvunt, esse directam, quamvis interpretativam & onerosam: adeoque mihi semper visi sunt minus consequenter loqui, asserentes Inferiores Sacerdotes in dictis Casibus *directè à non reservatis, indirectè verò à reservatis absolvere*: cùm revera directè ex Potestate Interpretativa & onerósa absolvant, quæ eis daclaratione Juris communis tunc concessa censetur, ratione declaratæ necessitatis vel impedimenti sufficientis in similibus casibus & causis.

Quando dicatur cessare Reservatio, & quando non.

Petes 1. An in talibus casibus Reservatio cesset? Ratio dubitandi est: Quia nemo potest directè à casibus reservatis absolvere, nisi suæ Potestati sit commissum, & consequenter respectu potestatis Absolventis nulla est reservatio?

Respondeo: Reservationem Casuum duplicem dicere respectum. 1. Est ad Potestatem Clavium, quæ in Inferioribus Iudicibus sivè Sacerdotibus censetur restricta (nisi specialiter sit delegata.) 2. Respectus est ad Pœnitentem, qui ratione istius reservationis, si legitimè absolvi velit, cogitur Superiorem vel eius Delegatum adire.

Dico itaque 1. Aliquando reservationem in certis casibus totam cessare: ubi nimirum est manifesta in personis incapacitas perseverans & continua, qualis est in mulieribus & ijs qui non sunt sui Iuris, impuberibus valetudinarijs seu perpetuo aut quasi perpetuò infirmis, qui censentur moraliter incapeces ad recurrendum ad S. sedem, vel etiam ad Episcopos, maximè si distent. Unde hic reservatio censetur cessare, quia ab onere comparendi persona, propter incapacitatem, etiam absoluta iudicatur. Quo sensu quidam Doctores asserunt nullam esse pro mulieribus, impuberibus, vel huiusmodi, reservationem Quod cum grano salis intelligendum censco; quandò nimirum, Superior vel aliquis eius Delegatus non est in promptu, sive non est nisi in commodus, considerata ratione sexus, personæ, ætatis, vel impedimenti, &c. ad illos accessus. Has enim causas tantum & similes Canones & Ius commune suggessit, & expressit Et alias contra disciplinam Ecclesiarum propter quã fit reservatio, militaret, si aliquis sexus vel ætas malitiæ capax, &c. eximeretur, cui esset commodus ad Superiorem accessus, idque totam vim reservationis enervaret

Exclusio à reservatione & recursu.

Dico 2: Reservationem in aliquibus non cessare, sed Potestatem cum onere tam activo quàm passivo committi, quod onus fini & effectui per reservationem intento, æquipollet

Ita contingit in casu quo Pœnitens est quidem, aut brevi futurus est capax, ut compareat corã superiore vel eius Delegato pro Absolutione à casibus reservatis; quia tamen hic & nunc non potest, & grave illi detrimentum etiam spirituale imminet, ex eo quod cogatur in Peccatis vel Censuris remanere, tunc absolvi potest ab Inferiore cum onere comparendi coram Superiore vel Delegato, & in ratione Censurarum obediendi vel satisfaciendi; In quo onere æquivalenter & in virtute continetur totus finis & effectus per reservationem intentus: Ità ut & Sacerdos onus imponere teneatur si absolvere validè & legitime velit, & Pœnitens onus suscipere si cupiat absolvi.

Et hanc credo melius vocari Potestatem directam, & quæ ex interpretativo Jure directe absolvat: non tamen liberam, sed restrictam & onerosam; quia ut jam dixi, & Sacerdos tenetur onus comparendi & satisfaciendi imponere, & Pœnitens tenetur acceptare, si velit legitime absolvi.

QUÆSTIO IX.

An semper in omni casu possint Inferiores Sacerdotes absolvere à casu vel Censura reservata, cum onere comparendi, vel etiam satisfaciendi, &c.

CONCLUSIO I.

NOn *potest indifferenter Inferior Sacerdos absolvere Pœnitentẽ à casibus vel Censuris* etiã imposito onere comparendi aut satisfaciendi, &c. sed tantum rationabili existente causâ vel necessitate, sive interpretatione rationabili Iuris & Epikeiâ.

Ratio est: Quia in Iure & Canonibus semper huiusmodi causæ & necessitates exprimuntur, ut visum est Q. præcedenti, quod signum est absque talibus causis mentem non esse Ecclesiæ, concedere huiusmodi Potestatem, quamvis onerosam inferioribus

Sacer-

Sacerdotibus absolvendi à reservatis: Quidquid nonnulli doceant.

CONCLUSIO II.

Causæ quibus licet Inferiori absolvere à Reservatis

C*ausæ rationabiles & necessitatis censentur, ut quis cum onere comparendi, aut etiam satisfaciendi à peccatis reservatis, ac etiam censuris in foro Conscientiæ absolvatur in casibus sequentibus*, nimirum quando quis sinè nota, scandalo, infamia, dicterijs, suspicionibus aut similibus non potest à communione, Missæ celebratione, Sacramentorum administratione abstinere, nec habet tunc ad manum aliquem qui à peccatis reservatis absolvat. Imò in omni casu *ne pro dilatione Pœnitentia periculum immineat animarum*, ut habetur *lib. 5. Decret. tit. 39 cap 16.*

Ratio est: Quia Ecclesia per reservationem non censetur suos subditos in aliquod animæ gravamen, vel periculum velle aut præcipitare, aut in illis eos relinquere absquè sufficienti subsidio, maxime cum virtus tota & finis reservationis æquivalenter in isto onere comparendi aut satisfaciendi servetur, non tantum in Politia externa, sed in obligationibus strictissimis in Foro Conscientiæ.

QUÆSTIO X.

Quid & quale sit onus comparendi, & quæ comparitio requiratur?

CONCLUSIO I.

Onus Comparendi quale?

O*nus comparendi, nihil est aliud: quam obligatio qua sub mortali peccato Pœnitens ex vi Reservationis tenetur Reservanti, aut eius Superiori sive etiam Delegato se præsentare*: Eo enim ipso quo ab inferiore non habente per se auctoritatem absolvendi à reservatis vult absolvi non ab ijsdem, vel defacto est absolutus, non obstante Absolutione, remanet in illo obligatio recurrendi, quæ ex Reservatione oritur.

Dixi (*obligatio sub peccato mortali*) etsi enim qui ab Inferiore sub obligatione ista comparendi, à reservatis absolvitur, sit verè absolutus, ut supra dictum est: Postea tamen ità obligatus manet ad comparendum, ut si culpabiliter comparitionem omittat, mortaliter peccet, nec ab hac obligatione absolvi unquam possit, nisi per Superiorem sive Reservantem vel Delegatum extra mortis articulum, in quo nulla remanet Reservatio, aut extra casum perseverantis incapacitatis, vel moralis impossibilitatis recurrendi, ut suprà docuimus.

Unde iterum dixi (*Pœnitentem ad Comparitionem teneri ex vi Reservationis*) ad excludendas obligationes comparitionum quæ ex alio titulo nascuntur, & quæ simpliciter in articulo mortis non tolluntur, si Pœnitens periculum evadat sive supervivat: ut de obligatione comparendi ad obedientiam præstandam, vel ad satisfaciendum parti læsæ, in Censuris suprà adnotavimus.

Dixi (*eo enim ipso quod ab inferiore non habente per se auctoritatem absolvendi à Reservatis vult absolvi*) Casu enim quo quis nolit à Reservatis absolvi remanet in suo jure & ita se gerere potest quasi non habens Confessarium præsentem: unde sicut non tenebitur confiteri tunc temporis, sic nec oneri bis sua peccata confitendi se subijcere, Et circà Celebrationem Missæ aut Communionem in vera & manifesta necessitate, talis se gerere poterit ad instar illius qui non habet copiam Confessarij. *Objicies*: Habet hic Ministrum Confessionis sufficientem ad absolvendum modo, sub onere postea comparendi: ergo habet copiam Confessoris, ergò tenebitur confiteri. Resp. Neg. conseq Non censetur enim copia, quæ cum onere tanto habetur. Cumquè contrà voluntatem non possit quis cogi idem peccatum bis confiteri, sic contrà voluntatem non potest cogi onus hoc suscipere; teneretur autem & huic non habenti liberam Jurisdictionem, & Superiori idem peccatum bis confiteri.

Multa verò circà hoc onus & modum comparitionis occurrunt, quæ melius præcisis dubijs examinabuntur.

DUBIUM I.

Qualis Comparitio requiratur in eo, qui sub onere Comparendi ab Inferiore est à reservatis absolutus?

P Ro resolutione advertendum est nos multiplicem hic Comparitionem excogitare posse. 1. Est *purè Naturalis*, quâ quis Superiorem sive Delegatum eius adit, nullâ factâ mentione causæ cur compareat. *Comparitio Naturalis.*

Comparitio Moralis

2, *Moralis* quidem, sed indifferens & in confuso, quâ petit à Superiore vel Delegato benedictionem, nullam faciens mentionem peccati reservati: vel etiam ei confitendo non reservata. *Comparitio Formalis,*

3. *Formalis*, sed in genere, quâ se sistit Superiori ut ei denuntiet se absolutum à casu reservato ab Inferiore, non tamen explicando casum, sed simpliciter manifestando se satisfacere oneri quod Inferior absolvens jure imposuit.

Comparitio Specifica

4. Est *Formalis & specifica ac integra*: qua Superiori se sistit aut eius Delegato, confitendo denuò peccatum, & explicando suos casus reservatos, à quibus sub hoc onere prius fuit absolutus, & petendo Sacramentalem absolutionem.

Advertendum 2. Superiorem sive Delegatum circà Pœnitentem habentem casus reservatos, varie se gerere posse.

1. *Sacramentaliter* audiendo eius Confessionem, & eum absolvendo tam à reservatis, quam à non reservatis.

2. *Tollendo Reservationem casus* & permit-

tendo, ut cuilibet approbato possit confiteri, & ab illo absolvi.

3. *Delegando* aliquem expressum qui absolvat.

4. *Absolvendo* (ut aliqui dicunt) à Reservatis & mittendo illum ad Confessarium quemlibet approbatum pro non reservatis.

Advertendum 3. *Aliam* esse Potestatem in Reservante: *Aliam*, in Delegato: In Reservante enim est Potestas non tantum absolvendi, & delegandi alium qui absolvat: sed etiam Potestas tollendi reservationem respectu casus vel personae: *Ex. g.* Potest simpliciter reservans dicere Poenitenti: Circà hos casus reservatos quos commisisti, tollo reservationem, adeoque confitere cui placet approbato: Potest & excipere personam à Reservatione, dicendo: Nolo te in Reservatione ista meorum casuum comprehendi: tunc enim respectu eius nulla erunt peccata reservata: quomodo explicatur à nonnullis Lex reservationis circa impuberes, mulieres, perpetuò valetudinarios, &c.

In Delegato vero (nisi aliud exprimatur) etsi sit Potestas absolvendi à reservatis, nulla tamen est Potestas Delegandi, vel tollendi reservationem. Cujus ratio est: Quia non habet nisi quod expressè ei conceditur: conceditur autem tantum delegato Potestas absolvendi à casibus reservatis, non autem Delegandi, aut tollendi reservationem: Quod debuit advertere Bonacina qui dicit se non videre quare Delegatus non possit tollere reservationem. Ratio enim data est: Quia non datur ei talis Potestas, sed tantum Potestas absolvendi.

Dixi (*nisi aliud exprimatur*) reservans enim utramquè, si velit, & exprimat, communicare potest.

RESOLUTIO I.

Compari. bis Naturalis & Moralis insufficiens. DIco itaquè 1. Sola Comparitio Naturalis aut Moralis, confusa & indifferens, nullâ mentione factâ casus reservati, non sufficit, ut quis oneri de Comparendo satisfaciat.

Ratio est: Quia haec est impertinens ad finem reservationis vel onus impositum: cum à quocumquè innocentissimo fieri aequaliter possit, sine ulla alicuius delicti vel nota, vel discretione.

RESOLUTIO II.

COmparitio formalis, etsi solum in genere peccatum reservatum commissum insinuet nullâ eius specificatione factâ, si coram reservante, sivè eo cui reservatum est, vel eius Superiore fiat, sufficit ut quis oneri de Comparendo satisfecisse dicatur. Non tamen si coram solo Delegato. *Formalis sufficiens.*

Ratio est: Quia in Reservantis vel eius cui casus reservatus est, eorumque Superiorum Potestate est, vel onus specificandi, aut etiam comparendi condonare; vel reservationem tollere, sinè ulla Absolutione Sacramentali, quae omnia fieri possunt absquè specificatione Casus, solum in genere cognoscendo quod talis fuerit irretitus Casu reservato. *Ex. g.* Ioannes venit ad Episcopum & dicit se ob casum ipsi reservatum coram eo comparere: Hoc ipso potest eum Episcopus ad quemcumquè Confessarium remittere, auferendo reservationem, aut ei condonare nè specificet sibi casum; maximè si prius per interpretativam auctoritatem ab Inferiore est absolutus. Qui enim potest reservare, potest reservationem tollere, potest & omnia quae ex reservatione onera consequuntur, condonare. Et hic modus magis est communis in praxi: Quando quis postulat Superioris auctoritatem, sivè ut activè absolvat, sivè ut passivè absolvatur. Si enim Superior ulteriorem specificationem non urgeat, sed ad Confessarium alium dimittat, censetur aut reservationem tollere, aut alium ad Absolutionem cum debita Potestate, delegare.

Dixi verò *huiusmodi Comparitionem non sufficere circa delegatum*, Quia hic solam participat auctoritatem impendendi Absolutionem Sacramentalem, in caetera autem onera reservationis nihil potest: Delegatio enim Confessarij pro reservatis nihil aliud, est quam communicatio potestatis absolvendi ab illis in Foro Poenitentiae.

RESOLUTIO III.

COmparitio Formalis, specifica, & integra ad recipiendam Sacramentalem absolutionem sufficit coram quocumquè, sivè sit delegatus tantum, sivè alius quilibet Potestatem habens absolvendi. *Comparitio Integra Formalis perfecta.*

DUBIUM II.

An Comparitio fieri possit per litteras?

RESOLUTIO.

REspondeo: Ad reservantem aut eius Superiorem sivè etiam eum cui sunt reservata, non tamen ad Delegatum, potest fieri comparitio per litteras, utiquè, petendo ut vel reservationem tollat, vel suam auctoritatem alteri deleget. Ratio est: Quia recursus sivè comparitio non refertur ad alium finem nisi ad obedientiam & recognitionè auctoritatis & obedientiae Reservantis quae etsi ad Sacramentum aliquo modo referatur extra Sacramentum fieri potest, & consequenter per Litteras, est tamen in potestate Reservantis hanc Comparitionem acceptare vel renuere, simplex enim postulatio est, nec aliquid ad Absolutionem facit; sed oneris impositi solum adimpletio est.

Dixi (*non tamen ad Delegatum*) quia ut suprà saepius adnotatum est: is habet tantum Potesta-

potestatem absolvendi, absolutio autem per litteras dari non potest.

Advertendum tamen est, non esse consultum per Literas hujusmodi comparitionem facere, propter infamiam quæ inde nasci potest, nisi valdè in genere fiat ita ut in personæ notitiam perveniri non possit.

Dubium III.

An comparitio fieri possit per Tertiam Personam?

Resolutio.

Comparitio per tert. Personam.

AD postulandam ablationem Reservationis, vel obtinendam auctoritatem absolvendi à reservatis ab habente potestatem, Comparitio potest fieri per tertiam Personam nomine peccatoris.

Ratio est quæ supra, quia etiam illa possunt fieri extra Sacramentum, etsi (ut semper dixi) ad Sacramentum aliquo modo ordinentur, nec sunt aliquo Jure prohibita: Imò Regularium praxis est, ex Decreto Clementis VIII. ut per confessarium delegationis sive auctoritatis postulatio fiat.

Decret. Clemens VIII.

Dubium IV.

Quæ sit praxis Comparitionis per Confessarium vel tertiam Personam?

Resolutio I.

Praxis 1. Confessarij, qui à Casum reservatum non potest absolvere.

QUandò Confessarius audivit casum reservatum Pœnitentis, & ipsi confessario patet facilis aditus ad Reservantem vel ejus Superiorem, potest si velit, & expedire judicet, adire illum & petere potestatem absolvendi Pœnitentem (tacito tamen nomine) à peccato vel peccatis reservatis. Quam si ipse concedat, tunc Pœnitentem se demum Tribunali suo subjicientem, absolvat plenariè sine ullo comparendi onere.

Dixi (*si velit & expedire judicet*) non enim tenetur, nisi fortè ubi urgeret præceptum charitatis, vel justitiæ, in aliquo casu vel necessitate.

Resolutio II.

Praxis 2.

SI Confessario non patet aditus ad habentem potestatem delegandi, nec sit aliqua difficultas vel moralis necessitas hic & nunc absolvendi: potest si velit & ita expedire judicet, per litteras petere, ut aliquem pœnitentem, tacito nomine & casu, possit à reservato vel reservatis absolvere. Et tunc acceptâ auctoritate (ut immediatè dictum est) absolvat.

Dixi (*nec sit aliqua difficultas, vel moralis necessitas, &c.*) subsistente enim tali necessitate vel rationabili admodum causâ, per Interpretativam & onerosam potestatem absolvet pœnitentem etiam à reservatis, imposito illi onere ut coram habente auctoritatem compareat.

Resolutio III.

Praxis Pœnitentis.

QUi absolutus est cum onere comparendi, potest aut per se comparere coram habente auctoritatem: aut per litteras rogare ut sibi licentia fiat eligendi Confessarium cum auctoritate absolvendi à reservatis: aut libertatem confitendi cuicumque sublatâ reservatione: aut rogare Confessarium ut ipsemet auctoritatem petat absolvendi, ut à comparitione excusetur & ab illo absolvi, possit. Resolutio clara est ex suis terminis & antedictis.

Resolutio IV.

Praxis 3. Confessarij.

COnfessarius qui prius absolvit Pœnitentem à reservatis per interpretativam & onerosam potestatem ratione necessitatis, si postea ab habente potestatem, Delegationem ad absolvendum acceperit: debet ita se gerere ut Pœnitens reservata iterum confiteatur, & alia mortalia si quæ habet, ab ultima Confessione commissa, & illum iterum Sacramentaliter absolvere.

Ratio est: Quia (ut supponitur) non accepit aliam potestatem absolvendi nisi à reservatis in Sacramento Pœnitentiæ: & aliàs Pœnitens ex vi oneris comparendi sibi impositi, tenebatur iterum confiteri, & Sacramentaliter absolvi à Reservante sive ejus delegatio: nisi de suprema potestate Reservans reservationem sustulisset: qualis potestas non conceditur Confessario postulanti absolvere tantum, ut in praxi ordinaria fit.

Resolutio V.

Praxis 4. Confessarij.

COnfessarius non tenetur explicare se prius per interpretativam potestatem absolvisse cum onere: sed sufficit simpliciter postulare auctoritatem à reservato vel reservatis absolvendi.

Ratio est: Quia hæc specificatio ad rem non pertinet, cum supponatur usus justissimè Potestate Interpretativâ, & ex parte Pœnitentis remaneat onus quod ex reservatione ortum est.

Dubium V.

An teneatur Superior Confessario postulanti auctoritatem vel Pœnitenti eandem postulanti ut alteri Reservatum casum confiteri possit, auctoritatem suam concedere?

Resolutio I.

Obligatio Superioris Regularis.

PRælatus sive Superior Regularis tenetur concedere auctoritatem absolvendi à reservatis Confessario ordinario deputato in Conventu illam postulanti, si Confessarius

rius expedire judicaverit. Ita expresse *Clemens VIII. in Decreto anno* 1593. ubi cum præcepisset Confessarios in competenti numero deputari, qui à non reservatis absolverent, subdit: *Et quibus etiam reservatorum absolutio committatur quando casus occurrit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius judicaverit.* Ex quibus verbis constat in hoc judicium Confessarij deputati sequendum, Quod credo factum contra nonnullorum Prælatorum [illegible]iam austeritatem.

Clem. 8. in Decret. an. 1593.

Dixi (*Confessario deputato, &c.*) de hoc enim solo loquitur Decretum, & aliàs Superior manet in suo Jure de quo in *in eodem Decreto*, §. 3.

RESOLUTIO II.

Obligatio omnium Superiorū.

NOn potest Superior, etiam Sæcularis, negare auctoritatem suam aut subdito postulanti ut alteri confiteatur, aut Confessario ut absolvat, nisi ex multum rationabili & justa causa.

Ratio est: Quia Potestas hæc (ut aiunt Pontifices) *data est in ædificationem, non in destructionem*, qui autem sine justa & rationabili causa negaret, in distructionem suorum subditorum id facere censeretur.

Rationabiles causa negandi auctoritatem Absolvendi à Reservatis.

Rationabilis verò & justa causa negandi censetur, quando negaret ob bonum & salutem Pœnitentis, ad ei pro sua salute benè consulendum, ad evitandum damnum aliquod spirituale vel quia Confessarius auctoritatem postulans, non videtur aptus ad consulendum bono Pœnitentis, quæ omnia prudenti judicio Superioris relinquuntur.

RESOLUTIO III.

Obligatio duplex Superiorum in concedenda auctoritate.

ALiquando ex justitia, quandoquè ex charitate tenetur Superior petenti auctoritatem ut ab alio absolvatur à casibus reservatis illam concedere, & juxta materiæ gravitatem sub peccato mortali.

Explico: *Ex justitia* tenetur quando si per se audiret grave aliquod detrimentum proximo evenire posset, ut infamia, inimicitiæ graves; revelatio Confessionis, alienæ culpæ injusta manifestatio, quæ ex justitia tenetur evitare.

Ex charitate: ut si advertat aut advertere debeat nimiam Pœnitentis verecundiam, minorem in confitendo libertatem, periculum celandi aliquod peccatum, &c.

Petes: Quid faciet Pœnitens si injustè sibi deneget Superior auctoritatem, ut ab alio à casu reservato absolvatur.

Praxis Pœnitentis ubi denegatur auctoritas.

Respondeo. 1. in dubio semper esse præsumendum Superiorem habere justam causam denegandi.

Respondeo. 2. ubi sine tergiversatione constat denegationem esse injustam, maximè quod detrimenti gravis futuri, aut periculi Pœnitens sit verè conscius, tunc eum posse absolvi ab Inferiori non habente auctoritatem in absentia alterius Delegati, per Potestatem interpretativam, titulo tamen oneroso, opportuno tempore comparendi coram habente auctoritatem delegatam liberam, pro ut sæpius est dictum.

DUBIUM. VI.

Quando absolutus cum onere comparendi teneatur comparere?

RESOLUTIO I.

NOn tenetur statim comparere: Ratio est: quia nulla est lex tantæ festinationis, & aliàs jam ritè absolutus est ab omnibus peccatis.

RESOLUTIO II.

TEnetur primo opportuno tempore comparere, ubi nulla est alicujus momenti incommoditas, vel causa rationabilis differendi.

Tempus comparitionis.

Ratio est: Quia tunc irrationabiliter & injustè censeretur tergiversari in tanta obligatione, cujus omissio est mortale peccatum, & consequenter exponit se periculo gravi non satisfaciendi, cùm ignoret: An iterum opportunum tempus recurret. Tunc porrò censetur notabilis incommoditas sufficiens ad differendam comparitionem, quando sine nota comparere non potest, aut non absque dicterijs, sive cum detrimento aliquo temporali vel spirituali.

Rationabilis autem causa differendi erit, si competenter non possit se ad Confessionem præparare, utpote notabiliter distractus: si fiduciam non habeat in Confessario qui occurrit: Si verè speret brevi habere fructuosam magis & opportunam occasionem cum majori fructu satisfaciendi.

Causa differendi.

RESOLUTIO III.

QUi sciens & volens sine causa rationabili differendi, differt comparitionem, peccat mortaliter.

Nimia dilatio.

Ratio est: Quia etsi Lege non sit indictum tempus ad comparendum: qui tamen sine causa, notabili tempore illam differt, censetur se periculo gravi exponere omissionis hujus debiti & oneris, quod pro favore acceleratæ absolutionis in se assumpsit.

DUBIUM. VII.

Quæ sit praxis absolvendi Pœnitentem à casibus reservatis, ubi Superiorem accedit vel coram eo comparet?

PRo resolutione adverte. Pœnitentem accedere posse Superiorem ob finem quadruplicem. 1. ut Sacramentaliter ab eo absolvatur. 2. ut dignetur tollere reservationem, 3. ut alteri cui confiteri possit, auctoritatem suam conferat. 4. Cum jam quidem ab inferiori est absolutus, accedit autem dum-

duntaxat ut compareat, sive ad absolutionem, sive ad condonationem oneris absque absolutione, sive ad petendam auctoritatem ut ab alio iterum absolvatur.

Resolutio I.

Praxis 1.

SI Poenitens velit confiteri Superiori ac Sacramentaliter absolvi, & similiter Superior velit Confessionem eius Sacramentalem audire, tenetur cessante gravissima necessitate, omnia peccata mortalia illius, tam reservata quam non reservata audire & ab ijs absolvere.

Confessio debet fieri integra.

Unde omninò improbabilem arbitror sententiam eorum, qui dicunt: Reservantem sive Superiorem ex quovis impedimento vel caussa, posse audire peccata sola reservata & ab ijs absolvere, & pro aliis peccatis sive pro pleniori Confessione Poenitentem ad Inferiorem remittere. *Ratio est*: Quia huiusmodi dimidiata Confessio est impertinens ad Potestatem reservandi aut absolvendi à casibus reservatis, estque contrà Ius divinum, & rationem integritatis Confessionis etiam materialis, quæ extra casum veræ necessitatis obligat ad peccatum mortale tam Poenitentem ut confiteatur, quam Confessarium ut audiat; unde pono secundam Resolutionem.

Resolutio II.

Confessari us debet omnia peccata audire.

EXceptis casibus necessitatis in quibus omnis Poenitens excusatur ab integritate materiali Confessionis, vel Confessarius quilibet ab audiēdis omnibus peccatis mortalibus integraliter, etiam materialiter: peccat mortaliter & invalide absolvit, qui audit sola reservata (Poenitente habente alia mortalia non reservata) & ab illis absolvere Sacramentaliter tentat.

Ratio: sumenda est ex communi doctrina de integritate materiali Confessionis, super qua potestatem Reservatorum habens, non habet Potestatem dispensandi vel aliquid disponendi, quod Jure Divino alias dispositum non est: Imò nec ipse Papa; undè cum sola causa gravis periculi & necessitatis declarata sit, excusare ab integritate materiali confessionis; ut in periculo mortis, in naufragio, peste, angustia temporis, &c. quæ omnes Poenitentes & Confessarios contingit: perperam attribuitur libertati eius qui potestatem habet absolvendi à reservatis, ut pro libitu, vel impedimento quolibet, dimidiatam Confessionem indulgeat.

Dices: Superior sive Reservans est ita impeditus ut audire non possit Confessionem integram. *Resp.* Auferat reservationem, vel alium, aut alios deleget, & non deroget integritati Confessionis, cui derogari non potest nisi in casibus gravissimæ necessitatis communiter declaratis. Nec aliquis fingi potest casus qui dictæ sententiæ faveat, quæ Reservationem casuum præcisè contingat:

Praxis 2.

Cum in prænarratis periculis ferè semper cesset reservatio, & omnia referantur ad articulum mortis, in quo nullam esse reservationem docuimus.

Resolutio III.

Praxis 3.

REservans vel Superior, si non velit aut non possit commodè audire totam Confessionem, potest auditis, vel etiam non auditis reservatis, tollere reservationem, vel alium aut alios delegare, aut dare potestatem eligendi Confessarium qui eum absolvat. Resolutio per se patet & exantedictis clara est.

Resolutio IV.

Praxis 4.

POtest Superior sive Reservans auditis solis reservatis, si alia nolit audire nec absolvere; imponere Poenitentiam secretam Poenitenti & illum ad alium qui absolvat, ut dictum est, remittere. Quinimò Confessario auctoritatem postulanti potest poenitentiam secretam imponendam taxare, quam & imponere tenebitur sub peccato mortali, & Poenitens acceptare, si à reservatis absolvi velit.

Ratio est: Quia cùm sit in illo Potestas reservandi, & à reservatis absolvendi, consequenter ex hac Potestate resultat Potestas poenitentiam taxandi, & imponendi, quia hæc ad finem reservationis sive disciplinæ Ecclesiasticæ spectant.

Dubium VIII.

An omnes actus qui interveniunt in accessu vel comparitione, Sacramentales sint & ad sigillum Sacramentale pertineant?

Actus plures sunt Sacramentales.

DUpliciter aliquis actus potest dici Sacramentalis. 1. Quia præcisè ad Sacramentum pertinet, & in ipso Sacramento exercetur, pertinetque ad actus essentiales vel integrales. 2. Potest dici actus Sacramentalis non quia præcisè ad Sacramentum pertinet, sed tantum quia ad illud ordinatur, & propter illud fit.

Resolutio I.

OMnes actus qui interveniunt in accessu vel comparitione ad superiorem, vel eum cui reservati sunt casus, non sunt præcise Sacramentales.

Ratio clara est: Quia non omnes in Sacramento fiunt: Tales sunt ex parte Poenitentis comparitio ad postulandam auctoritatem, vel auferendam reservationem, vel eligendum Confessarium, &c & prædictorum concessio ex parte superioris vel Reservantis, sive illius cui sunt casus reservati, fieri solet extra sacramentum.

Raso-

RESOLUTIO II.

Actus sub sigillum cadentes. OMnes actus, qui in accessu sive comparitione tam ex parte Pœnitentis, Confessarij, vel Tertiæ Personæ, quam ex parte Superioris Reservatis interveniunt, & ad Sacramentum ordinantur, hoc titulo Sacramentales dici debent, & sub sigillum Sacramentale cadunt: ita ut nullatenus possint directè vel indirectè manifestari, aut eorum notitia in gravamen pœnitentis assumi, non magis quàm ipsa peccata in confessione declarata, Ratio sumenda est ex communi doctrina de sigillo: Quæ enim ad Confessionis Sacramentum aliquo modo referuntur, sive sint antecedentia, sive consequentia, sub sigillum cadunt. Talia sunt omnia quæ occasione Reservationis interveniunt.

DUBIUM. IX.

An Confessarius petens nomine Pœnitentis auctoritatem absolvendi à Casibus reservatis, possit, vel teneatur Casus aut personam exprimere?

RESOLUTIO.

Prima. SI Superior vel reservans petat & urgeat sibi Casus aperiri & manifestari, potest & debet confessarius aperire & exprimere (si sciat) nullatenus tamen personam manifestare, imò casum tacere tenebitur si ex ipsius expresione, persona manifestetur.

Ratio prioris partis est: Quia jus habet Superior & Reservans ad cognoscendum de materia reservata, sive ad prudenter delegandum, sive ad taxandas, si velit, Pœnitentias, & ad alia agenda quæ ad salutem Pœnitentis ex vi Reservationis ordinantur.

Dixi (*si Superio urgeat*) Quia si Superior non urget, melius est tacere Casum, & simpliciter postulare auctoritatem.

Prima Dixi in posteriori parte (*Non debere tamen revelare personam, etsi Superior peteret*) Quia Superior & Reservans nil Juris habet in personam, nisi quando illa voluntariè se præsentat, vel manifestat, aut mandatum dat & licentiam se manifestandi, Potest enim habere causam Superiori aut Reservanti se non præsentandi, sed per aliquem delegatum secreto auctoritatem aut etiam coodonationem sive absolutionem Reservationis sollicitandi.

Unde notanter addidi (*tenetur etiam Casum tacere, si ex eius manifestatione Superior deveniret in notitiam Personæ*) manifesta enim fieret iniuria, cum ad illum solum pertineat se manifestare, nec per alium manifestari possit, nisi cedat Jure suo, & expersse sui manifestationem alteri committat: Quod facilè non debet Pœnitens facere propter pericula & emergentes difficultates.

Dixi etiam (*si sciat*) quia potest fieri ut omnino ignoret casum, nimirum, si Pœnitens generaliter tantum rogavit ut auctoritatem absolvendi à casibus postularet, nihil specificando.

DUBIUM X.

An qui in Confessione in Iubileo Superiori, vel habenti potestatem in casus reservatos facta, aliquod vel aliqua peccata est oblitus confiteri, à quolibet Approbato absolvi possit?

RESOLUTIO.

QUi in Jubilæo Superiori, vel habenti potestatem absolvendi à reservatis confessus fuit, si inculpabiliter aliqua peccata reservata omisit, potest à quolibet Approbato absolvi: modò tamen Confessarius habens potestatem absolvendi à reservatis aliquo modo conscius fuerit voluntatis Pœnitentis, ut à reservatis absolveretur.

Ratio est: Quia Superior & habens potestatem absolvendi à reservatis, sive per Jubilæum, sive per delegationem, aut privilegium, censetur velle uti totâ suâ potestate necessaria ad absolvendum quemlibet Pœnitentem ad se pro absolutione accedentem, ergò & absolvendi à reservatis, si quæ habeat & consequenter ab ijs quæ inculpabiliter in confessione omittit.

Dico (*inculpabiliter*) qui enim malitiosè vel ex verecundia sciens & volens omitteret, sicut scienter malam Confessionem faceret, sic absolutionis Privilegio non gauderet, & consequenter nec reservatio per hanc invalidam absolutionem tolleretur.

Dixi (*si aliquo modo Confessarius conscius fuerit voluntatis Pœnitentis, ut à reservatis absolveretur*) ad hoc autem sufficit interpretativa voluntas Pœnitentis, & implicita scientia Confessarij, Ex. g. Qui in Jubilæo ad illud lucrifaciendum confitetur sicut censetur implicitè & interpretativè velle sibi illud omne indulgeri quod per privilegia Jubilæi potest, & necessarium est, sic præsumitur Confessarius idipsum supponere. *Item*: Qui Superiorem extraordinariè adit, censetur causam aliquam extraordinariam habere, ut Superioris Potestate in beneficio absolutionis perfruatur.

Item: Qui ad Delegatum pro Casibus reservatis extraordinariè accedit, quem aliàs non solet accedere, Delegatus interpretari potest ad ipsius potestatem ampliorem in quantum sibi necessaria fuerit accedere Aliud foret si Superior vel Delegatus esset ordinarius Confessarius Pœnitentis, tunc enim hanc potius quàm aliam Confessionem ad Casuum reservatorum absolutionem

nem fieri, præsumi non possit, cum utraque censeretur fieri ordinario Confessario, ad Casus Ordinarios.

Clari sunt Casus: Quandò quis Confessario prius expressit se accedere pro reservatis, tamen ex oblivione inculpabili nullum reservatum confitetur, nec Confessarius reflectit ut interroget, sed absolutionem omninò impertitur. Tunc enim censetur uti totâ suâ Potestate & à reservatis simul absolvisse. *Item* clarius: Quandò quis unum saltem peccatum reservatum confessus est, & alia per oblivionem in culpabilem omisit.

DUBIUM. XI.

An qui tempore Iubilæi sæpius in peccata reservata labitur, possit pluries virtute Iubilæi absolvi?

RESOLUTIO.

QUi tempore Jubilæi sæpius in peccata reservata labitur, quamdiu needum per executionem omnium operum requisitorum Jubilæum est consecutus, potest toties quoties absolvi.

Ratio est: Quia Jubilæi potestas est amplissima, nec ad unam aut alteram confessionem restringitur: Et alias usque ad complementum ultimi operis semper durat Potestas Absolutionis Sacramentalis, cùm referatur & ab Ecclesia liberaliter data sit ad effectum jubilæi perfectè consequendum, quod fieri non potest nisi ultimo opere perfectè completo. Unde qui vult jubilæum consequi, potest per utramque hebdomatam ita sua opera distribuere, ut in fine secundæ hebdomadæ ultimum opus perficiat, & sic toties quoties intra istud tempus absolvi.

Objicies: Non censetur Ecclesia dare jubilæum in alicuius offendiculum vel causam peccati, sed si toties quoties intra terminum Iubilæi, posiit quis à reservatis absolvi, revera hanc gratiam poterit accipere in offendiculum & confidentiam, ad hoc ut frequentius in peccata reservata labatur.

Resp. Ecclesiam quidem in Iubilæo conferre gratiam plenissimam absolutionis ex virtute misericordiæ à reservatis, iustis & sanctis de causis illam moventibus; væ tamen illis qui abutuntur, & quod datur illis in gratiam, malitia sua accipiunt in offendiculum: si tamen de damnosa illa confidentia verè pœniteant ante finitum Jubilæum, & tam de illa quam de reservatis ita commisisverè confiteantur, etiam illo tempore absolvi poterunt.

Dixi (*in Iubilæo*) Quia in alijs multis privilegijs à Pontificibus datis pro absolutione à reservatis, excipitur Casus qui committitur in fraudem vel confidentiam: ut videre est in nonnullis Privilegijs datis Fratribus Minoribus, ut certis temporibus à peccatis omnibus, etiam reservatis, à quocumquè Approbato à Superioribus Ordinis absolvi possint. Dummodò (aiunt Pontifices) ex confidentia aliqua peccata non committant, in quo casu, nullatenus eis talis indulgentia sivè gratia suffragetur. Vide *Compendium Privileg. verbo Absolutio Extraordinaria quoad Fratres n. 4. 7.* Comp. Priv. vel. absol. extra-ord. quoad Fratres n. 4. 7.

Petes: Quid sit peccare in confidentiam Privilegij vel Gratiæ. *Resp.* Eum dici peccare in confidentiam Privilegij vel Gratiæ: cui principale motivum lapsus, est Gratia vel Privilegium certo tempore concessum: ità ut nō tam fragilitas vel tentatio gravis urgeat, quàm occasio Gratiæ certo tempore concessa sit incentivum ad peccatum, sinè qua omninò verisimile est quod non peccaretur: *Explico*: Titius hoc tempore nullâ gravi tentatione vel fragilitate extraordinariâ movetur, cui aliàs non resisteret: Quia tamen promulgata est, vel in imminenti promulgabitur Gratia qua à Reservatis quilibet Confessarius absolvet, ipsemet se urget & excitat ad peccandum, vel modicæ tentationi vires malitiosè addit, tunc dicitur peccare ex confidentia ut principali motivo. Si enim gravi aliàs tentationi Gratia occurrens tantummodò occasionem subministret, tunc propriè ex confidentia non dicetur peccare.

Laudanda prorsus est praxis quorumdam Regularium Prælatorum, qui ubi ad aliquot dies auctoritatem suam largiuntur ut subditi à reservatis absolvi possint; nèex confidentia Casus aliquis accidat: exprimunt se pro præteritis culpis tantum auctoritatem dare, aut etsi ad plures dies auctoritatem darent, tamen pro una tantum vice sivè confessione prodesse declarant. Quod si non exprimant aliquam restrictionem (nisi per Papam sit reservatum) omnia peccata etiam per confidentiam commissa, comprehendunt: caveat tamen homo ille, qui communi charitate abutitur, nè desuper respiciat & conterat eum vindex Deus.

DUBIUM XII.

An qui semel omnia ad Iubilæum lucrifaciendum requisita complevit in prima hebdomada, possit in secunda iterum à reservatis demum post dicta opera commisso, absolvi?

NEgant multi, eâ quidem non contemnendâ ratione: Quod in Bullis Jubilæi contineatur, quo quilibet Christifidelis semel tantum Jubilæum lucrari possit: undè cùm auctoritas absolvendi à reservatis detur tantum in ordine ad lucrandas Indulgentias Jubilæi, eo ipso quo semel lu-

cratus

cratus est in prima hebdomada, non censetur posse lucrari in secunda, nec consequenter à peccato reservato denuò commisso in secunda hebdomada absolvi.

RESOLUTIO.

Dico nihilominus: Si iterum opera omnia quæ in Jubilæo ordinantur in secunda hebdomada perficiat, posse à reservatis post opera primæ hebdomadæ commissis, virtute Jubilæi absolvi.

Ratio est: Quia etsi quis semel tantum Jubilæum ex Indulto Pontificis possit lucrari in alterutra hebdomada: non prohibetur tamen ad majorem certitudinem, & pro spirituali sua utilitate bis, sive in utraque hebdomada opera præstare, & consequenter à reservatis in utraq; hebdomada absolvi, etsi non nisi semel Jubilæum lucretur, sive ad finem operum hebdomadæ 1. sive ad finem operum hebdomadæ 2.: Quia fortassis in secunda hebdomada opera perfectiùs adimplebit. Sicut enim potest quis per utramque hebdomadam opera extendere ita ut ultimum opus adimpleat in fine secundæ hebdomadæ: sic potest bis opera ipsa præstare ad finem semel benè lucrandi Jubilæi.

DUBIUM. XIII.

An qui confessus reservata tempore Jubilæi, ab illis absolutus est, si cætera opera non perficiat, in reservata relabatur?

Ratio dubitandi est: Quia hæc potestas absolvendi à reservatis non datur, nisi in ordine ad Jubilæum ordinatis operibus acquirendum.

RESOLUTIO.

Qui bona fide credens alia opera præstare, virtute auctoritatis in Jubilæo datæ est à peccatis absolutus: absolutè & absque aliqua recidiva censetur absolutus, nec tenetur aliàs reservata confiteri, etiamsi postea animum mutet & cætera opera non faciat.

Ratio est. Quia revera hic & nunc usus est Jure suo, & auctoritate simpliciter & absolutè concessà omnibus qui volebant Jubilæum lucrari, cuius etiam lucrandi tunc voluntas erat. Unde di ci (*qui bona fide, &c*) si enim ex tunc absolute lucrari Jubilæum nolebat, ei huiusmodi auctoritas suffragari non potuit, ut in ratione dubitandi exprimitur.

TITULUS V.
De qualitatibus sive de bonitate & Scientia Iudicum sive Confessariorum.

QUÆSTIO I.

An in Iudice sive Confessario requiratur necessario aliqua bonitas, ad Ministerium huius Iudicij Sacramentalis?

Advertendum 1. Duplicem nos hic posse statuere *Bonitatem*, Alia est, vera & intrinseca, quæ consistit in statu gratiæ & charitatis, quà quis dicitur verè bonus & verè iustus, Iustitia & bonitate inhærente: Alia est *Bonitas* quædam extrinseca, quam Legalem possumus appellare, quæ consistit in Bonitate quadam externa ad leges conformi, & quà ille dicitur bonus & justus, qui nulla nota vel pœna Legis est affectus: Quomodo extrinsecè & legaliter Bonus est qui non est Excommunicatus, Suspensus, Degradatus, Irregularis, &c. *Duplex bonitas.*

Advertendum 2. Bonitatem, dupliciter posse requiri ad Ministerium Sacramenti. *Primò*, ut validè administretur. *Secundò*, ut legitimè sive licitè, & absque peccato: Multa enim illegitimè & peccaminosè fiunt, quæ tamen fiunt validè, & facta tenent.

CONCLUSIO I.

Nulla bonitas vera & intrinseca in Iudice requiritur, ad validè administrandum pœnitentiæ Sacramentum sive Iudicium. est de fide, definitum *in Concil Trident. sess. 14 Can. 10 Si quis dixerit Sacerdotes qui in peccato mortali sunt Potestatem ligandi & solvendi non habere, &c. Anathema sit* Unde & D. *August. tract. 5 super Ioannem*: *Spiritualis enim virtus Sacramenti ut lux pura ab illuminandis excipitur, & per immundos transiens non inquinatur.* *Bonitas intrinseca.* *Concil. Trident. sess. 14. can. 10. D. August. tract. 5. su. Ioa. c. 1.*

Idem Epistolà ad Demetrium apud Gratianum: *Nec feris ergo, nec intus quisquam qui ex parte Diaboli est, potest in se vel in quoquam maculare quod CHRISTI est.* *Idem Epistola ad Demet. apud Gratianum.*

CONCLUSIO II.

Aliqua Bonitas extrinseca Legalis requiritur ad valorem Sacramenti, ut rite conferatur Constat ex pœnis & Censuris quæ à Ministro omnem auferunt Jurisdictionem, sine qua valida sententia in Judicio Sacramentali Pœnitentiæ dari nequaquam potest: ut si quis publicè & nominatim sit excommunicatus, Suspensus, Degradatus, &c Bonitas itaque illa requiritur non per se, sed quia pœna aut Censura inflicta, Jurisdictione Sacerdotem privat. *Bonitas extrinseca.*

CON-

Conclusio III.

Status gratiæ.

AD *legitimam & licitam administrationem Iudicij Sacramentalis Pœnitentiæ, ex natura Ministerij, requiritur status Gratiæ*, Ratio sumitur ex ipsa Ordinatione, in qua datur Spiritus sanctus, id est, Gratia Spiritus sancti, in ordine ad hoc ministeriũ debitè administrandum. Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* In quibus verbis non tantum indicatur Gratia Spiritus sancti remissionem peccatorum operans, sed etiam ipsi inhærens operanti; quam (ut loquuntur Doctores) ex vi huius Ordinationis Sacerdotes ad illud ministerium servare tenentur, juxta illud 2 Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites Gratiam Dei quæ est in te, per impositionem manuum mearum.*

Ioan. 20. Vers. 23.

2. Timoth. 1. Vers. 1.

Unde dixi *requiri ex natura Ministerij*) quia nimirum ad hunc finem in ordinatione Gratia collata est, ut Ministerium sanctè exerceretur.

Conclusio IV.

Audiens Confessiones in mortali, peccat mortaliter.

QVi *in peccato mortali actu existens Confessiones audit & absolvit Pœnitentem, mortaliter peccat*: Ita communiter Doctores: Ratio petenda est, ex Superiori Conclusione: Quia præter rationem communem Ministrorum certa Ordinatione deputatorum ad Sacramenta ministranda in quibus munditics cordis requiritur (juxta illud, Genesis 19. *Sancti eritis, quia ego sanctus sum dicit Dominus.* Et Levit. 12. *Omnis homo qui accesserit ad ea quæ consecrata sunt, &c. in quo est immunditia peribit coram Domino*) Sacerdotibus ad hoc Sacramentum ministrandum confertur Gratia, ergo quantum commodè & rationabiliter possunt, illam in se resuscitare tenentur, ab omni peccato mortali si quod contraxerint, resiliendo

Gene. 19. Vers. 45. Levit. 12. Vers. 3.

Unde notanter dixi (*qui in peccato mortali actu existit*) id est, qui in eo voluntate remanet sive per actualem vel virtualem malitiosam voluntatem, sive per complacentiam, aut negligentiam; non enim illum actu in peccato mortali existere censeo, quem reverà de peccato mortali pœnitet, & iam ab illo aversus, voluntatem plenè ad Dominum conversam habet: etsi tamen ob motum adhuc insufficientem ad perfectam contritionem, in peccati reatu existat.

Dixi etiam (*Qui confessiones audit, & absolvit*) In prolatione enim Sententiæ Absolutionis, cùm tunc potissimum operetur virtus Sacramenti: & Sacramentale Judicium perficiatur, in Gratiæ statu, aut saltem in voluntate à peccato omninò aversa esse tenetur. Unde toto tempore quo Confessionem audit tunc se bonis motibus præparare potest ad futuram Gratiam.

Quæstio II.

An Confessarius in peccato mortali existens teneatur ad licitè ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ, præmittere Sacramentalem Confessionem, aut saltem Contritionem perfectam de peccatis habere?

Conclusio I.

NOn *tenetur Confessarius in peccato mortali existens præmittere Sacramentalem Confessionem, ut licitè & sine peccato mortali Sacramentum Pœnitentiæ administret.*

Non tenetur Confessarius confiteri, &c.

Ratio est: Quia nullum tale præceptum reperitur: nisi pro Sacramento Eucharistiæ, illudque potius in ordine ad passivam illius receptionem, quam ad ministrationem, ut explicat **Concil. Trident.** *sess.* 13. *cap.* 7. & **Can.** 11. 1. *ad* **Corinth.** 11. ad illa verba *Probet autem seipsum homo.* Nullam autem Trident. aut alia Concilia pro aliquo alio Sacramento ministrando fecère mentionem similis præcepti. Et quidem tale præceptum si quod esset, moraliter in multis casibus impossibile esset, nec nisi summas difficultates in re tanti momenti generaret. Ex. g. Si plures Sacerdotes debeant audire Confessiones mutuas, omnes autem sint in peccato mortali nec sit alius qui absolvat: Quis volet primus in peccato mortali existens audire alium? Luctam duorum Sacerdotum opinionem illam de obligatione ad Confessionem actualem tenentium, hisce oculis semel conspexi: In qua cum unus rogaretur audire alterius Confessionem, se primò debere confiteri affirmabat, ita ut neuter esset qui primus sedere vellet, quod alijs videntibus scandalum, alijs risum excitabat.

Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. & Can. 11. ex cap. 11. 1. Corinth. 11. Ver. 28.

Conclusio II.

NEc *Confessarius tenetur ad perfectam Contritionem, ita ut sit conscius saltem opinativè & probabiliter.*

Confessarius non tenetur ad perfectam Contritionem, &c.

Ratio iterum est: Quia non extat tale præceptum; præterquam etiam quod sæpe sit in multis casibus moraliter impossibile: Quis enim via ordinaria se perfectè contritum judicare, aut verè æstimare potest? Sæpe etiam contingit ut quis cito ad infirmum evocetur, ita ut non detur tempus aut medium quo huiusmodi Contritionem excitet, mente alijs fortè quæ ad hoc ministerium spectant, distracta.

Conclusio III.

COnfessarius *per se non tenetur nisi ad bonum & verum motum cordis, quo quantum in se est, de peccato doleat, sitque totaliter aversus ab om-*

Non tenetur Confessarius ad omnem à peccato aversionem

ab omni voluntate peccaminosa, cum conversione ad Deum, & proposito opportunè confitendi. Ratio est: Quia hoc sufficit ut dicatur se verè præparare ad Gratiam, & facere quod in se est juxta præsentem obligationem.

Dices 1 Quandocumque quis tenetur in aliquo tempore vel instanti esse in Gratia, in illo tenetur (si in mortali peccato sit) aut ad Confessionem actualem cum attritione super-naturali: aut ad Contritionem veram cum voto Confessionis: sed ex prima quæstione tenetur quis in tempore sive instanti quo Pœnitentiæ Sacramentum administrat esse in Gratia; ergo consequenter tenetur aut actualiter confiteri cum attritione, aut veram & perfectam Contritionem habere cum voto Sacramenti. Major constat ex obligatione Contritionis vel Confessionis in articulo vel periculo mortis; in susceptione Sacramentorum quæ dicuntur vivorum, sive quæ supponunt vitam Gratiæ.

Resp. Neg. paritatem: Disparitas enim magna est inter ea quæ in majori ponuntur, & quæ in minori assumuntur: *Explico:* Cum quis tenetur necessitate vel præcepti vel medij, vel utroque ad Confessionem vel Contritionem, tunc eam absque peccato mortali omittere non potest: Taliter obligatur aliquis in periculo mortis (si sit in mortali peccato) ad Confessionem vel Contritionem, quia urgetur tum necessitate medij (quia non datur aliud medium quo in periculo illo à peccato liberari possit vel damnationem evadere) tum necessitate præcepti, (quia tenetur tunc præcepto charitatis suam procurare salutem) similiter qui Sacramenta vivorum suscipere debet, si etiam peccati mortalis sit conscius, urgetur præcepto speciali de non ponendo obicem Sacramento, & eius effectui, unde necessariò iterum aut confiteri debet, aut conteri: Aliud porrò est: De Ministro Sacramenti huius: Hic enim nullâ singulari necessitate medij, aut præcepti urgetur ad actualem Gratiam (cum nequaquam impediatur per peccatum eius Ministerium, quâ tale est) sed tantum tenetur ad Sanctitatem obligatione generali, quâ *Sancta-sanctè*, quantum fieri potest, ministrari debent: ad quam obligationem generalem nullum reperitur præceptum speciale de Confessione vel Contritione, sed sufficit, ut se disponat ad Gratiam ordinario modo, qui Dei Gratiâ homini obvius est, nimirum ut de peccato verè doleat, ab illo avertatur & confiteri proponat. Quidquid enim amplius est, hominem aliter non obligat, nisi necessitate medij vel singularis præcepti aliàs obligetur. Addo, eum qui est in articulo vel periculo mortis, imò & in susceptione sanctæ Eucharistiæ (cum copiam Confessarij non habet) vi præcepti obligati tantum conari excitare Contritionem quantum in se est: Quod si dolor ad perfectam rationem Contritionis non perveniat, in ijs quæ sunt tantum præcepti, ut in susceptione Eucharistiæ, excusabitur ab omni culpa, quia in eo quod ex parte sua dependebat, juxta præsentem possibilitatem non defuit; in ijs verò, in quibus Contritio necessitate medij est requisita, si ad perfectam Contritionem dolor non perveniat morte præveniente, Pœnitens damnabitur; non quia peccavit novo peccato, cum hic & nunc Contritionem habere non potuerit, sed propter peccata priora quæ supponuntur non esse remissa.

Nota.

Dices 2. Minister tenetur facere quod vel quantum in se est ut in gratia ministrare possit: Potuit autem confiteri cum attritione, aut conteri cum proposito Confessionis.

Resp. Illud (*quod vel quantum in se est*) non debere intelligi quoad omnia media, sed quoad ea tantum quæ sine superaddito gravamine in ejus potestate sunt; nimirum juxta modum quo communiter peccatores à peccato averti solent, ubi singulare præceptum non est: Hic autem modus non est nisi per bonum cordis motum in Deum & aversionem à peccatis cum proposito opportuno tempore confitendi: Neque enim absque gravamine ad præceptum Confessionis obligari quis potest, quod in sola perceptione Eucharistiæ obligare declaravit Ecclesia: Neque Contritionis necessitate, quæ non est in potestate hominis omni tempore, etiamsi præceptum de audienda Confessione Pœnitentis, urgeret. Quinimò mea sententia est, in ijs quæ à Dei singulari dono dependent: nunquam ad aliud hominem sub peccato mortali teneri, nisi ad ea quæ in eius sunt potestate, nimirum non ponere ex parte sua impedimentum Gratiæ, non resistere motibus divinis, sed positivè agere quod potest operando & cooperando. Nec aliquid amplius confert putata vel existimata Contritio, nostra enim æstimatio nil conferre potest ad rem & sanctitatem, si vera Contritio non sit, & contingit quod, qui magis contritus est, minus sæpe se æstimet contritum.

Nota.

QUÆSTIO III.

Quæ scientia requiratur in Iudice sive Confessario pro hoc Tribunali?

Varia qualitates Confessarij.

ADvertendum: cum hoc Judicium non ad condemnationem, sed ad salutem & medicinam spiritualem ordinatum sit. Ministrum sive Judicem in isto ministerio diversimodè se gerere debere, & velut diversarum personarum munia obire, utpote. *Iudicis, Medici, Doctoris, Pastoris. Iudicis* quidem primariò ex fine principali, qui est remittere peccata sive

Psal. 146. Vers. 3. sive solvere & ligare: Medici autem, ut sanciatis mentibus adesse possit. Et ut in Psalmo dicitur, *sanet contritos corde & alliget contritiones eorum.* **Doctoris** verò ut prudenter dubia resolvat, ignorantias manifestet, parietem conscientiæ fodiat, & abominationes quæ in tenebris sunt ad lucem prodire faciat, & quasi obstetricante manu educat colubrum malitiæ tortuosum. **Pastoris** tandem: ut charitate fervens oviculam infirmam suis humeris quandoque portet, quandoque soletur, aliquando etiam terrore feriat.

Iuxta hæc tria, varia requiritur in Iudicibus Sacramentalibus scientia.

CONCLUSIO I.

Scientia Confessarij quanta. **I**Vdex, *sive Confessarius quà Iudex est, sequentia scire tenetur.*

1 Rationem peccati Mortalis & Venialis in genere, Actuum quoque virtutis & vitij, sive scire distinguere *inter bonum & malum lepram & non lepram.* Deut. 17.

2. Debet scire Materiam, Formam, Ceremonias, Obligationes, & omnia quæ spectant ad debitum ministerium.

3 Debet scire omnes casus communes qui committi solent contrà Præcepta Divina tam Naturalia, quam positiva: *Item*, contrà Præcepta Ecclesiastica. *Item*, Contra statum eorum qui ipsi solent confiteri & quibus communiter est expositus: utpote impedimenta & Casus Matrimonij, Status Clericalis, Religiosi, &c. *Item*, In quibus casibus peccata Capitalia sive ex genere, sive ex materiæ gravitate, soleant esse mortalia

Dixi (*communes casus*) id est, qui communiter accidunt, & qui ex ratione præceptorum præcisè oriri solent. **Explico**: Tenetur scire Regulas generales, quibus explicantur casus qui in singulis præceptis communiter sunt mortales, ut in primo præcepto: Quibus casibus mortaliter peccetur contrà Fidem, Spem, Charitatem, Cultum verum veri Dei, &c. In secundo, Quibus modis peccetur mortaliter in Iuramentis, votis, assumptione sive interpositione Nominis Dei & eorum quæ ad illud pertinet, & sic de cæteris, de quibus omnibus suo loco.

Dixi verò notanter (*communes, & qui ex ratione præceptorum præcisè oriri solent*) Propter casus multos intricatos qui potius ex dispositione animi varia, & extrinsecis circumstantijs oriuntur: In quibus sufficit prudenter scire dubitare.

4. Debet scire Obligationes & onera quæ per ipsos casus communiter contrahi solent, ut sunt Restitutiones honoris, bonorum, vitæ, &c satisfactiones, obedientiæ, reconciliationes, &c.

5. Debet scire Censuras & pœnas Ecclesiasticas quæ in communibus casibus incurruntur, & communi Ecclesiæ usu & praxi receptæ sunt.

6. Tenetur scire circumstantias speciem peccatorum mutantes: Item, Aggravantes quæ singularem malitiam continent, de quibus suo loco.

7. Tenetur scire casus qui communiter reservari solent, aut reservati sunt.

Breviter scire tenetur omnia quæ ad verum & probatum Judicium ex sua parte ferendum necessaria sunt.

Ratio verò omnium prædictorum est: Quia ista omnia necessaria sunt ad ipsius Officij naturam & exercitium. Unde Malach. 2. de Sacerdotibus penes quos erat judiciũ in causis etiam spiritualibus, dicitur: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituũm est.* Et Oseæ 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi*: Ignaris verò & ignorantibus Confessarijs cõgruit maledictio illa Ezech. 13. *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt* Hæc utique omnia conveniunt indoctis qui omnia iustificant, & sine ulla scientia & delectu ab omnibus absolvunt: vel auram humanam & favores sequuntur. Intelligat qui legit. Porrò variæ hic occurrunt difficultates, quæ melius & distinctius dubijs incidentalibus poterunt resolvi. Malach. 2. Vers. 7. Oseæ. 4. Ezech. 13 Vers. 18.

DUBIUM I.

An Absolutio data ab Ignaro omnino Sacerdote sit valida?

RESOLUTIO.

ETsi peccet mortaliter Ignarus Sacerdos audiens confessiones, si tamen Jurisdictionem veram habet, & essentialia Sacramenti servet: valide absolvit. Absolutio ab Ignaro valida.

Ratio est: Quia hoc judicium primariò institutum est ad misericordiam & liberationem Rei sive peccatoris peccata sua cum dolore & verò proposito emendæ confitentis, adeòque supposità debità Pœnitentis dispositione, nõ requiritur nisi vera Potestas & jurisdictio ad hujusmodi misericordiam & liberationem impertiendam, sed talis supponitur esse in judice quantumvis ignaro, ergò si absolvat validè absolvit.

Dices: Nullum Judicium formavit de qualitate peccatorum vel dispositione. **Resp.** Idcircò mortaliter peccavit, idcircò de facto suo & dispensatione illicita condemnatur, Sententia tamen & dispensatio in favorem Rei data, valida est, quia ad illam ferendam

rendam, potestatem habuit. Sicuti si Judex plenitudinem potestatis habens, Reum per sententiam absolvat nec bene, nec ad rigorem legum examinatum: Reus quidem absolutus est: Quamvis à Principe Iudex abutens suo Ministerio, puniri possit. Et quæ à villico iniquitatis satis iniustè condonata erant Domini debitoribus, à Domino non rescinduntur, nec revocantur, sed condonata manent: Quãvis villicus pro mala dispensatione & ministerio condemnetur.

Luc. 8.

DUBIUM II.

Qualis & quanta ignorantia requiratur in Iudice sive Confessario, ut censeatur Confessiones audiens peccare mortaliter?

RESOLUTIO I.

Ignorantia excusans.

NOn tenetur omnia quæ suprà enarravimus scire memoriter, ità ut possit illa recitare, vel de illis differere.

Ratio est: Quia id multis alias doctis impossibile est, & memoria illa ad verum & perfectum judicium necessaria non est.

RESOLUTIO. II.

Scientia necessaria.

TEnetur omnia illa in habitu & virtualiter ità scire, ut quando à Pœnitente proponuntur, de qualitate & gravitate actus rationabiliter possit dijudicare: & occasione sibi data de illis sufficiens examen facere, aut saltem prudenter scire dubitare in ordine ad cõsultationem & studium necessarium. Ratio est: Quia hoc tantum requiritur ad formandum judicium sufficiens in hoc foro.

Dixi (*aut saltem prudenter scire dubitare*) Quod de dubio fundamentali ex scientia aliqua acquisita orto, intelligi debet, juxta commune axioma quo dicitur: *Quod qui nihil scit de nullo dubitat*: nimirum dubio fundamentali & scientifico. Non debet tamen intelligi de quovis dubiô: Quia qui ignarus omninò est, de omni sua actione iustè dubitare potest, quia nullam resolutionem habet, sed scire hoc modo dubitare, Confessarium nullatenus excusat, imò & ipsi Pœnitenti plurimum nocere potest.

Dixi (in ordine ad consultationem vel studium necessarium) Aliud enim quodvis dubium quod ad hæc non ordinatur, inutile est ad judicandum, & impertinens ad scientiam Confessariorum.

RESOLUTIO III.

Qualitas ignorantiæ ad peccatum mortale.

QUi enumerata in Conclusione superiori ità ignorat, ut de illis sibi propositis communiter & rationabiliter dijudicare nequeat, aut occasione occurrente illa examinare, aut in aliquibus casibus prudenter de illis dubitare ad consultationem & studium necessarium non possit: peccat mortaliter Confessionum ministerio se exponens: nisi parvitas materiæ, inadvertentia aliqua humana, vel labilitas memoriæ, aut gravis necessitas illum excuset, aut eius scientia aliunde suppleatur.

Ratio est: Quia vere tunc idoneus Iudex censeri non potest, nec debet, adeoque perversè se tanto ministerio ingerit. Excusari tamen potest à peccato mortali in parvitate materiæ & inadvertentia aliqua humana: Quia ut dicitur: *Quandoque bonus dormitat Homerus*: & frequenter ubi communiter aliqua scimus nonnulla elabuntur, & in communi studio ad aliqua ex imperfectione naturali non ità reflectimus, ad quæ si attendissemus maius studium adhibuissemus: Quæ omnia fragilitati, inconstantiæ, & imperfectionibus humanæ scientiæ condonanda sunt. Ex quibus Confessario aliàs timorato & mediocriter ac communiter docto, non est scrupulizandum.

DUBIUM III.

An necessitas aliqua interdum excusare possit à peccato ignarum Sacerdotem Confessiones audientem?

RESOLUTIO.

Casus necessitatis in quibus ignarus Sacerdos audire potest Confessiones.

ASsignari possunt Casus necessitatis in quibus ignarus Sacerdos potest absque peccato audire Confessiones & absolvere.

1. In articulo vel periculo mortis, quandò alius Sacerdos non adest, qui scientiam debitam habeat, cui possit Pœnitens confiteri.

2. In gravi anxietate morbi alicuius Epidimiæ vel pestis, quandò aliquis sapientior aut non potest convenienter exponi, aut non vult se exponere.

3. Quandò est necessario communicandum aut celebrandum, nec alius adest, & aliquis suæ contritionis non est conscius, nec anxietatibus conscientiæ satisfacere potest. Quod dico: Quia alias posset quis se gerere tamquam non habens copiam Confessarij, & actu contritionis cum proposito confitendi, contentus esse.

4 Quandò annis multis vel longo tempore cum gravi animæ detrimento deberet quis expectare, utpote; Quod alius Sacerdos idoneus non occurrat; imò ut frequenter, non occurret qui idioma noverit, ut contingit ijs qui in exteris Regionibus peregrinantur, militant, mercantur ubi Ordinarij idioma nõ norunt, posset enim in his casibus Sacerdoti ignaro potestatem habenti & idiomatis gnaro confiteri, & ille audire posset & absolvere.

Ratio omnium supradictorum est: Quia necessitas legem non habet, & charitatis mandatum latum est nimis: Cum igitur in neces-

necessitatibus huiusmodi quis habeat ius petendi à quocumque Potestatem habente, absolutionem peccatorum, imò quandoquè debeat & teneatur: & scientia ad valorem & essentiam Sacramenti non spectet, sed tantum ad perfectionem & quandam Judicij integritatem, sicut præceptum de integritate materiali Confessionis in necessitate cessat (ita ut dimidiatam liceat facere Confessionem, imò quandoquè confusam tantum & signis plane implicitam) sic in necessitatibus supradictis præceptum de Scientia Confessarij cessare censendum est: cum non minus confessio Pœnitentis, quam Scientia Judicis, imò magis ad perfectionem Judicij spectet. Undè, si licet in necessitate, edentem tantum signa externa, quæ nullam omninò pariunt scientiam determinatam in Confessario, absolvere: Cur in similibus & alijs supradictis non licet Confessario, Ignaro confessiones audire & absolvere: cùm majorem & magis determinatam & explicatam atquè omninò humanam accipiat peccatorum cognitionem, & solum illi desit scientificum judicium de qualitate: quod ad Sacramenti pœnitentiæ valorem necessarió non requiritur. Unde infero in his & similibus casibus lege charitatis in favorem Pœnitētium semper concludendum esse, in quorum amplissimum favorem hoc Tribunal est institutum.

Adverte tamen: Quod si pœnitens commode possit Ignari prorsus Confessarij ignorantiam supplere, tunc teneri.

Ratio est: Quia tunc cessat necessitas Ignaro confiteodi, si illum scientem facere possim absque gravi incommodo.

Dubium. IV.

An Ignarus Confessarius à peccato excusari possit, si audiat Confessiones ex obedientiâ Superioris?

Resolutio. I.

Confessarius omninò Ignarus non tenetur ex obedientia audire Confessiones.

COnfessarius suæ ignorantiæ omninò sine ulla tergiversatione conscius extrà casus necessitatis (de quibus supra) non potest obedire Prælato præcipienti per obedientiam ut Confessiones audiat, nec consequenter illas absque peccato mortali audire.

Ratio est: Quia nemo potest obedire prælato in materia peccati atqui extrà casus necessitatis peccat Ignarus Sacerdos audiens Confessiones, ergo in hac materià non potest Prælato obedire.

RESOLUTIO. II.

In dubio de sufficientia standum judicio Superioris.

SI Confessarius sit de sufficientia suæ scientiæ dubius; tenetur ad Obedientiæ præceptum quo-ad praxim, dubietatem suam deponere, & Prælato præcipienti, ut audiat Confessiones, obedire. *Ratio est*: Quia in dubijs concludendum est in favorem obedientiæ, & conscientia ac scientia Prælati præferenda est nostræ opinioni, & timori.

Dixi (teneri quo-ad praxim dubietatem deponere; (Non refert enim quod speculativè dubiùs remaneat, & scrupulos & anxietates patiatur. Et alias si quæ sit ratio timoris tolli potest per diligens studium, & alijs medijs scientiæ defectum supplentibus.

Resolutio III.

QUi est per examen ordinarium & legitimum ab Ordinarijs approbatus: potest liberè suspiciones inidoneitatis, & scrupulos ignorantiæ deponere & Confessiones audire. *Ratio est*: Quia Ecclesia sic approbatum idoneum judicat in Consilio Tridentino, quod sufficit ad licitam huius Sacramenti administrationem.

Dixi (*per examen ordinarium & legitimum*) ubi enim constaret de fraude, errore, præcipitantia, favore singulari, ista Regula omninò non concluderet.

Dices: Examinatus quidem sum & approbatus, sed in exercitio reperio me multa ignorare? *Respondeo*: Studio continuo, & exercitio sufficientiam augeri & perfici, undè si rationabiliter & cum fundamento de scientia nonnullorum Tractatuum vel Articulorum in particulari dubitet; debet singulari eorum lectione & consultatione supplere.

Approbati per legitimum examen censentur sufficientis scientiæ.

Dico (*si rationabiliter & cum fundamento in particulari, &c. dubitet;*) Si enim tantum in genere & in confuso, scrupulus potius existimandus est & timor. Inconsultò quidem faciunt qui experientiâ cognoscentes se in certis Tractatibus & Materijs parum versatos, contenti sunt aliquod dubià interrogare, & non magis totam Materiam (quæ paucis interdum folijs apud Authores digesta est) legere & comprehendere conantur. Non enim in particulari Casuum resolutione acquiritur scientia, sed in Materiarum à suis principijs & fundamentis studio & evolutione.

Dubium V.

An Pœnitentis scientia possit supplere ignorantiam Confessarij, & quale supplementum requiratur?

Resolutio. I.

Scientia Pœnitentis supplere potest ignorantiam Sacerdotis.

SCientia Pœnitentis potest supplere ignorantiam Confessarij. Hæc est omnium Doctorum, & ex ipsis terminis clara est: Potest enim pœnitens aperire illi perfectè peccata & circumstantias; ità ut non sit opus alio examine vel Judicio.

Resolutio II.

Non sufficit ad supplementum ignorantiæ Confessarij, quod pœnitens intelligat qualitatem suorum peccatorum & illorum materiam & numerum explicet: nisi etiam exprimat qualitatem & gradum, id est, quod sit mortale vel veniale, aut in materia gravi peccatum. *Ex. g.* Non sufficit Pœnitenti docto (ut ignorantiam sui Confessarij suppleat) quod dicat: Toties morosè in cogitatione carnali circà Conjugatam vel Sanctimonialem sui delectatus, sed (si ignoret Confessarius) debet exprimere esse peccatū mortale, aut si ex circumstantijs determinatè gradum peccati exprimere non possit, aliquo modo qualitatem & gravitatem casus ei exprimere debet, ut Confessarius intelligere aliqualiter possit.

Qualiter Confessarij scientia est supplenda.

Ratio est: Quia in hoc Tribunali non requiritur tantum ut Pœnitens statum suum intelligat, sed magis ut Confessarius sive Judex judicium ferat, & norit quid, qualiterve absolvat (non enim ex alio capite in Confessario requiritur scientia) nec prodest scientia Pœnitentis, si in sua ignorantia Confessarius maneat; supplimentum enim ignorantiæ eius in hoc consistit, ut cum hic & nunc, pro hac materia actuali Confessionis scientem faciat, ad hoc ut cum judicio absolvat & satisfactionem imponat. De Pœnitente enim qualitatem & gradum peccati ignorante & plene confessario non exprimente ità ut aliquo modo apprehendere valeat, vere dici potest: *Scire tuum nihil est nisi te scire hoc sciat alter.*

Dubium. VI.

An sufficiat minor scientia in Confessario qui audit solos Rusticos communiter in Pagis, vel personas Religiosas in Monasterijs, quam in eo qui in Civitatibus omnibus est expositus?

Affirmative resolvunt communiter Canonistæ: verùm meo judicio ista resolutio maturiùs est liberanda: non enim ità præcise & simpliciter proposita, est absolute verà.

Pro resolutione itaque clariori advertendum censeo; Scientiam confessarij in materia peccatorum, dupliciter posse dici Majorem vel Minorem. 1 *Intensivè*, 2. *Extensive.*

Intensive Major Scientia dicitur, quâ aliquis qualitatem, gravitatem, modos, circumstantias, obligationes, pœnas peccatorum ex suis principijs & fundamentis clarius, penitius, & accuratius novit. Minor Scientia *Intensivè* è contrà, quâ minus clare & accurate supradicta novit.

Extensivè verò Major Scientia dicitur, quâ quis plures & ampliores casus, tractatus, materias, &c. cognoscit. Et è contrà Minor, quæ ad tam multos casus, materias, &c. non extenditur. His sic prænotatis sit.

Resolutio. I.

Non sufficit Minor scientia *Intensivè*, in eo qui audit Rusticos in Pagis vel Religiosos aut Moniales in Monasterijs, quàm in eo qui audit Confessiones in Civitate, Emporio, &c. nisi aliundè ignorantia suppleatur.

Quæ scientia in audiendo Confessiones Rusticorum non sufficit.

Ratio est: Quia vterquè debet scire sufficienter qualitatem, gravitatem, circumstantias, obligationes, pœnas peccatorum, &c. ut benè dijudicare possit: alias congruum judicium ferre non potest, ut superiùs docuimus. Hæc autem sunt quæ ad intensivam scientiam omninò spectant, quæ in omnibus requiritur sufficiens, & in gradu in quo judicium ferre possit. Dico (*suff. enim*) non enim dispuro, an in uno clarior, accuratior, perfectior scientia dari possit, cùm in diversis Confessarijs sit inæqualis, alius enim alio clarius & perfectius casum cognoscere potest: omnes tamen debent eam habere scientiam intensivam, quâ rationabiliter de qualitate, gravitate, circumstantijs, obligationibus, &c. peccatorum valeant iudicare.

Explico: Confessarius Rusticorum debet scire judicare de qualitate, gravitate, circumstantijs, obligationibus, &c. peccatorum, quæ Rustici confitentur & confiteri debent, & scire eos examinare, eis dubia conscientiæ resolvere, æquè ac Confessarius Mercatorum in Emporijs, & Aulicorum ac Principum in Aulis, de qualitate scil. peccatorū quæ Mercatores, Aulici vel Principes committunt & confitentur. Eadem enim est utriusquè scientiæ ratio. Imò ex accidenti maior interdum requiritur scientia in Confessario Rusticorum, quia debet illos instruere, examinare, & vi quadam ac morali violentiâ modos, & qualitates peccatorum extorquere.

Similiter Confessarius personarum Religiosarum debet æquè scire judicare de qualitate, gravitate, obligationibus peccatorum in quæ interdum personæ Religiosæ labuntur, sicut & confessarij sæcularium scire debent judicare de peccatis quæ à sæcularibus committi solent.

Dixi (*nisi aliundè ignorantia suppleatur*) quia enim Religiosæ personæ clarius & distinctius sua peccata consveverunt proponere, possunt interdum ignorantiam Confessarij supplere, sed hoc per accidens est.

Resolutio II.

Scientia extensivè major communiter requiritur in Confessario qui in Civitate, Emporio, Aulis Principum exponitur ad audiendas confessiones omnium ad se venientium, quam in Confessario qui in Pago Rusti-

Quæ scientia in Confessarijs Civitatum requiratur.

Rusticos tantùm ordinariè, aut in eo qui Confessiones personarum Religiosarum in Monasteriis audit, in quibus communiter extensivè minor sufficit. Et in hoc sensu regulariter vera est sententia communis Canonistarum. *Ratio* verò clara est: Qui enim in Civitatibus, Emporiis, Aulis Principum, &c. Confessiones audit, debet esse versatissimus in omnibus materiis Casuum, ut Contractuum omnis generis, Beneficiorum, Juris omnis & Justitiæ, Regiminis Principum, Bellorum iustorum, denique in omni materia omnes status contingente, juxtà rationem personarum quæ in Civitate, Emporio, Aulis, &c. conversantur & confiteri solent: In pagis autem solum in materiis quæ Rusticos communiter, aut personas quæ ibidem conversari solent, contingunt, & ipsæ confiteri consueverunt. Similiter Confessarii personarum Religiosarum si alias personas non audiunt, scire tantum tenentur ea quæ statum Religiosum concernunt, & peccata quæ à talibus personis solent, vel ordinariè committi possunt: Modò tamen te extraordinariis sciant prudenter & rationabiliter ad consultationem vel necessarium studium dubitare, ut in doctrina generali supra docuimus.

Dixi verò (*communiter requiri, vel sufficere*) quia revera jam inter Rusticos & quoscumque; tot inundat mala, & tam diversi generis, ut amplissima scientia requiratur: Quod cum dolore experiuntur quotidiè qui illuminandis eorum conscientiis & eluniuandis peccatis accuratius student. Abundant enim & usuræ palliadæ, & iniustitiæ in Contractibus, & difficultates intricatissimæ in causis Matrimoniorum, &c.

DUBIUM. VII.

An Confessarius debeat reflectere, & determinatum iudicium ferre super omnibus peccatis in Confessione auditis.

Resolutio I.

Reflectio non necessaria. NOn tenetur Confessarius super singula in Individuo peccata venialia reflectere, aut de singulis determinatum judicium ferre: Ratio est: Quia sunt materia voluntaria, & sufficit ad gratiosam illam & liberam absolutionem in genere iudicare Pœnitentem peccasse, sive peccatum aliquod agnoscere.

Resolutio II.

Reflectio necessaria. TEnetur Confessarius, quantum rationabiliter potest, super singula peccata mortalia quandò proferuntur sive explicantur à Pœnitente, reflectere: *Ratio est*: Quia peccata mortalia sunt materia necessaria huius iudicii, & à verò Judice prudenter illa æstimari debent.

Dixi (*quantum rationabiliter potest*) interdum enim contingit ex naturali & inculpabili inadvertentia aut distractione, aliquod peccatum elabi absque culpa Confessarii, Neque enim in hoc ministerio ad extrema, & quasi moraliter impossibilia, Ministros hujus Sacramenti sive Judicii obligat Deus, sed tantum ad ordinariam diligentiam & humanam, quæ communiter judicio prudenti rationabiliter in negotio seriò à timoratis adhiberi solet.

Dixi (*quando proferuntur sive explicantur à Pœnitente*) non enim necesse est ut reflectatur super singulis, aut singula in memoria teneat quando absolvit: sed sufficit, ut statum peccatoris sive tunc apprehendat, apprehensione generali ex particularibus reflectionibus coalescente sive emanante. Qui igitur culpabiliter ex notabili negligentia & ignorantia ad peccatum pœnitentis in materia gravi non reflectit, peccat mortaliter. Quia res est gravis ad hoc Judicium pertinens.

Resolutio III.

NOn tenetur Confessarius sic reflectens, determinatum iudicium ferre de gradu malitiæ actus, id est, An sit determinatè peccatum Mortale vel Veniale: sed sufficit ut qualitatem, & gravitatem malitiæ dijudicet & æstimet, ubi casus non est planus & apertus, sive planè & apertè propositus. *Quæ sit sufficiens reflexio respectu malitiæ.*

Ratio est: Quia tale determinatum judicium quoad gradum peccati & malitiæ, omninò impossibile est etiam apud emeritissimum Theologum: Præterquam enim quod sint infinitæ controversiæ discordantium opinionum de Casibus, Casus etiam ipsi in individuo valdè alterantur quo-ad majus & minus ex materia, indeliberatione, præcipitantiâ, passione, concursu diversarum legum aliisque circumstantiis, ratione quarum quæ ex natura sua Mortalia sunt, Venialia interdum, aut nulla fiunt, & è contrà quæ sunt Venialia, ex natura sua ad mortalem malitiam excrescunt, Ex quibus nunnunquàm judicium ità suspensum tenetur, ut nullatenus prudenter ad aliquam partem inflecti possit. Sufficit itaquè si qualitatem & gravitatem malitiæ prudenter expendat, etsi ad gradum peccati mortalis certò illam determinare non possit.

Dixi (*ubi casus non est planus & apertus*) ubi enim planus & apertus est, debet Sacerdos scire de illo determinatè iudicare. Hoc enim ad scientiæ, de qua suprà, obligationem spectare dignoscitur.

Dubi-

DUBIUM VIII.

An qui peccatum mortale confessus est, quod constat Confessarium ignorasse esse mortale, teneatur postea illud alteri scientia prædito, confiteri?

RESOLUTIO.

Confessus ignaro non tenetur semper repetere Confessionem.

QUi inculpabiliter confessus est peccatum vel peccata mortalia Confessario Potestatem habenti etiam culpabilirer ignaro, etsi postmodum id advertar, non tenetur ea alteri scientiâ sufficienti prædito confiteri: Tenetur tamen obligationibus ex peccato natis satisfacere, etsi pet ignorantiam ei obligationes impositæ non fuerint, ubi in earum cognitionem venerit.

Ratio est: Quia ut suprà docui: Si ut noverat sua peccata explicavit, valida fuir absolutio etiam ab ignaro data; supponitur enim quod Potestatem & Jurisdictionem habeat, & quod Pœnitens ex parte sua fecerit quod veri Pœnitentis fuit. Unde dixi (*qui inculpabiliter confessus est;*) Si enim per ipsum stetit quo minus peccatorum gravitas intelligeretur, utique quod verborum involucris & decurtationibus vel excusationibus ea palliaverit, *Item*: Si ad ignarum cognitum accessit voluntariè, & ut peccatorum verecundiam ac æstimationem evaderet; In istis casibus, certum est teneri alteri docto & scienti peccata iterum aperire, aut ejusdem ignari ignorantiam per iteratam & distinctam explicationem singulorum peccatorum in sua qualitate & gravitate supplere. *Ratio est*: Quia illa Confessio non fuit vera accusatio, sed potius excusatio vel fictio, & dolus

Aliquando tenetur.

Dixi (*Tenetur tamen obligationibus, &c. satisfacere*) *Ex g* Si Casibus crat adjuncta restitutio honoris, bonorum, teconciliationis, satisfactionis, etsi non teneatur peccata repetere, illis tamen satisfacere tenetur, quia ex natura tei remissioni peccati sunt annexa: juxta illud: *Non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum*, id est, nisi sub obligatione restituendi ablatum. Quod & in aliis obligationibus verificatur, ut quandò reconciliatio est facienda, scandalum tollendum. Imò si ex ignorantia Confessarij, Pœnitens non esset ab excommunicatione quæ peccato erat annexa, absolutus, teneretur Absolutionem ab Excommunicatione petere.

QUÆSTIO IV.

Quæ scientia requiritur in Confessario quatenus Medicus est, & Doctor, ac Pastoris officium subit?

CONCLVSIO I.

Scientia Confessarii ut Medicus est.

COnfessarius, quatenus Medici personam gerit, debet scire communia peccatorum, & tentationum remedia, & communes modos, quibus Pœnitens à peccatis resurgere possit, sivè positivè consulendo nonnulla, sive etiam prohibendo occasiones, & pericula.

Conclusio clara est, ex officij spiritualis Medici natura. Unde si ita ignorans sit, ut Pœnitenrem nullatenus juvare possir, omninò ab hoc officio cessare debet, ob periculum ne ex eius insipieuribus consiliis, vel tergiversatione & taciturnitate Pœnirens pereat: Quapropter monet Sapiens Ecclesiast. 8. *Cum fatuis consilium non habeas*: Et: *Non omni homini cor tuum manifestes, ne fortè inferat tibi gratiam falsam. Hi enim sunt qui pascunt pecora occisionis, quæ qui possidebant occidebant, & non dolebant* Zach. 11. Et Isaiæ 1. conqueritur Dominus, Quod; *vulnus & livor & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo, &c.* Eccles. 8. Vers. 20. Zach. 11. Vers. 4. 5. Isaiæ. 1. Vers. 6.

Petes: An qui taliter ignarus est, toties mortaliter peccet, quoties Confessiones audit? *Respondeo*, Quod non, sed tantum quandò communiter se exponit; vix enim periculum tanti momenti subest in una aut altera Confessione: Si aliàs de peccatis sufficienter ad absolutionem dijudicare possit, & obligationes ac mera peccata consequentia, declarare.

CONCLUSIO II.

Scientia Confess. ut est Doctor.

COnfessarius ut Doctor, tenetur scire communes resolutiones Casuum, & obligationum quæ ex peccatis communiter nascuntur.

Ratio sumenda est ex Doctrina Judici necessaria: sicut enim justè judicare tenetur, sic consultus à Pœnitente vera respondere obligatur. Et periculum indocto est: *Ne si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadant.* Matth. 15 Vers. 14.

CONCLUSIO III.

Scientia Confess. ut est Pastor.

COnfessarius qua Pastor, supposita supradictorum scientiâ charitatem maxime habere debet, ut animæ Pœnitentis provideat, & infirmitates omnium portet. Hæc iterum ex terminis clara est Multa verò supersunt dicenda de modo examinandi, docendi, & medicinam abhibendi Reo, quæ suo loco dicentur.

TITVLVS VI.
De Approbatione Iudicum sive Confessariorum.

QUÆSTIO. I.

Quid sit Approbatio, & qualiter à Collatione Iurisdictionis distinguatur?

CONCLUSIO I.

Quid Approbatio.

APprobatio est publicum & authenticum Iudicium factum scripto, vel verbo, aut alio signo ab habente auctoritatem, de idoneitate & suffi-

sufficientia Sacerdotis ad audiendas Confessiones. Concl. ex terminis clara est.

Conclusio II.

Approbatio distincta à Collatione.

A*Pprobatio est actus natura sua planè distinctus à Collatione Iurisdictionis, & ab illa omnino separabilis, etsi simul ordinarie concurrant.*

Concl. probatur 1. Quia Collatio Jurisdictionis præsupponit approbationem, sive judicium de idoneitate: Nemo enim licite conferre potest Jurisdictionem alicui, nisi quem priùs saltem naturâ, judicaverit idoneum & sufficientem.

2. Quia à diversis & diverso tempore Approbatio & Jurisdictionis Collatio fieri potest, & frequenter fit: vnde quos Vicariatus unâ hebdomadâ approbavit, iis Episcopus alterâ hebdomatâ potest dare Jurisdictionem Imò Episcopus potest aliquem quoad sufficientiam & idoneitatem approbare: ei verò ob justam causam, Iurisdictionem denegare.

3. Concl. ex Approbatione & Collatione Iurisdictionis facta Mendicantibus, manifesta est: Mendicantes enim pro Sæcularium Confessionibus audiendis ab Episcopis de idoneitate & sufficientia, Approbationē recipiunt: Collatio tamen Iurisdictionis illis fit non ab Episcopis, sed à Summo Pontifice, per Privigelia & Concessiones in Diplomatibus per modum Legis expressas, quibus confert Pontifex Summus Iurisdictionem Mendicantibus à Superioribus legitimis electis & admissis, sive præsentatis ad Confessiones audiendas, sub hac tamen conditione: quod Episcopus eos judicet idoneos & sufficientes, & non aliter: Ita ut Approbatio Episcoporum sit conditio prærequisita, ad hoc, ut Fratres Mendicantes possint uti Iurisdictione sibi per Summum Pontificem in Privilegiis concessa.

Quid Episcopi possint in Approbatione privilegiatorum?

Unde Episcopus 1. non potest arctare ad personas, vel tempus, nec alterare Iurisdictionem Mendicantium in Confessionibus audiendis, si examinatum simpliciter idoneum, & sufficientem repererit: Nec talis arctatio teneret, ut declaravit. *Sacra Congregatio Cardinalium die secunda Iunii 1587. subscribente Michaele Bonello Cardinale Alexandrino, & Gregorio Paleatio Secretario* his verbis: *Regulares qui ad Confessiones audiēdas idonei generaliter ab Ordinariis eorumve examinatoribus reperti & probati fuerint, generaliter quoq; & indistincte absque limitatione temporis certorumve locorum, aut generis personarum admittantur in Diœcesi propria. &c* 2. Nec idoneo reperto per examen, Episcopi Approbationem sive testimonium suæ idoneitatis denegare possunt: alias de facto censetur admissus, & approbatus Iurisdictionem obtinere, ut decrevit *Concilium Viennense in Clementina Dudum de sepulturis*: In quo casu nil per Concilium Tridentinum immutatum fuit: Supponimus

S. Congreg. Card. an. 1587. die 2. Iul.

enim talem fuisse præsentatum & idoneum repertum; injustè autem illi testimonium idoneitatis & Approbationis negari. Cui injustitiæ omninò censendum est nullam legem favere: unde non derogatum, nobiscum tenet Navarrus.

Dixi in Conclusione (*etsi simul ordinarie concurrant*) quos enim testimonio authentico approbat Episcopus, illis censetur suam Jurisdictionem conferre, nisi aliunde habeant.

QUÆSTIO II.

A quo, & qualiter Approbatio fieri debeat?

Conclusio I.

A*Pprobatio debet fieri ab habente Potestatem Episcopalem, vel quasi Episcopalem.*

Episcopi vel quasi Episcopi sunt approbantes.

Concl clara est: Cùm enim soli Episcopi, vel quasi Episcopi, Jurisdictionem committere possint, sic soli possunt approbare. Unde & Concil. Tridentin. *sess. 23. cap 16.* Approbationem Confessariorum pro sæcularibus etiam Sacerdotibus absolvendis, restringit ad Episcopos.

Dixi verò (*vel quasi Episcopalem*) propter Regulares Prælatos, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem habent, & ad eos pertinet examen & Approbatio Confessariorum pro Regularibus sibi subditis.

Conclusio II.

Tres modi Approbationum.

T*Ribus modis Approbatio super idoneitate, sive judicium de idoneitate fieri potest. 1. Collatione Beneficii Parochialis. 2. Examine Episcoporum per se vel examinatores si necessarium judicetur. 3. Per alios quosvis modos ex quibus idoneitas manifesta fieri potest* ita Concilium Tridentinum supra: *Quamvis* (ait) *Presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi Potestatem accipiant; decernit tamen S. Synodus, nullum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire nec ad id idoneum reputari: nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, Privilegiis & Consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantib9.*

Concil. Trid. sess. 23. cap 15 de Refor.

Ex quibus, *Infero* 1. Approbationem, de qua loquitur Concilium, non esse generale judicium de idoneitate simpliciter, sed singulare ad quod consequitur Collatio Jurisdictionis ad audiendas Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum, sive Jurisdictio hoc ipso conferatur, sive aliunde proveniat. *Ratio est*: Quia Concilium loquitur de actu exercito audiendarum Confessionum: verba enim sunt clara, nimirum: *Non posse Confessiones audiri, nec ad id idoneum reputari*: Et in sequentibus duo ista distinguuntur: *Idoneus judicari, & approbationem, quæ*

Qualiter Episcopi in Approbationibus se gerere debeant?

gratis

gratis detur, obtinere : ita ut primum respiciat judicium sufficientiæ, secundum facultatem exercitij in actu secundo.

Infero 2. Episcopos non teneri examinare, nisi ubi examen necessarium existimant, utpote quia idoneitas aliundè non est cognita.

Infero 3. Non obstante quacumque idoneitate quovis modo cognita, necessariam esse Approbationem Episcopi ad audiendas Sæcularium Confessiones: Hoc clarè indicant illa verba: *Et Approbationem quæ gratis detur, obtineat.* Ita ut quamvis per Parochiale beneficium, vel examen, vel aliàs quis idoneus iudicetur, nisi tamen Approbationem obtineat, non censetur idoneus in actu secundo ad audiendas Confessiones.

Quæ omnia ob diversa Doctorum dicta, valde singulariter sunt adnotanda.

Dubium I.

An cognita sufficienti idoneitate, teneatur Episcopus Approbationem dare & non dando, peccet?

Triplices personæ ad approbandæ. PRo clara Resolutione huius dubij advertendum est. 1. Triplices personas se posse præsentare Episcopis ad Approbationem: *Primi sunt*; Qui pastorale Beneficium curam animarum habens anneaam, obtinuerunt. *Secundi sunt*: Sacerdotes sæculares qui etsi nullum beneficium Pastorale habeant, se tamen præsentant ut per Delegatam Jurisdictionem Confessiones audire possint: *Tertij sunt*; Regulares Privilegiati qui ex privilegio Papæ à Superioribus ad audiendas Confessiones Sæcularium assumuntur, conditione posita, quod ab Episcopis approbentur.

Duplex approbatio. Advertendum 2. Duplicem nos hic posse distinguere Approbationem: *Prior*, est idoneitatis simpliciter & in genere, sive in actu primo. Quâ quis simpliciter iudicatur idoneus, & sufficiens ad audiendas Confessiones, etsi eis Jurisdictio aut Potestas non fiat, ut in exercitium actus exire possint: *Posterior*, est Approbatio specialis, sive authenticum & juridicum testimonium in actu secundo. Qua quis non tantum judicatur idoneus ad audiendas Confessiones, sed hoc ipso ei advenit Jurisdictio; sive ab Episcopis conferatur; sive ex lege aut privilegio à Summo Pontifice sic approbato, posita tali approbatione, adveniat. Et hæc est approbatio Concilij Tridentini, de qua hic dubium movetur.

Quid de Parocho. *Resp.* Igitur. 1. Tenetur Episcopus eos qui parochiale Beneficium obtinent, si idoneos judicet, approbare in actu secundo sive speciali Approbatione Tridentini.

Ratio est: Quia ex vi Officij sibi commissi, & Beneficij acquisiti, jam jus habere noscuntur ad Confessiones audiendas, cui sine justa causa Episcopus non potest per negationem Approbationis derogare. Quinimò ubi manifestè & sine tergiversatione constaret de injusta negatione Approbationis, omninò credo illos posse audire Confessiones, eo ipso quo Beneficium Pastorale obtinent. Cujus ratio est. Quia illis Jurisdictio ex vi & natura Beneficij competit: Et supponitur Episcopi Approbatio injustè denegata; cui injustitiæ favere aut patrocinari Concilium Tridentinum nullatenus censendum est.

Quid de non Parocho. *Respondeo* 2. Sæcularibus Sacerdotibus nullum Beneficium Pastorale habentibus, quamvis repertis idoneis & sufficientibus, potest Episcopus absque ullâ causa pro sua libertate denegare Approbationem, & consequenter Jurisdictionem.

Ratio est: Quia hujusmodi Approbatio respectu ipsorum est merè gratiosa, & sicut in libertate Episcoporum est, admittere, vel assumere, in Sacramentorum administratione Ministros delegatos plures & pauciores, ita consequenter Approbare, vel negativè non Approbare, quamvis aliàs idonei sint: Nec alicui injuriam facit, cum pro sua voluntate de Ministris delegatis & eorum delegatione disponat: Nec est qui conqueri justè possit & dicere, Cur ita facis?

Dices 1. Eo ipso quo quis ad examen & probationem admittitur, Jus habet ut idoneitate reperta, approbetur: *Resp.* Negando assumptum. Aliud enim est idoneum reputari: Aliud in actu secundo ad Confessiones audiendas approbari. Per examen itaque jus acquirit ut idoneus judicetur, & positivè reprobari non possit, non autem Jus ut de facto in actu secundo. Approbatio ei concedatur juxta formam Concilij Tridentini.

Dices 2. Quid igitur per tale examen acquisivit? *Resp.* 1. Per illud manifestam reddidisse suam idoneitatem. 2. Satisfecisse primæ conditioni de examine, ita ut si postea approbandus sit & delegandus, non teneatur amplius se sistere examini, nisi novâ causa superveniente, *ut infra dicemus*. 3. Quod Episcopus possit quovis tempore illum ad actum secundum approbare, ac eo uti.

Quid de Regularibus. *Ad Principale Dubium Resp.* 3. Tenentur Episcopi Approbationem dare Regularibus Privilegiatis per examen idoneis & sufficientibus repertis. Ratio est. Quia omnes Privilegiati Privilegio Pontificis Summi, FF. Minores ac Prædicatores specialiter Lege Conciliari *in cap. Dudum*, Jus ad dictam Approbationē habent suppositâ idoneitate per Episcoporum examen cognitâ. Auctoritate enim Pontificis. 1. Per Superiores ad id munus assumuntur. 2. Eâdem Auctoritate Episcopis præsentantur 3. Suppositâ eorum idoneitate per examen Episcoporum cognita, eis Jurisdictio à Summo Ponti-

Pontifice eadem quæ Curatis conceditur, non obstante recusatione Episcopi. Injustè ergo Episcopus censeretur verè idoneo Approbationem denegare, cui injustitiæ certū est Concilium Tridentinum nolle patrocinari, & consequenter nec derogare provisioni dicti Concilij Vienensis **Cap. Dudum.** in hac causa.

Dubium. II.

An eos qui Pastorale Beneficium obtinent, possit Episcopus examinare?

Parochi prius examinari examinandi non sunt

RAtio dubitandi est: Quia Concilium Tridentinū eos singulariter ab examine Episcoporum eximere videtur.

Resp. Si illi, qui Pastorale Beneficium obtinent, fuerint prius per Episcopos aut eorum Examinatores examinati, & ad Parochiale Beneficium idonei reperti (nisi nova supervenerit causa) non debent denuò ab Episcopis examinari: *Ratio clara est:* Quia jam per examen censentur idonei, & vi sui beneficij Pastoralis Approbationem & Jurisdictionem possident, quibus spoliari non possunt, vel de novo in illis gravari, nisi aliqua justâ causâ superveniente.

Unde dixi notanter (*Si illi qui Pastorale beneficium obtinent, fuerint per Episcopos, &c. examinati;*) Suppono enim Concilium loqui de ijs qui jam per legitimam Collationem & Institutionem Parochiale Beneficium actu obtinent, quibus à Concilio examen non indicitur, quia examen & judicium de idoneitate debitè factum censetur, ante Collationem sive Institutionem.

Dixi (*nisi nova supervenerit causa*) si enim causa supervenerit justè dubitandi de idoneitate, posset Episcopus etiam Parochiale Beneficium obtinentes ad examen revocare, sicut de alijs examinatis infra dicemus.

Dubium III.

An Graduati in Theologia & Lectores debeant aut possint ab Episcopis examinari?

Pius V an. 1567 Kal. Iulij Pontif. an. 2.

RAtio dubitandi sumitur *ex quadam Bulla Pij V. Etsi Mendicantium Ordines, data Romæ anno 1567. 17. Kal. Iulij Pontif anno. 2.* pro Ordine Prædicatorum, in qua hæc verba leguntur: *Lectores insuper ex iisdem Fratribus, & in Theologia Graduati, qui cum Licentia suorum Superiorum ad gradum admissi fuerint; cum de ipsorum doctrina ambigendum non sit) tam Confessiones audituri, quam Prædicationis munus subituri, ab Episcopis minimè examinentur.*

In quibus verbis, Ratio cur non debeant examinari, de omnibus Theologiæ Professoribus, vel in Theologia Graduatis æquè concludit, utique (*quia de ipsorum doctrina ambigendum non est*) atque ideò examen non est necessarium.

Graduati possunt examinari.

Resp. Nihilominus: Tum Lectores, tum Professores, ac Graduatos in Theologia posse ab Episcopis, si voluerint, sive necessarium judicaverint, examinari.

Ratio est: Quia ità ordinavit de omnibus omninò approbantis Concilij Tridentinum supracitatum. Nec obstat **Declaratio Pij V. suprà allegata:** Non enim plus dixit quàm textus ipse Concilium subindicet: Dicit enim Concilium: **Nullum etiam Regularem posse Secularium, &c. Confessiones audire, nisi &c ab Episcopis per examen (si illis necessarium videbitur) aut aliàs idoneus judicetur:** Supponens quod si manifesta sit idoneitas & examen nullatenus necessarium, frustrà examen fieri. Idem æquivalenter dicit **Pius V.** Supponit enim eorum idoneitatem esse manifestā. (**Cùm** (inquit) **de ipsorum idoneitate ambigendum non sit**) atque ideò examen inutile judicat. Non excludit tamen quin ex causis aliquibus examinari ab Episcopis possint, ubi judicaverint expedire, quod eorum judicio relinquitur. Et hoc posteà declaravit idem Pontifex anno 1571. Oct. Idus Augusti Pontif. anno 6. per **Bullam**, quæ incipit **Romani Pontificis.** In qua voluit Decretum Concilij Tridentini de Approbatione Confessariorum juxtà Concilii terminos omnino servari etiam quoad Lectores & Graduatos in Theologia. Quod non est aliud quàm præsentatos, si necessarium videbitur; non obstante quovis gradu & Professione in Theologia, examinari posse antè approbationem.

Concil. Trident. sess. 23. c. 15.

DUBIUM. IV.

An semel examinatos & idoneos judicatos juxta formam Concilii Tridentini, possit Episcopus sæpius ad examen revocare?

RAtio iterum dubitandi sumitur ex **Declaratione Pii V.** in **Bulla** quæ incipit **Romani Pontificis** supracitata: In qua pro Regularibus Privilegiatis ad audiendas Confessiones approbatis sic disponit: *Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Civitate & Diœcesibus suis prævio examine approbati fuerunt, ab eodem Episcopo iterum non examinari: Ab Episcopo autem successore pro majori Conscientiæ suæ quiete examinari de novo poterunt.* Quæ declaratio similiter æquè de omnibus concludit, cùm inquietudo conscientiæ possit quemlibet Episcopum Successorem urgere super nonnullis fortè minus idoneis, vel de inidoneitate suspectis.

Pius V.

Semel examinati non possunt ordinariè examinari iterum.

Resp. 1. Non licet Episcopo sinè justa & legitima causa semel prævio debito examine Approbatum, iterum ad examen revocare. **Ratio est:** Quia ipsius Approbatio de suffi-

cientia & idoneitate supponitur jam juridicè facta, & transisse in rem judicatam: Quod judicium absque causa in dubium revocare tam judicanti, quam judicato idoneo injuriosum est, etiam contra Legis Naturalis & Humanae principia. Unde prudenter Pontifex non dixit simpliciter Successorem posse de novo examinare jam approbatum à Praedecessore, sed tantum pro majori Conscientiae suae quiete; supponens rationabilem aliquam inquietudinem Conscientiae ex legitimis causis ortam, & quae movere possit virum gravem, qualis est Episcopus, non autem scrupulosam aliquam anxietatem, & dubium speculativum, quod turbet aut inquietet non tam Conscientiam, quam imaginationem & animum alias timidum & inconstantem, qui omnia etiam tuta timet. Quae utique causae sufficientes non sunt ad inquietandam Conscientiam, sed potius sunt judicia temeraria ac suspiciones injustae: unusquisque enim haberi debet tamdiu idoneus, quamdiu inidoneitas ejus aut manifestè non apparet, aut sufficientibus indicijs non periclitatur; & charitas ac justitia erga proximum urget, ut Praedecessores nostros suum munus bene exercuisse credamus, quamdiu nobis ex sufficientibus indicijs aliud non constat.

Casus in quibus licet examen repetere.

Resp. secundò. Ubi subest justa causa dubitandi de idoneitate alicujus Personae in particulari, potest non modo successor, sed etiam is qui approbavit, Approbatum revocare ad examen; justae autem causae sunt, 1. Si manifesta appareat inidoneitas ex pluribus ipsius actibus, & experientia personarum fide dignarum. 2. Si similiter ex varijs experientijs nascatur vera dubietas sive causa dubitandi de idoneitate & sufficientia. 3. Si alias Approbato infirmitas aliqua cerebri supervenire videatur, quae causam dubitandi apud prudentes inducat. 4. Si deprehendantur Examinatores nimis perfunctorij & incurij fuisse in examine. Ex his enim & similibus justa causa inquietudinis conscientiae veri dubii apud prudentes & constantes nasci potest, quae est sufficiens ad revocandum alias approbatum ad examen. Nec refert quod hoc in gravamen aliquod Confessarii jam Approbati cedat: Praeferenda est enim legitima Sacramenti administratio, & salus Poenitentis, imò & Confessarii, hujusmodi gravaminibus.

Communitas non est revocanda ad examen ob aliquorum defectus.

Dixi (*alicuius personae in particulari*;) causa enim dubitandi debet esse aliquo modo determinata, & cum Approbatio sive examen personam in particulari respiciat, etiam dubictas justa de persona singulari exurgere debet. Quamvis autem dubium de pluribus in communi, ob errorem qui videtur fuisse communis pluribus sic approbatis, meritò interdum in Episcopis exurgat; attendere tamen debet Episcopus super personis in singulari; fieri enim potest, ut error, qui creditur communis pluribus in Communitate, plures etiam de eadem Communitate non afficiat. Itaque personae in singulari attendendae sunt, & de qualibet justum judicium ferendum, nec doctus cum indocto involvendus, aut innocens cum reo.

QUAESTIO III.

Cujus Episcopi Approbatio requiratur?

Hic distinguunt Doctores inter duos Episcopos: Alterum scilicet poenitentis: Alterum verò Confessarij. Poenitentis Episcopum vocant eum, in cujus Dioecesi Poenitens Domicilium vel quasi Domicilium habet, sive sub cujus auctoritate ordinaria Sacramenta suscipit: Episcopum verò Sacerdotis vocant cui ipse Sacerdos vel ratione Domicilij, vel ratione Ministerij, sive etiam Beneficij est subjectus. Hac distinctione posita, nonnulli Approbationem Confessarij à Concilio Tridentino requisitam, volunt fieri debere ab Episcopo Confessarij: Alij ab Episcopo Poenitentis: Alij ab utroque: Alij tandem dicunt sufficere Approbationem quamcumque, sive fit ab Episcopo Poenitentis, sive ab Episcopo Confessarij. In hac opinionum varietate pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Approbatio ab Episcopo Confessarij.

Ad *Approbationem simpliciter & judicium idoneitatis Confessariorum juxta Concilium Tridentinū sufficit approbatio facta ab Episcopo Confessarij.* Haec Conclusio ex terminis est clara: Cùm enim Approbatio sit actus Juridicus, qui in subditum vel quasi subditum exercetur à nullo fieri melius potest, quam à proprio Episcopo eius qui approbari debet.

CONCLUSIO II.

Approbatio ab Episcopo Poenitentis.

In *ordine ad Confessiones audiendas & absolutionem impertiendam (salvis Privilegijs) requiritur Approbatio Episcopi Poenitentis.*

Ratio est: Quia nemo legitimè absolvi potest nisi ab habente Jurisdictionem in ipsum, solus autem Ordinarius Poenitentis potest hujusmodi Jurisdictionem dare, sive sit Episcopus, sive omnium Christianorum Ordinarius Summus Pontifex, quae Jurisdictio ad approbationem in Decreto Concilij expressam, censetur dari.

Dixi (*salvis Privilegijs* (in omnibus enim casibus in quibus licet Poenitenti confiteri Confessario Approbato ab alio Episcopo quam suo, id est, Poenitentis, id per Privilegium aliquod fieri censendum est, ut de Iteragentibus, de Recurrentibus ad Mendicantes in Ecclesijs suorum Ordinum, de habentibus potestatem eligendi Confessarium simpli-

simpliciter à quocumque Episcopo approbatum, in superioribus fuit declaratum.

Unde quod hic aliqui conantur probare Approbationem debere fieri ab Episcopo Confessarij, ex eo quod per Jubilæum permittatur Pœnitentibus confiteri cuilibet ab Ordinario Approbato, id est, ab Episcopo Confessarij, non autem necessariò Pœnitentis, ut *Declarationes Cardinalium à Francisco Suarez relatæ tom. 4. d. 28. sect. 6.* testantur, nihil omninò concludit: Jubilæi enim aut similium Indultorum concessio, Privilegium includit, quo permittitur ut quilibet Sacerdos à quolibet Episcopo approbatus, possit tunc Confessiones audire, & quoslibet Pœnitentes absolvere: cum absque tali Privilegio nemo possit absolvi nisi ab Approbato à proprio, id est, Episcopo Pœnitentis, ratione ad Conclusionem allata.

Dices: Approbatio Confessarij est actus Juridicus, ergo debet fieri à Superiore in Sacerdotem Jurisdictionem habente, & consequenter subdito, ergo ab Episcopo Sacerdotis. *Resp.* Sacerdotem dupliciter dici posse Episcopo subditum.

1. Per debitam & habitualem subjectionem, quam in Diœcesi contrahit per Domicilium vel quasi Domicilium, vel per Beneficium quod in Diœcesi obtinet.

2. Per actualem tantum Jurisdictionem in foro interno; quomodo Sacerdos habens Domicilium in Episcopatu Gandensi, etsi quoad habitualem subjectionem sit subditus Episcopo Gandensi, potest tamen se subjicere quoad aliquos actus fori interni, Archi-Episcopo Mechliniensi, ut nimirum ab eo Approbationem & Jurisdictionem accipiat absolvendi eius subditos qui Diœcesis Mechliniensis sunt, ratione viciniæ, aut alia de causa.

Dico itaque 1. Neminem posse ab aliquo Episcopo approbari, nisi sit aliquo modo ei subjectus, nimirum, aut quoad actus aliquos & ministerium fori interni, hoc est, quoad actualem Jurisdictionem, aut quoad habitualem & debitam in utroque foro, quæ per domicilium vel Beneficium contrahitur.

Dico 2. Sacerdotem quoad præfatos actus fori interni posse se subjicere cuilibet Episcopo, quia cum isti actus sint fori interni nec strepitum forensem contingant, per huiusmodi subjectionem non liberatur à Jurisdictione habituali & debita proprio Episcopo: Quod si ad habitualem Iurisdionem alterius per Domicilium vel Beneficium transeat, tunc alter Episcopus fit illi proprius, quod sine Dimissorialibus eius qui proprius fuit, non consuevit fieri.

QUÆSTIO IV.

An approbatus à proprio Episcopo iuxta Decretum Concilij Tridentini, censeatur Approbatus pro universali Ecclesia?

Hic iterum distinguunt Doctores inter Approbatum per Beneficium Parochiale, & approbatum per examen absque Beneficio Parochiali, sive curam animarum habente: dicunt autem eum qui est Approbatus per Parochiale Beneficium quod actu possidet, censeri idoneum pro universa Ecclesia, ut ab habente Ordinariam Jurisdictionem delegari possit: Non autem eum qui Approbatus est per examen Episcopi absque Beneficio Parochiali.

Sed hæc distinctio (salva omni reverentia ad Auctores suos) videtur mihi parum fundata. Cum enim Concilium Tridentinum æqualiter loquatur de idoneitate & sufficientia sive Approbatione tam eorum qui per Parochiale Beneficium, quam eorum qui per examen Episcoporum approbantur, vel uterque idoneus pro tota Ecclesia censendus est, vel neuter, cum supposita Approbatione uterque simpliciter supponatur judicatus idoneus ad audiendas Confessiones, nulla restrictione posita.

Pro clariori igitur responsione. Noto ad Approbationem iuxta formam Concilij Tridentini duplicem sequi communiter effectum. 1. Est judicium authenticum & juridicum de idoneitate & sufficientia Sacerdotis ad audiendas Confessiones. 2. Est Collatio Jurisdictionis quæ communiter tale judicium consequitur, sive ab Episcopo approbante detur, sive aliunde sic examinato & Approbato adveniat, ut in superioribus alias fuit declaratum.

CONCLUSIO.

Quod spectat ad judicium de idoneitate, Approbatus legitimè juxta formam Concilij Tridentini ab uno Episcopo, censetur idoneus pro tota Ecclesia, ad hoc ut ab habente Potestate delegari possit, sive sit per Parochiale Beneficium approbatus, sive per legitimum examen. *Omnis legitime approbatus, censetur pro universali Ecclesia idoneus.*

Ratio est: Quia judicium juxta formam Concilij Tridentini de idoneitate Confessariorum est absolutum & illimitatum ex se, & ex natura idoneitatis (qui enim simpliciter & absolutè est idoneus, semper & ubique est idoneus) ergo qui simpliciter est judicatus talis, semper & ubique habendus est talis quamdiu non probatur, aut in suspicionem venit erroris alicuius in judicio commissi.

Dices 1. Congregatio Cardinalium S. Concilij Interpretum interrogata à Patriarcha & Archi-Episcopo Valentino: An Approbatus ab alio quam à Valentino Episcopo, censeatur

rendam, potestatem habuit. Sicuti si Judex plenitudinem potestatis habens, Reum per sententiam absolvat nec bene, nec ad rigorem legum examinatum: reus quidem absolutus est: Quamvis à Principe Iudex abutens suo Ministerio, puniri possit. Et quæ à villico iniquitatis satis iniustè condonata erant Domini debitoribus, à Domino non rescinduntur, nec revocantur, sed condonata manent: Quāvis villicus pro mala dispensatione & ministerio condemnetur.

Luc. 16.

Dubium II.

Qualis & quanta ignorantia requiratur in Iudice sive Confessario, ut censeatur Confessiones audiens peccare mortaliter?

Resolutio I.

Ignorantia excusans.

NOn tenetur omnia quæ suprà enarravimus scire memoriter, ità ut possit illa recitare, vel de illis disserere.

Ratio est: Quia id multis alias doctis impossibile est, & memoria illa ad verum & perfectum judicium necessaria non est.

Resolutio. II.

Scientia necessaria.

TEnetur omnia illa in habitu & virtualiter ità scire, ut quando à Pœnitente proponuntur, de qualitate & gravitate actus rationabiliter possit dijudicare: & occasione sibi data de illis sufficiens examen facere, aut saltem prudenter scire dubitare in ordine ad cōsultationem & studium necessarium. Ratio est: Quia hoc tantum requiritur ad formandum judicium sufficiens in hoc foro.

Dixi (*aut saltem prudenter scire dubitare*) Quod de dubio fundamentali ex scientia aliqua acquisita orto, intelligi debet, juxta commune axioma quo dicitur: *Quod qui nihil scit de nullo dubitat*: nimirum dubio fundamentali & scientifico. Non debet tamen intelligi de quovis dubio: Quia qui ignarus omninō est, de omni sua actione iustè dubitare potest, quia nullam resolutionem habet, sed scire hoc modo dubitare, Confessarium nullatenus excusat, imò & ipsi Pœnitenti plurimum nocere potest.

Dixi (in ordine ad consultationem vel studium necessarium) Aliud enim quodvis dubium quod ad hæc non ordinatur, inutile est ad judicandum, & impertinens ad scientiam Confessariorum.

Resolutio III.

Qualitas ignorantia ad peccatum mortale.

QUi enumerata in Conclusione superiori ità ignorat, ut de illis sibi propositis communiter & rationabiliter dijudicare nequeat, aut occasione occurrente illa examinare, aut in aliquibus casibus prudenter de illis dubitare ad consultationem & studium necessarium non possit: peccat mortaliter Confessionum ministerio se exponens: nisi parvitas materiæ, inadvertentia aliqua humana, vel labilitas memoriæ, aut gravis necessitas illum excuset, aut eius scientia aliunde suppleatur.

Ratio est: Quia vere tunc idoneus Iudex censeri non potest, nec debet, adeoque perverse se tanto ministerio ingerit. Excusari tamen potest à peccato mortali in parvitate materiæ & inadvertentia aliqua humana: Quia ut dicitur: *Quandoque bonus dormitat Homerus*: & frequenter ubi communiter aliqua scimus nonnulla elabuntur, & in communi studio ad aliqua ex imperfectione naturali non ità reflectimus, ad quæ si attendissemus maius studium adhibuissemus: Quæ omnia fragilitati, inconstantiæ, & imperfectionibus humanæ scientiæ condonanda sunt. Ex quibus Confessario aliàs timorato & mediocriter ac communiter docto, non est scrupulizandum.

Dubium III.

An necessitas aliqua interdum excusare possit à peccato ignarum Sacerdotem Confessiones audientem?

Resolutio.

Casus necessitatis quibus ignarus Sacerdos audire potest Confessiones.

ASsignari possunt Casus necessitatis in quibus ignarus Sacerdos potest absque peccato audire Confessiones & absolvere.

1. In articulo vel periculo mortis, quandò alius Sacerdos non adest, qui scientiam debitam habeat, cui possit Pœnitens confiteri.

2. In gravi anxietate morbi alicuius Epidimiæ vel pestis, quandò aliquis sapientior aut non potest convenienter exponi, aut non vult se exponere.

3. Quandò est necessario communicandum aut celebrandum, nec alius adest, & aliquis suæ contritionis non est conscius, nec anxietatibus conscientiæ satisfacere potest. Quod dico: Quia alias posset quis se gerere tamquam non habens copiam Confessarij, & actu contritionis cum proposito confitendi, contentus esse.

4 Quandò annis multis vel longo tempore cum gravi animæ detrimento deberet quis expectare, utpote; Quod alius Sacerdos idoneus non occurrat; imò ut frequenter, non occurret qui idioma noverit, ut contingit ijs qui in exteris Regionibus peregrinantur, militant, mercantur ubi Ordinarij idioma nō norunt, posset enim in his casibus Sacerdoti ignaro potestatem habenti & idiomatis gnaro confiteri, & ille audire posset & absolvere.

Ratio omnium supradictorum est: Quia necessitas legem non habet, & charitatis mandatum latum est nimis: Cum igitur in necess-

necessitatibus huiusmodi quis habeat ius petendi à quocumque Potestatem habente, absolutionem peccatorum, imò quandoquè debeat & teneatur: & scientia ad valorem & essentiam Sacramenti non spectet, sed tantum ad perfectionem & quandam Judicij integritatem, sicut præceptum de integritate materiali Confessionis in necessitate cessat (ita ut dimidiatam liceat facere Confessionem, imò quandoquè confusam tantum & signis plane implicitam) sic in necessitatibus supradictis præceptum de Scientia Confessarij cessare censendum est: cum non minus confessio pœnitentis, quam Scientia Judicis, imò magis ad perfectionem Judicij spectet. Undè, si licet in necessitate, edentem tantum signa externa, quæ nullam omninò pariunt scientiam determinatam in Confessario, absolvere: Cur in similibus & alijs supradictis non licet Confessario, Ignaro confessiones audire & absolvere: cùm majorem & magis determinatam & explicatam atquè omninò humanam accipiat peccatorum cognitionem, & solum illi desit scientificum judicium de qualitate: quod ad Sacramenti pœnitentiæ valorem necessario non requiritur. Unde infero in his & similibus casibus lege charitatis in favorem pœnitentium semper concludendum esse, in quorum amplissimum favorem hoc Tribunal est institutum.

Adverte tamen: Quod si pœnitens commode possit Ignari prorsus Confessarij ignorantiam supplere, tunc teneri.

Ratio est: Quia tunc cessat necessitas Ignaro confitendi, si illum scientem facere possim absque gravi incommodo.

DUBIUM. IV.

An Ignarus Confessarius à peccato excusari possit, si audiat Confessiones ex obedientia Superioris?

RESOLUTIO. I.

Confessarius omninò Ignarus non tenetur ex obedientia audire Confessiones.

Confessarius suæ ignorantiæ omninò sine ulla tergiversatione conscius extrà casus necessitatis (de quibus supra) non potest obedire Prælato præcipienti per obedientiam ut Confessiones audiat, nec consequenter illas absque peccato mortali audire.

Ratio est: Quia nemo potest obedire prælato in materia peccati atqui extrà casus necessitatis peccat Ignarus Sacerdos audiens Confessiones, ergo in hac materia non potest Prælato obedire.

RESOLUTIO. II.

In dubio de sufficientia standum judicio Superioris.

SI Confessarius sit de sufficientia suæ scientiæ dubius; tenetur ad Obedientiæ præceptum quo-ad praxim, dubietatem suam deponere, & Prælato præcipienti, ut audiat Confessiones, obedire. *Ratio est*: Quia in dubijs concludendum est in favorem obedientiæ, & conscientia ac scientia prælati præferenda est nostræ opinioni, & timori.

Dixi (teneri quo-ad praxim dubietatem deponere; (Non refert enim quod speculativè dubius remaneat, & scrupulos & anxietates patiatur. Et alias si quæ sit ratio timoris tolli potest per diligens studium, & alijs medijs scientiæ defectum supplentibus.

RESOLUTIO III.

QUi est per examen ordinarium & legitimum ab Ordinarijs approbatus: potest liberè suspiciones inidoneitatis, & scrupulos ignorantiæ deponere & Confessiones audire. *Ratio est*: Quia Ecclesia sic approbatum idoneum judicat in Consilio Tridentino, quod sufficit ad licitam huius Sacramenti administrationem.

Dixi (*per examen ordinarium & legitimum*) ubi enim constaret de fraude, errore, præcipitantia, favore singulari, ista Regula omninò non concluderet.

Dices: Examinatus quidem sum & approbatus, sed in exercitio reperio me multa ignorare? *Respondeo*: Studio continuo, & exercitio sufficientiam augeri & perfici, undè si rationabiliter & cum fundamento de scientia nonnullorum Tractatuum vel Articulorum in particulari dubitet; debet singulari eorum lectione & consultatione supplere.

Approbatus per legitimum examen censetur sufficientis scientia.

Dico (*si rationabiliter & cum fundamento in particulari, &c. dubitet*;) Si enim tantum in genere & in confuso, scrupulus potius existimandus est & timor. Inconsultò quidem faciunt qui experientiâ cognoscentes se in certis Tractatibus & Materijs parum versatos, contenti sunt aliquod dubiâ interrogare, & non magis totam Materiam (quæ paucis interdum folijs apud Authores digesta est) legere & comprehendere conantur. Non enim in particulari Casuum resolutione acquiritur scientia, sed in Materiarum à suis principijs & fundamentis studio & evolutione.

DUBIUM V.

An Pœnitentis scientia possit supplere ignorantiam Confessarij, & quale supplementum requiratur?

RESOLUTIO. I.

Scientia Pœnitentis supplere potest ignorantiam Sacerdotis.

SCientia Pœnitentis potest supplere ignorantiam Confessarij. Hæc est omnium Doctorum, & ex ipsis terminis clara est: Potest enim pœnitens aperire illi perfectè peccata & circumstantias; ità ut non sit opus alio examine vel Judicio.

Resolutio II.

Qualiter Confessarij scientia est supplenda.

NOn sufficit ad supplementum ignorantiæ Confessarij, quod pœnitens intelligat qualitatem suorum peccatorum & illorum materiam & numerum explicet: nisi etiam exprimat qualitatem & gradum, id est, quod sit mortale vel veniale, aut in materia gravi peccatum. *Ex. g.* Non sufficit Pœnitenti docto (ut ignorantiam sui Confessarij suppleat) quod dicat: Toties morosè in cogitatione carnali circà Conjugatam vel Sanctimonialem sui delectatus, sed (si ignoret Confessarius) debet exprimere esse peccatũ mortale, aut si ex circumstantijs determinatè gradum peccati exprimere non possit, aliquo modo qualitatem & gravitatem casus ei exprimere debet, ut Confessarius intelligere aliqualiter possit.

Ratio est: Quia in hoc Tribunali non requiritur tantum ut Pœnitens statum suum intelligat, sed magis ut Confessarius sive Judex judicium ferat, & norit quid, qualiterve absolvat (non enim ex alio capite in Confessario requiritur scientia) nec prodest scientia Pœnitentis, si in sua ignorantia Confessarius maneat; supplementum enim ignorantiæ eius in hoc consistit, ut eum hic & nunc, pro hac materia actuali Confessionis scientem faciat, ad hoc ut cum judicio absolvat & satisfactionem imponat. De Pœnitente enim qualitatem & gradum peccati ignorante & plene confessario non exprimente ità ut aliquo modo apprehendere valeat, vere dici potest: *Scire tuum nihil est nisi te scire hoc sciat alter.*

Dubium. VI.

An sufficiat minor scientia in Confessario qui audit solos Rusticos communiter in Pagis, vel personas Religiosas in Monasterijs, quam in eo qui in Civitatibus omnibus est expositus?

AFfirmative resolvunt communiter Canonistæ: verùm meo judicio ista resolutio maturiùs est liberanda; non enim ità præcise & simpliciter proposita, est absolute verà.

Pro resolutione itaque clariori advertendum censeo; Scientiam confessarij in materia peccatorum, dupliciter posse dici Majorem vel Minorem. 1 *Intensivè*, 2. *Extensivè*.

Intensive Major Scientia dicitur, quâ aliquis qualitatem, gravitatem, modos, circumstantias, obligationes, pœnas peccatorum ex suis principijs & fundamentis clarius, penitius, & accuratius novit. Minor Scientia *Intensivè* è contrà, quâ minus clare & accurate supradicta novit.

Extensivè verò Major Scientia dicitur, quâ quis plures & ampliores casus, tractatus, materias, &c. cognoscit. Et è contrà Minor, quæ ad tam multos casus, materias, &c. non extenditur. His sic prænotatis sit.

Resolutio. I

Quæ scientia in audiente Confessiones Rusticorum non sufficit.

NOn sufficit Minor scientia *Intensivè*, in eo qui audit Rusticos in Pagis vel Religiosos aut Moniales in Monasterijs, quàm in eo qui audit Confessiones in Civitate, Emporio, &c. nisi aliundè ignorantia suppleatur. *Ratio est*: Quia vterquè debet scire sufficienter qualitatem, gravitatem, circumstantias, obligationes, pœnas peccatorum, &c. ut benè dijudicare possit: alias congruum judicium ferre non potest, ut supèriùs docuimus. Hæc autem sunt quæ ad intensivam scientiam omninò spectant, quæ in omnibus requiritur sufficiens, & in gradu in quo judicium ferre possit. Dico (*sufficiens*) non enim dispuro, an in uno clarior, accuratior, perfectior scientia dari possit, cùm in diversis Confessarijs sit inæqualis, alius enim alio clarius & perfectius casum cognoscere potest: omnes tamen debent eam habere scientiam intensivam, quâ rationabiliter de qualitate, gravitate, circumstantijs, obligationibus, &c. peccatorum valeant judicare.

Explico: Confessarius Rusticorum debet scire judicare de qualitate, gravitate, circumstantijs, obligationibus, &c. peccatorum, quæ Rustici confitentur & confiteri debent, & scire eos examinare, eis dubia conscientiæ resolvere, æquè ac Confessarius Mercatorum in Emporijs, & Aulicorum ac Principum in Aulis, de qualitate scil. peccatorũ quæ Mercatores, Aulici vel Principes committunt & confitentur. Eadem enim est utriusquè scientiæ ratio. Imò ex accidenti maior interdum requiritur scientia in Confessario Rusticorum, quia debet illos instruere, examinare, & vi quadam ac morali violentiâ modos, & qualitates peccatorum extorquere.

Similiter Confessarius personarum Religiosarum debet æquè scire judicare de qualitate, gravitate, obligationibus peccatorum in quæ interdum personæ Religiosæ labuntur, sicut & confessarij sæcularium scire debent judicare de peccatis quæ à sæcularibus committi solent.

Dixi (*nisi aliundè ignorantia suppleatur*) quia enim Religiosæ personæ clarius & distinctius sua peccata consveverunt proponere, possunt interdum ignorantiam Confessarij supplere, sed hoc per accidens est.

Resolutio II.

Quæ scientia in Confessario Civitatum requiratur.

SCientia extensivè major communiter requiritur in Confessario qui in Civitate, Emporio, Aulis Principum exponitur ad audiendas confessiones omnium ad se venientium, quam in Confessario qui in Pago Rusti-

Rusticos tantùm ordinariè, aut in eo qui Confessiones personarum Religiosarum in Monasteriis audit, in quibus communiter extensivè minor sufficit. Et in hoc sensu regulariter vera est sententia communis Canonistarum, *Ratio* verò clara est: Qui enim in Civitatibus, Emporiis, Aulis Principum, &c. Confessiones audit, debet esse versatissimus in omnibus materiis Casuum, ut Contractuum omnis generis, Beneficiorum, Juris omnis & Justitiæ, Regiminis Principum, Bellorum iustorum, denique in omni materia omnes status contingente, juxtà rationem personarum quæ in Civitate, Emporio, Aulis, &c. conversantur & confiteri solent: In pagis autem solum in materiis quæ Rusticos communiter, aut personas quæ ibidem conversari solent, contingunt, & ipsæ confiteri consueverunt. Similiter Confessarii personarum Religiosarum si alias personas non audiunt, scire tantum tenentur ea quæ statum Religiosum concernunt, & peccata quæ à talibus personis solent, vel ordinariè committi possunt: Modò tamen te extraordinariis sciant prudenter & rationabiliter ad consultationem vel necessarium studium dubitare, ut in doctrina generali supra docuimus.

Dixi verò (*communiter requiri, vel sufficere*) quia revera jam inter Rusticos & quoscumq; tot inundát mala, & tam diversi generis, ut amplissima scientia requiratur: Quod cum dolore experiuntur quotidiè qui illuminandis eorum conscientiis & eliminandis peccatis accuratius student. Abundant enim & usuræ palliadæ, & injustitiæ in Contractibus, & difficultates intricatissimæ in causis Matrimoniorum, &c.

DUBIUM. VII.

An Confessarius debeat reflectere, & determinatum iudicium ferre super omnibus peccatis in Confessione auditis.

Resolutio I.

Reflectio non necessaria. NOn tenetur Confessarius super singula in Individuo peccata venialia reflectere, aut de singulis determinatum judicium ferre: Ratio est: Quia sunt materia voluntaria, & sufficit ad gratiosam illam & liberam absolutionem in genere iudicare Pœnitentem peccasse, sive peccatum aliquod agnoscere.

Resolutio II.

Reflectio necessaria. TEnetur Confessarius, quantum rationabiliter potest, super singula peccata mortalia quandò proferuntur sive explicantur à Pœnitente, reflectere: *Ratio est*: Quia peccata mortalia sunt materia necessaria huius judicii, & à verò Judice prudenter illa æstimari debent.

Dixi (*quantum rationabiliter potest*) interdum enim contingit ex naturali & inculpabili inadvertentia aut distractione, aliquod peccatum elabi absque culpa Confessarii. Neque enim in hoc ministerio ad extrema, & quasi moraliter impossibilia, Ministros hujus Sacramenti sive Judicii obligat Deus, sed tantum ad ordinariam diligentiam & humanam, quæ communiter judicio prudenti rationabiliter in negotio seriò à timoratis adhiberi solet.

Dixi (*quando proferuntur sive explicantur à Pœnitente*) non enim necesse est ut reflectatur super singulis, aut singula in memoria teneat quando absolvit: sed sufficit, ut statum peccatoris in genere tunc apprehendat, apprehensione generali ex particularibus reflectionibus coalescente sive emanante. Qui igitur culpabiliter ex notabili negligentia & ignorantia ad peccatum pœnitentis in materia gravi non reflectit, peccat mortaliter. Quia res est gravis ad hoc Judicium pertinens.

Resolutio III.

Quæ sit sufficiens reflexio respectu malitiæ: NOn tenetur Confessarius sic reflectens, determinatum iudicium ferre de gradu malitiæ actus, id est, An sit determinatè peccatum Mortale vel Veniale: sed sufficit ut qualitatem, & gravitatem malitiæ dijudicet & æstimet, ubi casus non est planus & apertus, sive planè & apertè propositus.

Ratio est: Quia tale determinatum judicium quoad gradum peccati & malitiæ, omninò impossibile est etiam apud emeritissimum Theologum: Præterquàm enim quod sint infinitæ controversiæ discordantium opinionum de Casibus, Casus etiam ipsi in individuo valdè alterantur quo-ad majus & minus ex materia, indeliberatione, præcipitantiâ, passione, concursu diversarum legum aliisque circumstantiis, ratione quarum quæ ex natura sua Mortalia sunt, Venialia interdum, aut nulla fiunt, & è contrà quæ sunt Venialia, ex natura sua ad mortalem malitiam excrescunt, Ex quibus nunnunquàm judicium ità suspensum tenetur, ut nullatenus prudenter ad aliquam partem inflecti possit. Sufficit itaquè si qualitatem & gravitatem malitiæ prudenter expendat, etsi ad gradum peccati mortalis certò illam determinare non possit.

Dixi (*ubi casus non est planus & apertus*) ubi enim planus & apertus est, debet Sacerdos scire de illo determinatè iudicare Hoc enim ad scientiæ, de qua suprà, obligationem spectare dignoscitur.

Dubium VIII.

An qui peccatum mortale confessus est, quod constat Confessarium ignorasse esse mortale, teneatur postea illud alteri scientia prædito, confiteri?

RESOLUTIO.

Confessus ignaro non tenetur semper repetere Confessionem.

QUi inculpabiliter confessus est peccatum vel peccata mortalia Confessario Potestatem habenti etiam culpabiliter ignaro, etsi postmodum id advertat, non tenetur ea alteri scientiâ sufficienti prædito confiteri: Tenetur tamen obligationibus ex peccato natis satisfacere, etsi per ignorantiam ei obligationes impositæ non fuerint, ubi in earum cognitionem venerit.

Ratio est: Quia ut suprà docui: Si ut noverat sua peccata explicavit, valida fuit absolutio etiam ab ignaro data; supponitur enim quod Potestatem & Jurisdictionem habeat, & quod Pœnitens ex parte sua fecerit quod veri Pœnitentis fuit. Unde dixi (*qui inculpabiliter confessus est;*) Si enim per ipsum stetit quo minus peccatorum gravitas intelligeretur, utique quod verborum involucris & decurtationibus vel excusationibus ea palliaverit, *Item*: Si ad ignarum cognitum accessit voluntariè, & ut peccatorum verecundiam ac æstimationem evaderet; In istis casibus, certum est teneri alteri docto & scienti peccata iterum aperire, aut ejusdem ignari ignorantiam per iteratam & distinctam explicationem singulorum peccatorum in sua qualitate & gravitate supplere. *Ratio est*: Quia illa Confessio non fuit vera accusatio, sed potius excusatio vel fictio, & dolus

Aliquando tenetur.

Dixi (*Tenetur tamen obligationibus, &c. satisfacere*) Ex g Si Casibus erat adjuncta restitutio honoris, bonorum, reconciliationis, satisfactionis, etsi non teneatur peccata repetere, illis tamen satisfacere tenetur, quia ex natura rei remissioni peccati sunt annexa: juxta illud: *Non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum*, id est, nisi sub obligatione restituendi ablatum. Quod & in aliis obligationibus verificatur, ut quandò reconciliatio est facienda, scandalum tollendum, Imò si ex ignorantia Confessarij, Pœnitens non esset ab excommunicatione quæ peccato erat annexa, absolutus, teneretur Absolutionem ab Excommunicatione petere.

QUÆSTIO IV.

Quæ scientia requiritur in Confessario quatenus Medicus est, & Doctor, ac Pastoris officium subit?

CONCLUSIO I.

Scientia Confessarii ut Medici est.

C*Onfessarius, quatenus Medici personam gerit, debet scire communia peccatorum, & tentationum remedia, & communes modos,* quibus Pœnitens à peccatis resurgere possit, sivè positivè consulendo nonnulla, sive etiam prohibendo occasiones, & pericula.

Conclusio clara est, ex officij spiritualis Medici natura. Unde si ita ignorans sit, ut Pœnitentem nullatenus juvare possit, omninò ab hoc officio cessare debet, ob periculum ne ex eius insipientibus consiliis, vel tergiversatione & taciturnitate Pœnitens pereat: Quapropter monet Sapiens Ecclesiast. 8. *Cum fatuis consilium non habeas*: Et: *Non omni homini cor tuum manifestes, ne forte inferat tibi gratiam falsam Hi enim sunt qui pascunt pecora occisionis, quæ qui possidebant occidebant, & non dolebant* Zach. 11. Et Isaiæ 1. conqueritur Dominus, Quod; *vulnus & livor & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo, &c.* (*Eccles. 8. Vers. 10.* — *Zach. 11. Vers. 4. 5.* — *Isaiæ. 1. Vers. 6.*)

Petes: An qui taliter ignarus est, toties mortaliter peccet, quoties Confessiones audit? *Respondeo*, Quod non, sed tantum quandò communiter se exponit; vix enim periculum tanti momenti subest in una aut altera Confessione: Si aliàs de peccatis sufficienter ad absolutionem dijudicare possit, & obligationes ac mera peccata consequentia, declarare.

CONCLUSIO II.

Scientia Confess. ut est Doctor.

C*Onfessarius ut Doctor, tenetur scire communes resolutiones Casuum, & obligationum quæ ex peccatis communiter nascuntur.*

Ratio sumenda est ex Doctrina Judici necessaria: sicut enim justè judicare tenetur, sic consultus à Pœnitente vera respondere obligatur. Et periculum indocto est: *Ne si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadant.* (*Matth. 15 Vers. 14.*)

Conclusio III.

Scientia Confess. ut est Pastor.

C*Onfessarius qua Pastor, supposita supradictorum scientiâ charitatem maxime habere debet, ut animæ Pœnitentis provideat, & infirmitates omnium portet.* Hæc iterum ex terminis clara est Multa verò supersunt dicenda de modo examinandi, docendi, & medicinam abhibendi Reo, quæ suo loco dicentur.

TITVLVS VI.

De Approbatione Iudicum sive Confessariorum.

QUÆSTIO. I.

Quid sit Approbatio, & qualiter à Collatione Iurisdictionis distinguatur?

Conclusio I.

Quid Approbatio.

A*pprobatio est publicum & authenticum Iudicium factum scripto, vel verbo, aut alio signo ab habente auctoritatem, de idonietate & suffi-*

sufficientia Sacerdotis ad audiendas Confessiones. Concl. ex terminis clara est.

Conclusio II.

Approbatio distincta a Collatione.

A*pprobatio est actus natura sua planè distinctus à Collatione Iurisdictionis, & ab illa omnino separabilis, etsi simul ordinarie concurrant.*

Concl. probatur 1. Quia Collatio Jurisdictionis præsupponit approbationem, sive judicium de idoneitate: Nemo enim licite conferre potest Jurisdictionem alicui, nisi quem priùs saltem naturâ, judicaverit idoneum & sufficientem.

2. Quia à diversis & diverso tempore Approbatio & Jurisdictionis Collatio fieri potest, & frequenter fit: vnde quos Vicariatus unâ hebdomadâ approbavit, iis Episcopus alterâ hebdomatâ potest dare Jurisdictionem Imò Episcopus potest aliquem quoad sufficientiam & idoneitatem approbare: ei verò ob justam causam, Iurisdictionem denegare.

3. Concl. ex Approbatione & Collatione Iurisdictionis facta Mendicantibus, manifesta est: Mendicantes enim pro Sæcularium Confessionibus audiendis ab Episcopis de idoneitate & sufficientia, Approbationẽ recipiunt: Collatio tamen Iurisdictionis illis fit non ab Episcopis, sed à Summo Pontifice, per Privigelia & Concessiones in Diplomatibus per modum Legis expressas, quibus confert Pontifex Summus Iurisdictionem Mendicantibus à Superioribus legitimis electis & admissis, sive præsentatis ad Confessiones audiendas, sub hac tamen conditione: quod Episcopus eos judicet idoneos & sufficientes, & non aliter: Ita ut Approbatio Episcoporum sit conditio prærequisita, ad hoc, ut Fratres Mendicantes possint uti Iurisdictione sibi per Summum Pontificem in Privilegiis concessa.

Quod Episcopi possint in Approbatione privilegiatorum?

Unde Episcopus r. non potest arctare ad personas, vel tempus, nec alterare Iurisdictionem Mendicantium in Confessionibus audiendis, si examinatum simpliciter idoneum, & sufficientem repererit: Nec talis arctatio teneret, ut declaravit. *Sacra Congregatio Cardinalium die secunda Iunii 1587. subscribente Michaele Bonello Cardinale Alexandrino, & Gregorio Paleatio Secretario* his verbis: *Regulares qui ad Confessiones audiẽdas idonei generaliter ab Ordinariis eorumve examinatoribus reperti & probati fuerint, generaliter quoq; & indistincte absque limitatione temporis certorumve locorum, aut generis personarum admittantur in* Diœcesi *propria &c* 2. Nec idoneo reperto per examen, Episcopi Approbationem sive testimonium suæ idoneitatis denegare possunt: alias de facto censetur admissus, & approbatus Iurisdictionem obtinere, ut decrevit *Concilium Viennense in* Clementina *Dudum de sepulturis*: In quo casu nil per Concilium Tridentinum immutatum fuit: Supponimus enim talem fuisse præsentatum & idoneum repertum; injustè autem illi testimonium idoneitatis & Approbationis negari. Cui injustitiæ omninò censendum est nullam legem favere: unde non derogatum, nobiscum tenet Navarrus.

S. Congreg. Card. an. 1587. die 2. Iul.

Dixi in Conclusione (*etsi simul ordinarie concurrant*) quos enim testimonio autheutico approbat Episcopus, illis censetur suam Jurisdictionem conferre, nisi aliunde habeant.

QUÆSTIO II.

A quo, & qualiter Approbatio fieri debeat?

Conclusio I.

Episcopi vel quasi Episcopi soli Approvant.

A*pprobatio debet fieri ab habente Potestatem Episcopalem, vel quasi Episcopalem.*

Concl clara est: Cùm enim soli Episcopi, vel quasi Episcopi, Jurisdictionem committere possint, sic soli possunt approbare. Unde & Concil. Tridentin. *sess.* 23. *cap* 16. Approbationem Confessariorum pro sæcularibus etiam Sacertotibus absolvendis, restrinxit ad Episcopos.

Dixi verò (*vel quasi Episcopalem*) propter Regulares Prælatos, qui Jurisdictionem quasi Episcopalem habent, & ad eos pertinet examen & Approbatio Confessariorum pro Regularibus sibi subditis.

Conclusio II.

Tres modi Approbationum.

T*ribus modis Approbatio super idoneitate, sive judicium de idoneitate fieri potest. 1. Collatione Beneficii Parochialis. 2. Examine Episcoporum per se vel examinatores si necessarium judicetur. 3. Per alios quosvis modos ex quibus idoneitas manifesta fieri potest* Ita Concilium Tridentinum supra: *Quamvis* (ait) *Presbyteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi Potestatem accipiant; decernit tamen S. Synodus, nullum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari: nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, Privilegiis & Consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantib9.*

Concil. Trid. sess. 23. cap 15 de Refor.

Ex quibus, *Infero* 1. Approbationem, de qua loquitur Concilium, non esse generale judicium de idoneitate simpliciter, sed singulare ad quod consequitur Collatio Jurisdictionis ad audiendas Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum, sive Jurisdictio hoc ipso conferatur, sive aliunde proveniat. *Ratio est*: Quia Concilium loquitur de actu exercito audiendarum Confessionum: verba enim sunt clara, nimirum: *Non posse Confessiones audiri, nec ad id idoneum reputari*: Et in sequentibus duo ista distinguuntur. *Idoneus judicari, & approbationem, quæ*

Qualiter Episcopi in Approbationibus se gerere debeant?

gratis

gratis detur, obtinere : ita ut primum respiciat judicium sufficientiæ, secundum facultatem exercitij in actu secundo.

Infero 2. Episcopos non teneri examinare, nisi ubi examen necessarium existimant, utpotè quia idoneitas aliundè non est cognita.

Infero 3. Non obstante quacumque idoneitate quovis modo cognita, necessariam esse Approbationem Episcopi ad audiendas Sæcularium Confessionea: Hoc clarè indicant illa verba: *Et Approbationem quæ gratis detur, obtineat.* Ita ut quamvis per Parochiale beneficium, vel examen, vel aliàs quia idoneus iudicetur, nisi tamen Approbationem obtineat, non censetur idoneus in actu secundo ad audiendas Confessiones.

Quæ omnia ob diversa Doctorum dicta, valde singulariter sunt adnotanda.

DUBIUM I.

An cognita sufficienti idoneitate, teneatur Episcopus Approbationem dare & non dando, peccet?

Triplices personæ approbandæ. PRo clara Resolutione huius dubij advertendum est. 1. Triplicea personas se posse præsentare Episcopis ad Approbationem: *Primi sunt*; Qui pastorale Beneficium curam animarum habens annexam, obtinuerunt. *Secundi sunt*: Sacerdotes sæculares qui etsi nullum beneficium Pastorale habeant, se tamen præsentant ut per Delegatam Jurisdictionem Confessionea audire possint: *Tertij sunt*; Regulares Privilegiati qui ex privilegio Papæ à Superioribus ad audiendas Confessiones Sæcularium assumuntur, conditione posita, quod ab Episcopis approbentur.

Duplex approbatio. Advertendum 2. Duplicem nos hic posse distinguere Approbationem: *Prior*, est idoneitatis simpliciter & in genere, sive in actu primo. Quâ quis simpliciter iudicatur idoneus, & sufficiens ad audiendas Confessiones, etsi eis Jurisdictio aut Potestas non fiat, ut in exercitium actus exire possint: *Posterior*, est Approbatio specialis, sive authenticum & juridicum testimonium in actu secundo. Qua quis non tantum judicatur idoneus ad audiendas Confessiones, sed hoc ipso ei advenit Jurisdictio; sive ab Episcopis conferatur; sive ex lege aut Privilegio à Summo Pontifice sic approbato, posita tali approbatione, adveniat. Et hæc est approbatio Concilij Tridentini, de qua hic dubium movetur.

Quid de Parochis. *Resp.* Igitur. 1. Tenetur Episcopus eos qui Parochiale Beneficium obtinent, si idoneos judicet, approbare in actu secũdo sive speciali Approbatione Tridentini.

Ratio est: Quia ex vi Officij sibi commissi, & Beneficij acquisiti, jam jus habere noscuntur ad Confessiones audiendas, cui sine justa causa Episcopus non potest per negationem Approbationis derogare. Quinimò ubi manifestè & sine tergiversatione constaret de injusta negatione Approbationis, omninò credo illos posse audire Confessiones, eo ipso quo Beneficium Pastorale obtinent. Cujus ratio est: Quia illis Jurisdictio ex vi & natura Beneficij competit: Et supponitur Episcopi Approbatio injustè denegata; cui injustitiæ favere aut patrocinari Concilium Tridentinum nullatenus censendum est.

Quid de non Parochis. *Respondeo* 2. Sæcularibus Sacerdotibus nullum Beneficium Pastorale habentibus, quamvis repertis idoneis & sufficientibus, potest Episcopus absque ullâ causa pro sua libertate denegare Approbationem, & consequenter Jurisdictionem.

Ratio est: Quia hujusmodi Approbatio respectu ipsorum est merè gratiosa, & sicut in libertate Episcoporum est, admittere, vel assumere, in Sacramentorum administratione Ministros delegatos plures & pauciores, ita consequenter Approbare, vel negativè non Approbare, quamvis aliàs idonei sint: Nec alicui injuriam facit, cum pro sua voluntate de Ministris delegatis & eorum delegatione disponat: Nec est qui conqueri justè possit & dicere, Cur ita facis?

Dices 1. Eo ipso quo quis ad examen & probationem admittitur, Jus habet ut idoneitate reperta, approbetur: *Resp.* Negando assumptum. Aliud enim est idoneum reputari: Aliud in actu secundo ad Confessiones audiendas approbari. Per examen itaque jus acquirit ut idoneus judicetur, & positivè reprobari non possit, non autem Jus ut de facto in actu secundo. Approbatio ei concedatur iuxta formam Concilij Tridentini.

Dices 2. Quid igitur per tale examen acquisivit? *Resp.* 1. Per illud manifestam reddidisse suam idoneitatem. 2. Satisfecisse primæ conditioni de examine, ita ut si postea approbandus sit & delegandus, non teneatur amplius se sistere examini, nisi novâ causâ superveniente, *ut infra dicemus*. 3 Quod Episcopus possit quovis tempore illum ad actum secundum approbare, ac eo, uti.

Quid de Regularibus. *Ad Principale Dubium Resp.* 3. Tenentur Episcopi Approbationem dare Regularibus Privilegiatis per examen idoneis & sufficientibus repertis. Ratio est. Quia omnes Privilegiati Privilegio Pontificis Summi, FF. Minores ac Prædicatores specialiter Lege Conciliari *in cap. Dudum*, Jus ad dictam Approbationẽ habent suppositâ idoneitate per Episcoporum examen cognitâ. Auctoritate enim Pontificis. 1. Per Superiores ad id munus assumuntur. 2. Eâdem Auctoritate Episcopis præsentantur 3. Suppositâ eorum idoneitate per examen Episcoporum cognita, eis Jurisdictio à Summo

Ponti-

Pontifice eadem quæ Curatis conceditur, non obstante recusatione Episcopi. Injustè ergo Episcopus censeretur verè idoneo Approbationem denegare, cui injustitiæ certū est Concilium Tridentinum nolle patrocinari, & consequenter nec derogare provisioni dicti Concilij Vienensis **Cap. Dudum.** in hac causa.

Dubium. II.

An eos qui Pastorale Beneficium obtinent, possit Episcopus examinare?

Parochi prius examinati examinandi non sunt

RAtio dubitandi est: Quia Concilium Tridentinū eos singulariter ab examine Episcoporum eximere videtur.

Resp. Si illi, qui Pastorale Beneficium obtinent, fuerint prius per Episcopos aut eorum Examinatores examinati, & ad Parochiale Beneficium idonei reperti (nisi nova supervenerit causa) non debent denuò ab Episcopis examinari: *Ratio clara est*: Quia jam per examen censentur idonei, & vi sui beneficij Pastoralis Approbationem & Jurisdictionem possident, quibus spoliari non possunt, vel de novo in illis gravari, nisi aliqua justâ causâ superveniente.

Unde dixi notanter (*Si illi qui Pastorale beneficium obtinent, fuerint per Episcopos, &c. examinati*;) Suppono enim Concilium loqui de ijs qui jam per legitimam Collationem & Institutionem Parochiale Beneficium actu obtinent, quibus à Concilio examen non indicitur, quia examen & judicium de idoneitate debitè factum censetur, ante Collationem sive Institutionem.

Dixi (*nisi nova supervenerit causa*) si enim causa supervenerit justè dubitandi de idoneitate, posset Episcopus etiam Parochiale Beneficium obtinentes ad examen revocare, sicut de alijs examinatis infra dicemus.

Dubium III.

An Graduati in Theologia & Lectores debeant aut possint ab Episcopis examinari?

Pius V an. 1567 Kal. Iulij. Pontif. an. 2.

RAtio dubitandi sumitur *ex quadam Bulla Pij V. Etsi Mendicantium Ordines, data Romæ anno* 1567. 17. *Kal. Iulij Pontif anno.* 2. pro Ordine Prædicatorum, in qua hæc verba leguntur: *Lectores insuper ex eisdem Fratribus, & in Theologia Graduati, qui cum Licentia suorum Superiorum ad gradum admissi fuerint; cum de ipsorum doctrina ambigendum non sit) tam Confessiones audituri, quam Prædicationis munus subituri, ab Episcopis minimè examinentur.*

In quibus verbis, Ratio cur non debeant examinari, de omnibus Theologiæ Professoribus, vel in Theologia Graduatis æquè concludit, utique (*quia de ipsorum doctrina ambigendum non est*) atque ideò examen non est necessarium.

Resp. Nihilominus: Tum Lectores, tum Professores, ac Graduatos in Theologia posse ab Episcopis, si voluerint, sive necessarium judicaverint, examinari. *Graduati possunt examinari.*

Ratio est: Quia ità ordinavit de omnibus omninò approbantis Concilij Tridentinum supracitatum. Nec obstat *Declaratio Pij V. suprà allegata*: Non enim plus dixit quàm textus ipse Concilium subindicet: Dicit enim Concilium: *Nullum etiam Regularem posse Secularium, &c. Confessiones audire, nisi &c ab Episcopis per examen (si illis necessarium videbitur) aut aliàs idoneus judicetur*: Supponens quod si manifesta sit idoneitas & examen nullatenus necessarium, frustrà examen fieri. Idem æquivalenter dicit *Pius V.* Supponit enim eorum idoneitatem esse manifestā. (*Cùm* (inquit) *de ipsorum idoneitate ambigendum non sit*) atque ideò examen inutile judicat. Non excludit tamen quin ex causis aliquibus examinari ab Episcopis possint, ubi judicaverint expedire, quod eorum judicio relinquitur. Et hoc posteà declaravit idem Pontifex anno 1571. Oct. Idus Augusti Pontif. anno 6. per *Bullam*, quæ incipit *Romani Pontificis.* In qua voluit Decretum Concilij Tridentini de Approbatione Confessariorum juxtà Concilii terminos omnino servari etiam quoad Lectores & Graduatos in Theologia. Quod non est aliud quàm præsentatos, si necessarium videbitur; non obstante quovis gradu & Professione in Theologia, examinari posse antè approbationem. *Concil. Trident. sess. 23. c. 15.*

DUBIUM. IV.

An semel examinatos & idoneos judicatos juxta formam Concilii Tridentini, possit Episcopus sæpius ad examen revocare?

RAtio iterum dubitandi sumitur ex *Declaratione Pii V.* in *Bulla* quæ incipit *Romani Pontificis* supracitata: In qua pro Regularibus Privilegiatis ad audiendas Confessiones approbatis sic disponit: *Volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Civitate & Diœcesibus suis prævio examine approbati fuerunt, ab eodem Episcopo iterum non examinari: Ab Episcopo autem successore pro majori Conscientiæ suæ quiete examinari de novo poterunt.* Quæ declaratio similiter æquè de omnibus concludit, cùm inquietudo conscientiæ possit quemlibet Episcopum Successorem urgere super nonnullis fortè minus idoneis, vel de inidoneitate suspectis. *Pius V.*

Resp. 1, Non licet Episcopo sinè justa & legitima causa semel prævio debito examine Approbatum, iterum ad examen revocare. *Ratio est*: Quia ipsius Approbatio de suffi- *Semel examinati non possunt ordinariè examinari iterum.*

simpliciter à quocumque Episcopo approbatum, in superioribus fuit declaratum.

Unde quod hic aliqui conantur probare Approbationem debere fieri ab Episcopo Confessarij, ex eo quod per Jubilæum permittatur Pœnitentibus confiteri cuilibet ab Ordinario Approbato, id est, ab Episcopo Confessarij, non autem necessariò Pœnitentis, ut *Declarationes Cardinalium à Francisco Suarez relatæ tom. 4. d. 28. sect. 6.* testantur, nihil omninò concludit: Jubilæi enim aut similium Indultorum concessio, Privilegium includit, quo permittitur ut quilibet Sacerdos à quolibet Episcopo approbatus, possit tunc Confessiones audire, & quoslibet Pœnitentes absolvere: cum absque tali Privilegio nemo possit absolvi nisi ab Approbato à proprio, id est, Episcopo Pœnitentis, ratione ad Conclusionem allata.

Dices: Approbatio Confessarij est actus Juridicus, ergo debet fieri à Superiore in Sacerdotem Jurisdictionem habente, & consequenter subdito, ergo ab Episcopo Sacerdotis. *Resp.* Sacerdotem dupliciter dici posse Episcopo subditum.

1. Per debitam & habitualem subjectionem, quam in Diœcesi contrahit per Domicilium vel quasi Domicilium, vel per Beneficium quod in Diœcesi obtinet.

2. Per actualem tantum Jurisdictionem in foro interno; quomodo Sacerdos habens Domicilium in Episcopatu Gandensi, etsi quoad habitualem subjectionem sit subditus Episcopo Gandensi, potest tamen se subjicere quoad aliquos actus fori interni, Archi-Episcopo Mechliniensi, ut nimirum ab eo Approbationem & Jurisdictionem accipiat absolvendi eius subditos qui Diœcesis Mechliniensis sunt, ratione viciniæ, aut alia de causa.

Dico itaque 1. Neminem posse ab aliquo Episcopo approbari, nisi sit aliquo modo ei subjectus, nimirum, aut quoad actus aliquos & ministerium fori interni, hoc est, quoad actualem Jurisdictionem, aut quoad habitualem & debitam in utroque foro, quæ per domicilium vel Beneficium contrahitur.

Dico 2. Sacerdotem quoad præfatos actus fori interni posse se subjicere cuilibet Episcopo, quia cum isti actus sint fori interni nec strepitum forensem contingant, per huiusmodi subjectionem non liberatur à Jurisdictione habituali & debita proprio Episcopo: Quod si ad habitualem Iurisdionem alterius per Domicilium vel Beneficium transeat, tunc alter Episcopus fit illi proprius, quod sine Dimissorialibus eius qui proprius fuit, non consuevit fieri.

QUÆSTIO IV.

An approbatus à proprio Episcopo iuxta Decretum Concilij Tridentini, censeatur Approbatus pro universali Ecclesia?

Hic iterum distinguunt Doctores inter Approbatum per Beneficium Parochiale, & approbatum per examen absque Beneficio Parochiali, sive curam animarum habente: dicunt autem eum qui est Approbatus per Parochiale Beneficium quod actu possidet, censeri idoneum pro universa Ecclesia, ut ab habente Ordinariam Jurisdictionem delegari possit: Non autem eum qui Approbatus est per examen Episcopi absque Beneficio Parochiali.

Sed hæc distinctio (salva omni reverentia ad Auctores suos) videtur mihi parum fundata. Cum enim Concilium Tridentinum æqualiter loquatur de idoneitate & sufficientia sive Approbatione tam eorum qui per Parochiale Beneficium, quam eorum qui per examen Episcoporum approbantur, vel uterque idoneus pro tota Ecclesia censendus est, vel neuter, cum supposita Approbatione uterque simpliciter supponatur judicatus idoneus ad audiendas Confessiones, nulla restrictione posita.

Pro clariori igitur responsione. Noto ad Approbationem iuxta formam Concilij Tridentini duplicem sequi communiter effectum: 1. Est judicium authenticum & juridicum de idoneitate & sufficientia Sacerdotis ad audiendas Confessiones. 2. Est Collatio Jurisdictionis quæ communiter tale judicium consequitur, sive ab Episcopo approbante detur, sive aliunde sic examinato & Approbato adveniat, ut in superioribus alias fuit declaratum.

CONCLUSIO.

Quod spectat ad judicium de idoneitate, Approbatus legitimè juxta formam Concilij Tridentini ab uno Episcopo, censetur idoneus pro tota Ecclesia, ad hoc ut ab habête Potestatê delegari possit, sive sit per Parochiale Beneficium approbatus, sive per legitimum examen. *Omnis legitimè approbatus, censetur pro universali Ecclesia idoneus.*

Ratio est: Quia judicium iuxta formam Concilij Tridentini de idoneitate Confessariorum est absolutum & illimitatum ex se, & ex natura idoneitatis (qui enim simpliciter & absolutè est idoneus, semper & ubique est idoneus) ergo qui simpliciter est judicatus talis, semper & ubique habendus est talis quamdiu non probatur, aut in suspicionem venit erroris alicuius in judicio commissi.

Dices 1. Congregatio Cardinalium S. Concilij Interpretum interrogata à Patriarcha & Archi-Episcopo Valentino: An Approbatus ab alio quam à Valentino Episcopo, cen-

featur in Diœcesi Valentina approbatus ab Ordinario? Respondit: Non censeri approbatum ab Ordinario. *Ita refert Rodericuez in Exposit. Bullæ* § 1. ergò ab uno Episcopo approbatus, non censetur pro universali Ecclesia approbatus. *Resp.* Aliud esse, esse Approbatum simpliciter: Aliud Approbatum quo ad iudicium idoneitatis: Qui enim Approbatus est simpliciter, utrumque communiter effectum Approbationis acquirit: nimirum idoneitatis & Jurisdictionis ad absolvendum: Qui autem Approbatus est quoad idoneitatem tantum, Jurisdictionem nullam præsumere potest. Et hoc modo intelligenda est Responsio Cardinalium; nimirum non censeri Approbatum simpliciter cum communicatione Jurisdictionis.

Dices secundò. Approbatus ab uno Episcopo potest ab alio examinari, ergo nonest etiam quoad idoneitatem pro universa Ecclesia approbatus. *Resp.* Aliud iterum esse, posse examinari aliud debere examinari. Dico itaque (posito quod unus Confessarius fuerit examinatus ab uno Episcopo, & approbatus tamquam idoneus simpliciter) omnes Episcopos posse esse contentos tali approbatione & judicio idoneitatis si velint, nec teneri illos examinare ex Concilij Tridentini Decreto: Quod autem possint illos examinare, id non est imputandum defectui debitæ approbationis sive idoneitatis, sed Potestati ordinarij Judicis, qui pro sua voluntate & sollicitudine potest experimentum capere de idoneitate ministrorum Sacramenta in sua Diœcesi administrantium, etsi idoneitas alias ab alio sit legitime judicata

Unde qui ab uno Episcopo aliquando fuit juxta formam Concilij Tridentini Approbatus; hoc præ alijs idoneis habet. 1. Quod, si aliunde non impediatur, possit delegari ei Jurisdictio ab habente potestatem absque alio prævio examine vel Approbatione. 2. Quod possit eligi & assumi à quocumque qui potestatem habet eligendi Confessarium unum ex alias approbatis. Sed ex hoc exurgunt duo dubia non exigui momenti.

Dubium I.

An Parochus possit delegare suam Iurisdictionem, sive dare facultatem alicui, qui ab Ordinario sive Episcopo Diœcesis Parochiæ suæ non est approbatus, si ab Episcopo alterius Diœcesis fuerit simpliciter approbatus?

Ex. 9. An Parochus Diœcesis Gandensis possit in auxilium assumere ad audiendas Confessiones, communicatâ ei suâ Jurisdictione, Sacerdotem, qui tantum ab Episcopo Mechliniensi est Approbatus juxta formam Concilii Tridentini?

Affirmativam partem tenent plures viri doctissimi, de Sacerdote per Parochiale Beneficium, quod actu possidet Approbato, quod is à quocumque Parocho cujuscumque Diœcesis assumi possit ad audiendas Confessiones subditorum præfati Parochi, etsi ab Episcopo illius Diœcesis non sit Approbatus. Vide Franciscum Suarem *tom. 4. d. 28. sect. 4.* & ità videtur esse praxis in multis locis, ut Pastores vicini, etsi sint diversæ Diœcesis, mutuum auxilium implorent. Horum fundamentum est Quia approbatus per Parochiale Beneficium quod actu possidet, censetur idoneus pro tota Ecclesia, ut delegari, & ad Confessiones audiendas assumi possit. Dicunt autem singulariter de Approbato per Parochiale Beneficium: Quia aliter Approbatos volunt pro sola Diœcesi Episcopi Approbantis, judicari idoneos.

Resolutio

Parochus potest delegare Iurisdictionem legitimè approbato nisi, &c.

Parochus potest quemcumque ab uno tantum Episcopo Catholico legitimè & absolutè juxtà formam Concilii Tridentini Approbatum, delegare ad audiendas Confessiones suorum, nisi à superiori potestate impediatur

Probatur 1. Quia talis sic Approbatus supponitur pro tota Ecclesia idoneus & Approbatus *ut q. 4. Concl. 1 docuimus*, atqui Parochus potest dare facultatem suo Parochiano ut cuilibet juxtà formam Concilii Tridentini legitimè & absolutè Approbato cõfiteatur, ergò & illum delegare: facultas enim quæ datur alteri confitendi, non est nisi indirecta delegatio Jurisdictionis

2. Ex sententia Doctissimorum virorum, hæc delegatio sive facultas fieri potest Sacerdoti per Parochiale Beneficium quod actu possidet approbato in alia Diœcesi, ergò & Sacerdoti cuilibet legitimè juxta formam Concilii Tridentini approbato. Eandem enim esse rationem utriusque ex vi Juris communis, *suprà* documus.

3. Probatur ex praxi apud aliquos tolerata: Sic enim Pastores quotidie permittunt & facultatem faciunt suis Parochianis, ut Sacerdotibus Parochiarum vicinarum alterius Diœcesis etiam Capellanis, ab Episcopis tamen absolute & sine ulla restrictione Approbatis, confiteantur, & eos interdum in absentia advocant.

Dixi (*nisi impediantur à superiori potestate*) etsi enim Jurisdictio Parochorum sit Ordinaria, ideoque eam legitime Approbatis juxtà Concilium Tridentinum delegare possint: dependet tamen ab Episcoporum potestate, ut restringi & limitari possit. Quomodò Episcopi restringunt & de facto interdum limitant, prohibentes Pastoribus ne facultatem faciant vel advocent aliquos qui

qui suos Parochianos audiant, nisi sint ab ipsis vel Prædecessoribus suis legitimè in ista Diœcesi approbati: Imò, super hoc statuta condunt, quibus positis, jam Potestas Parochorum est restricta, nec talem facultatem alteri quamvis pro tota Ecclesia alias idoneo approbato, dare possunt. Sicuti nec permittuntur assumere Sacellanos & Coadjutores continuos, etsi ab alio Episcopo legitimè approbatos, nisi per Episcopum Diœcesis approbentur, Pro quibus omnibus consulendæ sunt leges Episcopatuum singulorum; eorumque consuetudines & praxes approbatæ. Theologicè tamen & strictè loquendo: Quod non possint Approbati absolutè ab uno Episcopo juxta formam Concilij Tridentini; à quocumque Parocho assumi, id non provenit ex defectu sufficientis approbationis quoad idoneitatem, sed ex restricta Parochorum Potestate per Episcopos quo ad Jurisdictionis actualis communicationem & facultatem.

Dixi etiam superius (*qui absolute est approbatus, &c.*) qui enim tantum est approbatus pro una Parochia, aut uno loco, non potest pro personis alterius loci etiam à proprio parocho delegari, quia simpliciter & absolutè juxta formam Concilij Tridentini, non censetur idoneus.

Quin-imò nec ex alijs Parochijs ad Parochiam ubi habitat advenientes audire potest, præsupposità solâ facultate propriorum Parochorum, quia illam parochi ipsi dare non possunt cum pro personis illius loci præcisè approbatus sit.

Dico (*præsupposita sola facultate Parochorum*) si enim sic advenientes Privilegio alteri innitantur, utpote, Peregrinorum, iter-agentium, quasi domicilium habentium, &c. possent etiam in loco illo existentes; Capellano loci pro illius tantum loci personis admisso, confiteri.

DUBIUM II.

An Regularis Privilegiatus approbatus ab uno Episcopo juxta formam Concilij Tridentini, accipiat Iurisdictionem pro universa Ecclesia?

Affirmativam partem docuerunt Auctores non parvæ notæ, asserentes Regularem ab uno Episcopo juxta formam Concilij Tridentini approbatum, hoc ipso accipere Jurisdictionem pro universali Ecclesia, & sine alia præsentatione ubique posse Confessiones audire: Ita tenuerunt *Henriquez lib. 6. cap. 6. §. 7. cap. 12. num. 4. in Comment. lit.* O. Ubi dicit idem censere omnes Theologos ex familia Dominicana & Augustiniana, & alios plures non parvi hominis, quos vide citatos apud Joannem Sanchez in Selectis *disput. 44. nu. 1.*

Ratio Fundamentalis est: Quia Regularis juxta formam Concilij Tridentini approbatus, hoc ipso accipit Jurisdictionem à Summo Pontifice universalis Ecclesiæ Pastore, sed hæc Jurisdictio ut est à Summo Pontifice, est illimitata quoad personas, & ad omnes fideles extenditur, ergo ista Jurisdictio pro ut Regularibus privilegiatis est communicata; ex natura sua illimitata; & ad omnes Fideles extenditur, ergo ubique & quorumcumque poterunt Confessiones audire.

Majorem alias probavimus; ubi distinximus inter Approbationem & Collationem Jurisdictionis, & ostendimus Approbationem, quidem Regularium Privilegiatorum pertinere ad Episcopos: Collationem autem Jurisdictionis à Privilegio, sive etiam Lege scripta, à Pontifice promanare. Minor verò probatur: Quia in Privilegijs dicta Jurisdictio sic à Summo Pontifice promanans nullam limitationem ad personas adiunctam habet; ergo nulla debet illi affingi.

Nec obstat: Quod hic dici potest: Jurisdictionem limitari debere per ipsam Approbationem, quæ cum ab Episcopis fieri debeat, non censetur fieri nisi à quolibet pro suo Episcopatu, & consequenter Jurisdictio consequens sive dimanans à Summo Pontifice ad Approbationem sic factam, modum & latitutinem Approbationis non excedit; & Diœcesi; pro qua Regularis approbatus est, limitatur. Non (inquam) obstat: Docuimus enim suprà per approbationem absolutam, factam juxta formam Concilij Tridentini, ab uno Episcopo Approbatum, censeri idoneum pro universali Ecclesia, ut delegari, & Jurisdictionem à quolibet recipere possit Ergo qui sic approbatus est ab uno Episcopo, cum judicetur idoneus pro universali Ecclesia, hoc ipso quod accipit Jurisdictionem à Summo Pontifice, accipit illam pro tota Ecclesia, si in Privilegio non restringatur.

Altera Sententia communior, docet absolutè Regularem Privilegiatum approbatum ab uno Episcopo, etsi accipiat Jurisdictionem à Papa, non accipere nisi limitatam pro Diœcesi Episcopi approbantis: Quam Sententiam confirmant. 1. Ex ipso Concilio in quo decernitur, Quod: *Nullus etiam Regularis posit Sacularium, etiam Sacerdotum, Confessiones audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut Parochiale Beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen, &c. idoneus judicetur & approbationem quæ gratis detur, obtineat.* Ergo Regularis quantumvis Privilegiatus per Concilium non potest Sæcularium Confessiones audire; nisi à quolibet Episcopo, &c. judicetur idoneus, & approbationem obtineat: Hoc enim indicant particulæ pluralis numeri, *Ab Episcopis*, id est, à quolibet in sua Diœcesi. Concil. Trident. sess. 23. c. 15.

Nec valet interpretatio illa quam nonnulli tradunt ut illud *ab Episcopis* non copulativè, sed copulatim accipiatur, ut sit sensus: Ab Episcopis, id est, quilibet Sacerdos à suo, in cujus Diœcesi tempore approbationis existit. Quia cum ista Approbatio adjudicata sit Episcopis, ut idoneitatem Confessariorum, qui hoc Sacramentum in sua Diœcesi administrant, quisq; cognoscat, huic fini satisfactum non esset; cum per approbationem Episcopi unius Diœcesis, alter Episcopus idoneitatem perspectam sine multo timore & oppositi formidine, habere non valeat. Et alias Pius V. in Decreto, quod incipit *Romani Pontificis*, declarat, quod quamvis idem Episcopus Regularem à se approbatum pro sua Diœcesi denuo examinare non possit, ab Episcopo tamen successore pro Majori Conscientiæ suæ quiete eiusmodi Regularis, ut prædicitur, approbatus, examinari possit.

Alia pro utraque sententia argumenta & fundamenta Lector apud Auctores videat. Ego interim ad clariorem enucleationem huius quæstionis non mediocriter controversæ, & à pluribus etiam in praxi pro affirmativa parte usurpatæ, pono sequentes Resolutiones.

Resolutio I.

Iurisdictio Regularis legitimè approbati universalis est. Rodriguez t. 1. q. 61. ar. 6.

IVrisdictio, quæ à Summo Pontifice Regulari Privilegiato advenit ad approbationem iuxta formam Concilij Tridentini ab uno Episcopo factam per se non limitatur personis Diœcesis à cuius Episcopo fuit approbatus, sed amplior est. Probatur primò Ex *Concessionibus Nicolai V. Sixti IV. Pauli III.* qui (non obstante quod Regularis Privilegiatus ab Episcopo Diœcesis in qua habitat, solummodò sit approbatus) permittunt tamen ut omnes, quantumvis extraneos, & aliarum Diœcesum ad suas Ecclesias sive ad se venientes, absolvat: quod simpliciter non liceret si Regularis ab uno Episcopo approbatus, Jurisdictionem in personas istius Diœcesis tantum haberet: ergò ampliorem Jurisdictionem à Papa obtinere censendum est.

In Compédio Societatis ut Conf. parag. 2.

Secundò Ex *Concessione Greg. XIII.* facta Patribus Societatis, quæ per communicationem ad alios extenditur, ut scilicet ab uno Episcopo approbati iter agentes, possint fidelium Confessiones audire in locis in quibus commodus non patet ad Episcopum accessus, sive in quibus non existit Episcopus, ergò Iurisdictio quam accipiunt Regulares Privilegiati ab uno Episcopo approbati, ad unam Diœcesim non coarctatur.

Resolutio II.

Modificationes Iurisdictionis Regularium approbatorum.

ETsi Confessarij Regulares Privilegiati approbati, illimitatam per se Iurisdictionem à Papa in actu primo accipiant, illam tamen in actu secundo exercere non possunt, nisi sub modificationibus in Iure vel Privilegijs expressis.

Prima *Modificatio est*: ut Episcopo cuiuslibet Diœcesis antequam Confessiones in illa Diœcesi audiant se præsentent, & si Episcopo placuerit, examini eius se subijciant: ut nimirum, constet Episcopo; An per idoneos Sacerdotes Sacramentum hoc administretur. Hæc modificatio sumitur *ex Cap. Dudum, & Iure communi*, cui nihil contradictum est in Concilio Tridentino, sed ipsa modificatio pleniùs expressa est.

Secunda *Modificatio est*: ut præsentatio præcedens & Approbatio quæ fit ab Episcopo, proficiscatur ex benplacito & consensu Superiorum auctoritatem legitimam Confessarios præsentandi habentium, ut nimirum, approbentur vel permittantur Confessiones audire. Hæc iterum constat ex *Clement. Dudum supracitata.* Hic verò disputant Auctores: *An Confessarius Regularis absque consensu legitime sui Superioris approbatus ab Episcopo ad audiendas Confessiones, validè absolvat?* Et alij quidem affirmant, alij negant talem validè absolvere: Omnes tamen consentiunt illicitè & peccaminosè absolvere, sive mortaliter peccare absolvendo.

Quid de Confessario contra superioris voluntatem ab Episcopo approbato.

Ego verò distinguendum puto: Dupliciter enim potest dici Regularis sic approbatus ab Episcopo, contra voluntatem Superioris acquirere Iurisdictionem in Pœnitentem ad absolvendum

Primò. Jurisdictionem illam quæ est à Papa per Privilegium, mediante præsentatione Superiorum, & approbatione ab Episcopo concessâ: Quia Pontifex illam non censetur largiri nisi præsentato per Superiores tanquam conditione sine qua non, cum conferatur Jurisdictio illa in gratiam Religionis, & Regulari quâ Regularis, & obedientiæ subditus est. Adeoque si talis Regularis legitimè non præsentatus, tentet absolvere prætextu Jurisdictionis per Privilegium à Papa Regularibus legitimè præsentatis, provenientis, non absolvit validè, quia talem Jurisdictionē non nanciscitur, nisi mediante legitimâ præsentatione factâ de consensu Superiorum suorum Regularium.

Secundò. Jurisdictionem in Pœnitentem accipere potest ab Episcopo approbante per actualem collationem Jurisdictionis, quam Episcopus habet in subditos suos; ita ut expressè Regulari contra Superiorum suorum voluntatem se præsentanti Episcopus Jurisdictionem conferat, eo modo quo Sæcularibus Sacerdotibus eam conferre solet: Et hoc modo Jurisdictionem accipiens, si Pœnitentem Episcopo subditum absolvit, validè absolvit, quamvis absolvendo peccet se contra obedientiam & voluntatem suorum Superiorum huiusmodi Ministerio subijciendo Ratio verò huius Resolutionis est. Quia Episcopus potest cuilibet idoneo conferre suam Jurisdictionem qui se aliquo modo ipsi subijcit, & quamvis peccet qui illicitè contra voluntatem sui Superioris

perioris se subjicit, collatio tamen Iurisdictionis facta, tenet.

Modificatio 3.

Tertia *Modificatio est* : Quod Iurisdictio à Pontifice Summo sic (ut prædictum est) derivata in Regulares personas tam Religiosos quam moniales, exerceri non possit validè nisi de consensu & licentia Superiorum cujuslibet Ordinis respective, sive sint Regulares, sive Episcopi. Ita declaravit *Clemens VIII. in Bulla* quæ incipit, *Romani Pontificis, data* 23 *Novembris Anno* 1599 ubi denuntiat in omnibus Indultis nunquam fuisse intentionem Sedis Apostolicæ ulli Religioso vel Moniali dare licentiam confitendi alicui contrà dispositionem Superiorum suorum *sed nostra* (inquit *intentionis existere, quod ijdem Fratres & Moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ seu Confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo declaramus.*

Clem. VIII.

Iurisdictio universalis data à Pontifice non extenditur ad Regulares.

Ex quibus peccare & invalide Sacramentum Pœnitentiæ administrare constat, aliquos Privilegiatos qui prætextu Privilegiorum & Indultorum Generalium absolvendi quoscumque Christi Fideles, &c. præsumunt absolvere Regulares tam viros, quam Moniales contrà voluntatem, & absque licentia Superiorum. De facultate autem & licentia Superiorum constat, aut præsumitur. Primò Quando expresse eam concedunt. Secundò. Quando in genere Superioribus, sive Matribus permittunt, ut aliquem ex approbatis ab Ordinario advocent Tertio. Quando est consuetudo inter timentes Deum usurpata, aut in Monasterijs tolerata. Quarto. Si expressum aliquod emanet Privilegium. Quinto. Quando foras mittuntur vel iter agunt, aut aliquo tempore degunt in locis ubi non sunt Confessarij Ordinis, vel qui à Prælatis suis Iurisdictionem habeant. Et in similibus casibus in quibus saltem interpretativè, legitime præsumi potest de voluntate vel consensu Superioris.

Contra voluntatem autem Superiorum expressam sive manifestam, sicut Pœnitenti non licet confiteri, sic nec Confessario absolvere, & si tentet, nihil efficiet: nisi de injusta noleitate Superioris constaret, & alia pateret via Juris vel Privilegij probabilis. Hæ sunt ferè modificationes quæ in exercitio Iurisdictionis Privilegiatorum occurrunt.

Petes primò. Cur vocentur modificationes exercitij sive jurisdictionis in actu secundò, & non potius limitationes jurisdictionis simpliciter, cum videatur per illas jurisdictio verè limitata, sive conditionibus illis circumscripta.

Differentia inter modificationem & limitationem Iurisdictionis.

Resp. Jurisdictionem in se non esse verè limitatam per dictas modificationes; cuius signum manifestum est, quia in certis casibus vim suam exerit, non obstantibus illis modificationibus. *Explico* : 1 In prima modificatione, Privilegiatus Regularis in Episcopatu, in quo est approbatus, omnes ad se venientes aliarum Diœcesum, in quibus non est approbatus, validè absolvit: Ergo Jurisdictio per se limitata non est sed tantum censetur modificata in exercitiò, ut scilicet sic censeatur Regularis approbatus in Episcopatu in quo absolvit, ut extra illum non absolvat, etsi omnes aliarum Diœcesum in Episcopatu prædicto absolvere possit. *Similiter*: Privilegiatus ab uno Episcopo approbatus, si Episcopus in loco per quem transit, non existat, legitimè audit Confessiones & absolvit, Jurisdictione utique per se illimitatâ à Papa dimanante: *Explico* secundò in eâdem modificatione: Si ex malitia & odio Episcopus nolit Regularem Privilegiatum, aliàs idoneum, admittere, eo ipso dictus Regularis potest Confessiones audire, ut *ex Clementina Dudum* constat: Quo Jure? utiquè Iurisdictione per se illimitatâ ut suprà.

Nec secunda modificatio infert limitationem, sed conditionem sinè qua non confert Papa Regulari suam jurisdictionem, nimirum, nisi à legitimo Superiore sit præsentatus, quantumvis ab Episcopo approbetur.

Et demum modificatio tertia, ut scilicet Iurisdictio Regularium Privilegiatorum non extendatur ad Regulares viros, vel Mulieres, absque suorum Superiorum licentia, non tam limitat jurisdictionem, quàm modum statuit qualiter exerceatur, nimirum, de licentia seu consensu Superiorum. Ita ut adveniente licentia Superiorum, iam Regularis Privilegiatus absolvat per jurisdictionem à Summo Pontifice manantem, sibi communicatam, quæ in actu exire non poterat sine licentia Superioris.

Petes secundò. Quid interest inter Iurisdictionem limitatam sivè restrictam, & Iurisdictionem modificatam? cum neutra in actum secundum exire possit, nisi iuxta limitationes & modificationes. *Resp.* Multum interesse, primò enim, qui limitatam habet Iurisdictionem, utpotè ad personas, loca, tempore, nullatenus potest illam exercere, nisi iuxtà præfatos limites, sine nova concessione vel ampliatione Potestatis, diciturque non simpliciter & absolute approbatus, sed restricte: Qui vero tantum modificatam habet, absolutam omninò habet, & illam exercere potest absque ulla temporum, personarum, vel locorum restrictione, modo serventur conditiones; utpote. Quod præsentatio vel examen legitimum accedat: *Item*, Quoad Regulares vel Moniales, quod consensus Superiorum interveniat. Unde nec requiritur nova concessio, nec ampliatio Potestatis sive Iurisdictionis, sed positis modis, primario collata Iurisdictio absque alia concessione vel ampliatione in actum exit. *Explico* : Regulari Privilegiato,

Altera differentia.

eò ipsò quò est per Superiorum præsentationem approbatus ab uno Episcopo, advenit Jurisdictio à Summo Pontifice in totam Ecclesiam, quam tamen non potest exercere extra Diœcesim & Episcopatum Episcopi qui illum approbavit, nisi habeat consensum Episcoporum aliarum Diœcesum (vel Superiorum Regularium, si Pœnitens sit Regularis) vel iter agat per loca in quibus Episcopi non existunt. Porrò, per modos illos non acquirit novam, nec ampliatur eius Jurisdictio, sed prima approbatione iam sequisitâ, illis positis, in actum exire potest. Nec hæc distinctio est parva. Primò enim: Si Episcopus injustè non vult approbare, nec permittere ut Confessiones audiat, qui est debitè præsentatus & idoneus repertus, jam Jurisdictionem habet & eam exercere potest, etiam Episcopo nolente, ut habetur in *Clement. Dudum.* Secundò, Examen prius ab uno Episcopo approbati, permittitur tantum ab alijs Episcopis repeti ad certitudinem idoneitatis, ut singulis constet de idoneitate Ministrorum in cujuslibet Diœcesi. Tertiò, Interpretationes & Epikeias modificatio admittit, quas non admitteret limitata Jurisdictio. Justè enim interpretamur modificationes interdum non obligare ob incongruitatem, vel impossibilitatem, ubi alias de Jurisdictione constat, atque ideò nonnunquam potest quis uti suâ Jurisdictione, etsi modificationes non observentur: Qui autem limitatam habet Jurisdictionem terminos excedere nequaquam potest. **Ex. g.** Ubi occurreret Regulari Episcopus, cujus præsentia alias commodè haberi non potest, ipse se Episcopo præsentare potest ad examen & approbationem (etsi absit Superior, nec præsentationem ab eo accipere possit) modò sit ab ordine secundùm suæ Religionis mores, generaliter admissus. Et in tali casu censetur obligatio, sive modificatio de præsentatione cessare; ita ut ad talem Approbationem Regularis Jurisdictionem à Papa sortiatur, eamque exercere possit: Tenebitur tamen suo Superiori rem declarare, ubi ei commodè occurret. ***Similiter:*** Crederem aliquem aliàs ritè approbatum per unum Episcopum servatâ formâ Tridentini, si ad alium Episcopatum migret; nec possit Episcopo Diœcesis alterius tam citò commodè præsentari, posse, ubi causa rationabilis est, aliquoties audire Confessiones, quamvis necdum Episcopo illius Diœcesis fuerit præsentatus, ista interpretatione. Quod aliquoties ex causa audire Confessiones, in eo qui absolutè ab uno Episcopo est approbatus & Jurisdictionem à Papa accepit, non præjudicat experimento quod suo tempore debet Episcopus illius Diœcesis de idoneitate Confessariorum alias approbatorum accipere, ut constat etiam de Confessario Regulari approbato per alienam Diœcesim iter agenti, qui potest similiter Confessiones audire in transitu per loca, ubi Episcopus non existit: quæ omnia in quadam Epikeia rationabili fundantur, & ex huiusmodi interpretatione declarata sunt.

Summaria Resolutio per modum Concordiæ.

Dico igitur: Regularem Privilegiatum, servatâ formâ *Clementinæ Dudum & Concilij Tridentini*, ab uno Episcopo approbatum pro universa Ecclesia idoneum reputari; & Jurisdictionem in universas personas accipere; quam tamen (decernentibus Summis Pontificibus) nemo potest exercere nisi in Diœcesi à cuius Episcopo est approbatus; In alijs autem Diœcesibus absque scientia & facultate aliorum Episcoporum. Nec in Regulares Viros vel Mulieres absque consensu suorum Superiorum, nisi in casibus Jure vel Privilegio expressis. Hæc omnia patent ex supradictis; & omnia argumenta utriusque partis vel bia fundamentis astruuntur, vel destruuntur. *Concordia opinionum*

TITVLVS VII.

De Actibus Iudicum sive Confessariorum in Tribunali Pœnitentiæ.

QUÆSTIO. I.

Qui sint Iudicum Actus in hoc Tribunali?

CONCLUSIO I.

TRes sunt potissimum actus primarij Judicum sive Confessariorum in Tribunali Pœnitentiæ, nimirum: *Examen Rei sive Pœnitentis: Iudicium de gravitate vel levitate Culparum sive Criminum: & Absolutio sive Condemnatio.* *Actus Iudicum primarij.*

CONCLUSIO II.

PRæter hos Actus primarios sunt & alij secundarij, nimirum: *Instructio Pœnitentis Medela peccatorum, Consilium in anxietate.* Hi porrò vocantur actus secundarii quia ex titulis secundarijs oriuntur; utique ex eo, quod sit *Doctor, Medicus, Pastor.* *Actus secundarij.*

QUÆSTIO II.

An, & in quibus debeat Confessarius examinare Reum sive Pœnitentem?

CONCLVSIO I.

COnfessarius tenetur examinare Pœnitentem; quando probabiliter credit aut suspicatur eum peccaminosè omittere aliquid quod est necessarium *In quibus examinandus Pœnitens.*

rium ad Sacramenti Pœnitentiæ validam administrationem.

Ratio petenda est ex obligatione Judicij, & officio Judicis: Judex enim universaliter ex officio suo quantum potest, providere debet, tum ex sua, tum ex parte Rei, ut Judicium sit validum & integrum, adeoque ex parte sua supplere, quod deesse videtur, ut habetur *cap. Causam quæst. 1. de Iudic.* ergo maximè in hoc Judicio, cujus invaliditas in offensam Dei, animæ damnationem, & Sacramenti violationem cedit.

Dixi (*quando probabiliter credit vel suspicatur Pœnitentem omittere, &c.*) non enim vexare debet examine indiscreto personas alias honestè instructas, doctas, & quæ moraliter benè explicant ordinaria peccata, maximè si frequenter confiteantur. Probabiliter verò dicitur credere, vel suspicari Pœnitentem aliquid omittere, Primò. Si videatur ignorans vincibiliter, Secundò. Si appareat nimia verecundia in illo, Tertiò. Si in materia gravi, nec numerum, nec circumstantias speciem mutantes referat, Quartò. Si ita generaliter & in confuso sua dicat, ut Confessarius nullum judicium de determinato aliquo peccato formare possit, Quintò. Si omninò nihil dicat, nisi quod malè fecerit. Quæ omnia Confessarij suâ prudentiâ metiri debent.

Dixi (*peccaminosè omittere*) si enim aliquid omittat ex ignorantia omninò invincibili, aut quia juxta aliquorum Doctorum opinionem non tenetur exprimere, aut causam habet non exprimendi, non debet examinari. *Ex g.* In casibus peccati carnis, qui à persona alias invincibili ignorantia sunt commissi, vel periculum est nè ex interrogationibus malitiam captet aut doceatur: *Item:* In casibus qui non possunt exprimi sine gravi detrimento tertiæ personæ, &c. qui infra locis suis amplius explicabuntur.

Indiscreta examina Confessariorum. Dixi (*quod est necessarium ad Sacramenti Pœnitentiæ validam administrationem*) Non enim interrogare tenetur, quæ tantum aliquam perfectionem Sacramenti concernunt, si alias Pœnitens necessaria proponat. Unde indiscretè faciunt qui minutilas circumstantias exquirunt, qui in propria sententia pertinaces, Pœnitentes per torturam examinum alias probabiles opiniones deserere cogunt, qui parva & venialia punctuatim exquirunt, imò interdum inutilia, ut satisfaciant scrupulis suis. Peius faciunt, qui sub prætextu examinis, domesticorum parietum penetralia intrant, inquirentes, ab uxoribus, filijs-familias, ancillis, de omnibus quæ domi fiunt: & timoratas conscientias *Nota.* suspicionibus, judicijs temerarijs, detractionibus, revelationibus secretorum illicitis intricant, in magnum animarum gravamen, & tertiæ personæ grave detrimentum, non sine Sacramenti Pœnitentiæ injuria & irreverentia. Pessimè faciunt qui suæ obliti fragilitatis, in barathrum damnationis æternæ & certam ruinam, apertis velut oculis se præcipitant, in examine non necessario, & quandoque malitioso peccatorum & tentationum carnis, in mulieribus infirmâ terræ tentantes & explorantes, cum Sacramenti nefando sacrilegio & scandalo. *Nota*

CONCLUSIO II.

NOn tenetur nec potest absque peccato Confessarius examinare Pœnitentem, si probabiliter prævideat ex isto examine grave aliquod peccatum oriundum. *Ex. g.* Quod ex isto examine Pœnitens accipiet incentivum ad peccatum, quod malitiam docebitur, quod per examen inducetur ad manifestandum peccatum in gravem injuriam Tertij, &c. Ratio prima est: *Nota.* Quia examen per se in bonum Pœnitētis fertur, & ad supplendum defectum illius, tale verò examen in malum eius eredit, secunda: Quia sicut Pœnitens ab integritate materiali Confessionis excusatur, si ex illa peccatum oriatur, ita consequenter ex simili causa Confessarius excusatur ab examine, cum examen ad integritatem materialem Confessionis spectet, & ad illam ordinetur.

APPENDIX.

EX quibus colligitur Examen Pœnitentis *Causa examinis.* Sacerdoti sive Confessario competere in hoc judicio non per se & directè, sed per accidens & indirectè, ratione, nimirum defectus Pœnitentis, qui suppleri debet. Cum enim Judicium hoc requirat voluntariam accusationē, juxta latitudinem Scientiæ & Conscientiæ in Pœnitente, Saecrdos ex vi officij præcisè debet tantum audire & judicare: Quia verò contingit sæpe Pœnitentem *Ratio examinis per Sacerdotē in Confessione.* deficere & labi ignorantia, negligentia, Conscientiæ incuria, tum in illius observatione, tum in examine: Hinc est, quod ad rectum Judicium perficiendum debeat Sacerdos quasi ex accidenti, necessariò supplere illum Pœnitentis defectum, nè Sacrilegium committatur & ritè officium suum peragere non possit.

DUBIA.

PEtes primò. An Confessarius possit vel debeat Pœnitentem remittere ob solum defectum examinis, ut suam Conscientiam opportunè examinare possit.

Resp. primò. Posse, si ex ista remissione *Quando Pœnitens remitti possit absque Absolutione defectu examinis.* aliquem fructum speret, & periculum nullum subsit. Ratio est quia examen per se pertinet ad Pœnitentem ex officio propriæ Conscientiæ quo se integraliter accusare tenetur.

Dixi (*si ex ista remissione aliquem fructum speret*) nam propter stupiditatem, ignorantiam, negligentiam, aut incapacitatem ejus qui

qui accedit, frequenter contingit, ut hujusmodi remissio plane inutilis sit: posteà enim accedunt æque imparati, & ignorantes, & (ut ego ipse animadverti) frequenter loco examinis faciendi, legunt rosarium vel vocaliter orant, aut sensibus divagantur.

Addidi (*& periculum nullum subsit*) Si enim dimittantur, quamvis se redituros asseverent, non revertuntur, & eis fit odiosa Confessio, ac in peccatis suis tandem moriuntur.

Quando non. *Resp.* itaque secundò. Quando certa spes fructus ex remissione non affulget, meliùs est ut Sacerdos illum summariè examinet, quantùm credit sufficere ad necessitatem Sacramenti, & aliquo modo respondentem committat divinæ misericordiæ & pietati.

Petes secundò. An semper teneatur Confessarius examinare Pœnitentem, quandò suspicatur probabiliter ipsum tacere aliquid quod ad Sacramenti validam susceptionem pertinet? Hic aliqui distinguunt de eo qui ex charitate audit Confessiones, & de eo qui ex officio & obligatione: Ac primum quidem dicunt non teneri examinare, quia non tenetur audire: secundum autem teneri examinare, quia tenetur audire. Sed mihi hæc distinctio semper visa est parùm ad rem pertinere.

Quando necessariò examen. *Resp.* itaque primò. Eo ipso quo quis vult Confessionem Pœnitentis audire, & illi Absolutionem Sacramentalem impendere, sive ex charitate, sive ex obligatione audiat, tenetur illum examinare, si probabiliter credat illum culpabiliter tacere aliquid quod ad valorem Sacramenti necessarium est. Rationem suprà retulimus ad Conclusionem: Eo enim ipso quo vult hoc judicium administrare, debet curare ut valide administretur, &c.

Resp secundò. In casibus, in quibus Pœnitens non tenetur ad integritatem materialem Confessionis, in illis non tenetur Sacerdos illum examinare, ut in naufragio, in periculo mortis, in anxietate & angustia gravi, &c. Ratio est: Quia examen fit in ordine ad integritatem, quæ cùm in illis casibus non requiratur, examen frustraneum esset.

Petes tertio. Quantum, & quale examen debeat esse?

Qualitas examinis. *Resp.* primo. Tantum & tale debet esse, ut probabiliter arbitretur Confessarius, nil necessarium hic & nunc omitti ex parte Pœnitentis ad Sacramenti valorem, aut saltem non constet probabiliter aliquid necessarium omitti. Ratio prioris partis sæpe jam in Superioribus repetita est.

Dixi vero (*aut saltem non constet probabiliter aliquid necessarium omitti*) propter timorea & anxietates sive etiam scrupulos Confessariorum, qui etsi non advertant aliquid omitti, tamen ob ruditatem, stupiditatem, & quamdam naturalem simplicitatem Pœnitentium, non possunt sibi formare probabile Judicium Pœnitentes omnia facere quæ sui muneris sunt, imò timoribus rationabilibus anguntur; quod frequenter contingit dum audimus Confessiones Rusticorum, & aliorum qui instructi non sunt.

Resp. secundò. Non teneri Sacerdotem examinare Pœnitentem discurrendo per omnia peccata, sed tantum per graviora, & ea quæ attentâ qualitate, statu, vocatione, conversatione, vel exercitiis personæ ac similibus circumstantiis, frequentiùs ab hujusmodi personis committi consueverunt. *Ratio est*: Quia hæc sola probabilitatem alicujus defectus generare solent. Unde sæpiùs tempus valdè inutiliter terunt, qui ad singulas personas, ferè per omnia Decalogi præcepta, & per minutulas observantias discurrunt, cùm nec hoc Pœnitenti frequenter sit consultum.

Petes quartò. An sola peccata, & eorum circumstantiæ sub examen Confessarii cadant?

Quæ examinanda. *Resp.* primò. Non sola peccata & circumstantias, sed etiam alias necessarias dispositiones ad necessarium examen Confessarii spectare, quando Confessarius probabiliter defectum notabilem & in re necessaria advertit, ut: An sit verè contritus, vel saltem attritus? An habeat firmum propositum se emendandi, & occasiones lapsus vitandi? An sit paratus satisfacere proximo in casibus id postulantibus, ut furto, detractione, reconciliatione, & id genus. *Ratio est*: Quia absque his, hoc judicium sacrilege administraretur.

Resp. secundò Generaliter: Omnia & sola ad examen Confessarii pertinere, quæ ex parte Pœnitentis ad licitam, & validam Sacramenti & Judicii Pœnitentialis susceptionem de facto requiruntur: Ratio est sæpe dicta; Quia Confessarius tenetur, quantùm rationabiliter potest, providere ut Judicium suum effectum sortiatur & habeat.

Petes quintò. Quale peccatum est, non examinare Pœnitentem supradictis concurrentibus? *Resp.* Si Confessarius supradictis concurrentibus ex ignorantia vel negligentia gravi non examinet Pœnitentem, peccare mortaliter. *Ratio est*: Quia est gravis transgressio obligationis in re gravissima, utpote in necessariis ad validam administrationem Sacramenti, sive Judicii Sacramentalis ad salutem pertinentis.

Dixi (*ex ignorantia vel negligentia gravi*) qui enim ex memoriæ labilitate, humana distractione, fatigatione spiritûs ex nimia intensione in Confessionibus audiendis & similibus causis omitteret aliqua examinare, vel totaliter à peccato excusaretur, vel non nisi venialiter peccaret.

Ratio est: Quia, ut Superiùs adnotavi, non tenetur per se & directe Confessarius ad

ad examen, sed tantum ad supplementum defectuum Poenitentis in re necessaria: sed cum tanto sui incommodo & dispendio, imo in cautelis quae vix sunt in nostra potestate, nemo tenetur alienoa defectus supplere Ergo nec Confessarius in praefatis casibus tenetur.

Addidi verò (*vel non nisi venialiter peccaret*) propter leves aliquando negligentias quae occurrere possunt *Ratio est*: Quia hic & nunc ex circumstantijs, nec Confessarius, nec Poenitens potest commodè & moraliter plura praestare. Et alias in tali casu non tenetur ob impossibilitatem moralem, ad materialem integritatem Confessionis. Haec latiùs prosecutus sum & saepius ferè eisdem repetitis, ob angores & scrupulos Confessariorum. Huc tamen etiam referri debet Casus: Quando ob angustiam temporis, multitudinem adventantium, imperitiam Poenitentis, impotentiam recordationis & reminiscentiae (quia multo jam tempore non est confessus, aut invalidè multis annis confessus est) non potest Confessarius poenitentem plenè examinare, nec convenit illum remittere; Tunc potest de gravioribus aliquot peccatis illum examinare, & ad universalem contritionem, ac ad firmum propositum se examinandi & alio tempore redeundi, excitare & sic illum absolvere. Ratio est quae supra.

QUAESTIO III.

An, & in quibus teneatur Confessarius Poenitentem docere?

Conclusio I.

Quando docendus Poenitens.

Confessarius tenetur sub peccato instruere Poenitentem, ubi apparet illi inesse ignorantia culpabilia quae hic & nunc obicem poneret Sacramento, & Judicium Sacramentale redderet nullum.

Ratio petenda est ex supradictis in quaestione secunda; tenetur enim Confessariua providere ut hoc Judicium Sacramentale ritè & validè administretur.

Dixi (*tenetur sub peccato*) quod supposito ex Conclusione quod hic & nunc obicem ponat & sacramentum reddat nullum) erit mortale

Dixi (*ubi apparet illi inesse ignorantia culpabilis*) ubi enim est ignorantia inculpabilis & invincibilis, interdum Confessarius non modò non tenetur Poenitentem instruere, sed interdum tenetur tacere & non instruere. Id porrò contingit in duobus ferè casibus.

Quando Poenitens non docendus?

Primus. Si praevideat instructionem illam nullatenus profuturam, tunc enim magis tenetur Poenitentem relinquere suae inculpabili & invincibili ignorantiae, ne si moneat eum, jam absque ullo fructu peccati Reum constituat. Unde est illud S. Augustini homil. 40. ex 50. *Si scirem non tibi prodesse, non te admonerē, non te terrerem.* Quod in hoc casu maxime verificatur, ubi non modo fructus non sequitur, sed etiam damnum emergit.

S. August. 40. 50. 00.

Secundus. Si praevideat instructionem non tantùm non profuturam, sed etiam in laqueum & causam ruinae, damni, infamiae, scandalorum vertendam: Tunc enim similiter Confessarius potius tacere debet, nec quaestionem movere.

Ratio quae supra: Quia non modo talis instructio in utilis est, sed etiā damnosa, & multorū malorū origo Exemplificatur ordinarie in causa matrimonij: Si enim Confessariꝰ advertat Poenitentem contraxisse matrimonium cum aliquo impedimento dirimente; quod Poenitens invincibiliter & inculpabiliter ignorat, & si de errore vel impedimento instruatur, non dimissurum praetensam uxorem, aut uxorem praetensum maritum, ime eo magis peccaturum: Non tenetur Confessarius instruere Poenitentem de errore vel impedimento, imo tacere debet, ne fit occasio peccati qnod modo ratione invincibilis ignorantiae non imputatur. *Similiter.* Si advertat ex cognito tali impedimento Poenitentem quidem à putativo Matrimonio recessurū, sed cum gravissimis difficultatibus damno partia & familiarum, gravi infamia, & tunc iterum magis silere debet: non enim cum tanto detrimento potest aut tenetur ignorantiam alias inculpabilem dissolvere; cum sit manens à peccato eacusetur; ablata autem ignorantia in laqueos inextricabiles praecipitatur. Et ad has regulas casus similes in omni materia quae invincibilem ignorantiam patitur, aptari debent. Ut quando quis invincibiliter se ignorat rei alicuius injustum possessorem, vel contractum quem facit esse usurarium, vel se teneri ad restitutionem; si non adsit spes quod instructus vel admonitus recedet ab illis, melius est Confessario tacere.

Dixi itaque notanter (*ubi apparet inesse Poenitenti ignorantia culpabilis*:) Tunc enim Confessarius instruere Poenitentem tenetur; etiamsi praevideat illum peccatum non derelicturum,

Ratio est: Quia jam de facto Conscientiā peccati habet, & propriā Scientiā & Conscientiā condemnatus est, nec ei aliquam peccandi materiam Confessarius subministrat, sed officium suum facit.

Advertendum verò est, dupliciter considerari ignorantiam vincibilem in Poenitente: Aut pro-ut infuit & occasionem peccati dedit, tamen modo aut ratione oblivionis aut inculpatae reflectionis & inadvertentiae amplius non censetur culpabiliter in esse: Aut pro-ut de facto ad huc in est & vincibilis sive culpabilis perseverat. Si modo non inest

insit culpsbiliter, quamvis à culpabili originem traxerit in casibus supradictis, utpotè, quod non sit spes fructus, aut fortè in majora peccata & periculosiores laqueos Pœnitens ex instructione nova sit casurus, tunc non tenetur Confessarius manifestare sive instruere *Ratio est*: Quia inculpabiliter, ignorans, quatenus talis, æquiparatur invincibiliter ignoranti: Sì verò modò insit & perseveret culpabilis ignorantia, debet Confessarius Pœnitentem, nt supra dictum est, instruere. Undè singulariter addidi (*qua hic & nunc obicem poneret Sacramento*) utpote quia de facto culpabilis est, & Sacramentum ex natura sua reddit invalidum, adeoque tenetur Sacerdos providere, quantum est ex se, ut pœnitentis defectus suppleatur. Exempla doctrinæ hie annotatæ sunt: Clericus Simoniam commisit scienter; temporis successu credit (etsi erroneè) secum dispensatum, aut aliter se à Simoniæ labe liberum, *v. g.* quod ab indocto aut malè informato pro docto tamen habito id ipsi sit persuasum, ita ut etsi peccatum à vincibili & culpabili ignorantia cœperit, modo tamen inculpabiliter ignoret se adhuc Simoniæ labe teneri, ac pœnis Simoniam consequentibus; si Confessarius id advertat, & ex circumstantijs credat instructionem non profuturam, sed Reum in labe Simoniæ perseveraturum, melius est ut taceat & non instruat Quia etsi ignorantia prima culpabilis fuerit, secunda tamen ignorantia ex supposito hic & nunc inculpabilis est, & frustra, ut dicitur, instructio adhibetur. Similia possunt accidere ex oblivione, persuasione erronea, consilio alieno, erroneo, &c.

Petes primò Quæ sunt signa ex quibus potest Confessarius probabiliter advertere Pœnitentem laborare ignorsntia inculpabili. *Resp.* His ferè signis posse advertere. Primum. Si Pœnitens omnino non formet scrupulum aut dubitationem. Secundum, Si putet se in bono statu esse. Tertium. Si in generalibus terminis interrogatus, non moveatur. Quartum. Si tam rudis sit aut tanta simplicitate laboret, ut verisimile sit illum vix posse apprehendere errorem hujusmodi. Quæ omnia tamen valde prudenter examinanda sunt, & ita tentanda, ut non demus Pœnitenti occasionem ruinæ, lapsus, aut gravis inquietudinis.

An semper interroganti Pœnitenti respondendum.

Petes secundò Quod si Pœnitens interroget de aliquo peccato, an teneatur Confessarius respondere? Advertendum est Pœnitentem posse interrogare vel ex dubio conscientiæ, sive ex motu conscientiæ dubitantis, vel ex aliquo alio motivo, utpote curiositate, causâ tantum discendi, vel ad majorem certitudinem scientiæ, &c.

Resp. Itaque primò. Si Pœnitens ex dubio practico Conscientiæ interroget de peccato, tenetur Confessarius veritatem aperire, & respondere quantum moraliter judicat necessarium & sufficiens ad Conscientiam Pœnitentis hic & nunc bene informandam, nt sufficienter ad absolutionem Sacramentalem disponatur, & à peccato se immunem conservare possit, & non plus. *Explico*: Pœnitens aliquis fecit multos contractus usurarios, ex ignorantia tamen inculpabili, unde teneretur ad restitutionem: Post aliquod tempus occasione forsan alicujus Concionis vel Lectionis, incipit scrupulo moveri & dubitare, an prædicti contractus fuerint usurarij: nullo tamen movetur dubio Conscientiæ an teneatur ad restitutionem, quia nec illi incidit ista cogitatio Interrogat igitur ratione Conscientiæ dubiæ Confessarium, An contractus facti sint usurarij, & An peccarit mortaliter? Si advertat Confessarius ignorantiam de restitutione esse inculpabilem, & quod si imponat illi restitutionem, illam non exeqnetur, sed in peccato isto delitescet: Necessarium quidem est & sufficiens si dicat contractus fuisse usurarios, & eum ab illis debere deinceps sub peccato mortali abstinere: Non tenetur tamen illi imponere restitutionem, aut obligationem restituendi indicare, etsi à parte rei obligetur: tum; quia de illa quæstionem non movet, tum quia inculpabiliter ignorat, & si ei imponatur, conturbabitur & non faciet; sed in peccato permanebit. Melius itaque est ut suæ ignorantiæ hic & nunc relinquatur, donec moveat eum aliâ occasione Deus. Similiter: Quis Matrimonium inivit post emissum votum simplex castitatis, ignorans hoc esse impedimentum: postea ex occasione incipit dubitare: Postulat itaque à Confessario: An Matrimonium ita contractum sit validum, & an possit debitum uxori reddere. Confessarius tenetur tantum respondere esse quidem validum, & posse debitum reddere, quamvis fuerit illicitum. Tacere autem debet: quod ipse debitum ab uxore exigere non possit, nè ex tali occasione contingat illum peccare, & deterior fiat. *Ratio* verò totius primæ huius responsionis est: Quia Confessarius non censetur Doctor, nisi in ordine ad ea quæ necessaria & sufficientia sunt ad Sacramentum hoc ritè subeundum, & peccatum vitandum. Sufficit itaque si respondeat quantum moraliter necessarium & sufficiens esse judicat.

Resp. secundò. Non debere nec teneri Confessarium respondere, quando ex sola curiositate aut causa discendi interrogatur, absque ordine ad hoc Sacramentale Judicium subeundum, vel ad peccatum vitandum. *Ratio est*: Quia ut Confessarius ad hujusmodi responsiones ordinatus non est: Aliud enim est, esse Doctorem simpliciter; aliud Doctorem in Sacramento. Pro quo pono Conclusiones sequentes.

Con-

CONCLUSIO II.

De quibus Pænitens instruendus.

N*Ullus Confessarius tenetur Pœnitentem instruere, nisi de ijs quæ ordinantur ad salutarem & legitimam Sacramenti huius susceptionem & peccata deinceps vitanda.* Ratio ex sæpè repetitis clara est: Ad hoc enim dumtaxat eius doctrina in hoc Sacramento requiritur.

CONCLUSIO III.

Iterum.

T*Enetur Confessarius instruere Pœnitentem de ijs quæ necessitate medij necessaria sunt ad salutem, quæ etiam ad dispositionem eius in hoc Sacramento aliquo modo referuntur & hic & nunc requiruntur*: Explico: Ad Salutem necessitate medij necessaria est fides explicita Dei unius & Trini, Filij Dei pro nobis incarnati, Passi, Mortui &c. Venit quidam imperitus & rudis, quem advertit Confessarius ista ignorare aut non apprehendere: Quia ad necessariam dispositionem Pœnitentis in hoc Sacramento ista referuntur: Tenetur Confessarius eo modo de illis ipsum instruere, quo hic & nunc Pœnitēs est instructionis capax.

Qualiter instruendus.

Petes: Quomodo poterit Confessarius talem sic imperitum tam brevi tempore informare, & edocere? *Resp.* Non teneri aliquo discursu Pœnitentem ita informare & instruere, ut capere possit integrè, & quasi memoria retinere, vel illud recitare: Sed sufficere pro tempore ut ei obligationem suam efficaciter insinuet, demum ignorantiam eius suppleat proponendo articulos credendos, ut ad singulos actum credendi exerceat juxta fidem & propositionem Confessarij.

Nota.

Ex. g. Credens Deum esse unum in essentia pro-ut ego & Ecclesia credit? *Resp. Pœnitens*, Credo. *Item*: Credis Filium Dei Patri æqualem pro redemptione tua & salute factum hominem in utero B. Virginis; & pro te Natum, Passum, Mortuum, &c? *Respondet*: Credo. Et sic de cæteris principalioribus & necessarijs. *Demum in genere*: Credis quidquid Ecclesia Romana credit, & vis mori? in illa fide, &c? *Ac tandem* Doles te ita ignarum esse, & negligentem fuisse in illis necessarijs ad salutem ad discendis, &c? *Denique*, Proponis firmiter data occasione opportuna quod curabit te instrui, & discere ea quæ sunt necessaria ad salutem tuam? Si hos actus exerceat, sufficit ad instructionem à Confessario hic & nunc præstandam, & ad dispositionem sufficientem Pœnitentis ad Sacramentale judicium subeundum.

Undè multis tricis se exponunt: Qui in Confessionali contendunt ut isti simplices velut ex memoria de illis respondeant, ex memoria recitent, explicationes quas ipsi nesciunt, nec apprehendere benè possunt ab illis extorquent, & sinè fructu suos Pœnitētes velut Reos torquent, & quasi in Catechismi schola edocere volunt. Hoc impossibile est tam ratione incapacitatis, quàm temporis, & loci importuni.

CONCLUSIO IV.

Error Confessarij in instructione.

I*Mpertinenter, & non sine peccato faciunt qui in Confessione tempus terunt instructionibus ad hoc Sacramentum non facientibus*, de rebus & exercitijs spiritualibus, de moribus & directione filiarum Spiritualium, audientes omnia, quæ eis contingere dicunt, & de eis conferentes cum multa jactura temporis, & gravibus periculis deceptionum, propter familiaritates inutiles quæ ex eis nascuntur.

Nota.

Ratio est: Quia hæc sunt contrà puritatem hujus Judicij, in quo si aliqua doctrina requiratur, non aliâ ratione requiritur, quàm in ordine ad absolutionem peccatorum, & præcavenda in posterum peccata: Attendat quæso Judex Sacramentalis ut CHRISTI Vicarius sibi ipsi, & videat quam graviter & præcisè istæ causæ tractandæ sint, ex quibus animarum salus dependet. Quod si forensia negotia tàm seduló & præcisè tractantur à judicibus, quàm turpe est inutiles miscere quæstiones; & doctrinas in Divino illo Tribunali, quod ad purificationem animarum est institutum. Et quamvis sint Sancta quæ miscentur, distrahunt tamen frequenter à simplici illa & humili ac contrita confessione; & ista eloquia velut muscæ, perdunt suavitatem unguenti Contritionis & effectuum dolorosorum.

APPENDIX.

H*Ic Quæstiones movendæ erant de actione Judicis ut est Medicus & Pastor, sed brevitati studens, cum omnia conveniant ferè cum ijs quæ dicuntur de Doctrina, nolui tædiosas repetitiones facere, hic sufficiant istæ Regulæ.*

REGULA I.

De actibus Confessarij ut Medicus est & Pastor.

T*Enetur Confessarius quantum rationabiliter potest, pericula Pœnitentis, sivè in dispositione præsenti; sivè ad futuram emendam, congrua adhibere remedia; & velut saucio homini oleum misericordiæ cum vino amoris & justitiæ infundere.* De quibus dicemus clarius, agentes de Pœnitentiarium & satisfactionum impositione.

REGULA II.

T*Enetur & infirmitates Pœnitentis ut Pastor tolerare, nec facile contrà illum indignatione vel impatientia moveri, ut conqueritur Dominus 1. Reg. 2. Quare calce abjecistis victimā meam & munera mea quæ præcepi ut offerrentur in templo, &c.* De Sententiæ pronuntiatione & alijs huc facientibus speciali Tractatu agemus.

1. Reg. 2 vers. 29

TRACTATUS III.

De Materia Iudicij, sive Tribunalis Sacramenti Pœnitentiæ.

TITULUS I.

De peccato prout est Materia huius Tribunalis?

QUÆSTIO I.

An omne & solum peccatum sit materia huius Tribunalis?

CONCLUSIO I.

Solâ peccata materia Confessionis.

S*Olum peccatum est materia sufficiens Iudicij, sive Tribunalis Sacramenti Pœnitentiæ.* Sumitur ex radicali Fundamento, Ioan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ubi peccatum statuitur materia sola retentionis & remissionis, qui sunt actus principales huius Tribunalis.

Nota. Ex quo *infero* primò. Imperfectiones naturales & vitia omninò naturalia, quæ in rigore peccata sive offensæ Dei non sunt, frustrà in hoc judicio proponi, & si absque verò peccato Absolutioni supponantur, sacrilegium committi.

Nota. *Infero* secundò. Relaxationes sive dispensationes votorum, Juramentorum, Absolutiones Excommunicationum & aliarum obligationum, sive vinculorum, quæ interdum in hoc Sacramento fiunt, non pertinere per se ad hoc Sacramentum sive Judicium, sed ad Potestatem aliam Clavium generalioribus terminis comprehensam, quæ illis verbis data est : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt alligata & in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* Unde etsi ratione fori interni Conscientiæ commodè fiant in Sacramento, ad forum tamen Sacramentale non spectant, cum extrà Sacramentum fieri possint, nisi prohibeatur. (Math. 18. Vers. 18.)

CONCLUSIO II.

O*Mne & solum peccatum actuale post Baptismum commissum, est Materia sufficiens Tribunalis Pœnitentiæ.* Dixi : *Peccatum actuale*, ad excludendum originale quod per Baptismum dimittitur. Dixi : *Post Baptismum commissum.* Quæ enim ante Baptismum commissa sunt non per modum Judicij, sed per lavacrum Gratiæ & Regenerationis in Baptismo absolvuntur, corrupto scilicet & sepulto vetere Adam in aquis, & regeneratione factâ in novum hominem. Dixi (*Omne peccatum actuale* :) Non enim solum mortalia, sed etiam venialia peccata sunt materia sufficiens. Ratio verò totius Conclusionis est: Quia Tribunal Pœnitentiæ datum est iis qui jam intra Ecclesiam, & eius Jurisdictionem sunt constituti : Tales verò per Baptismum, quæ est janua Sacramentorum ab omni peccato tam originali, quam actuali prius commisso, censentur liberati. (De peccatis ante Baptismum.)

Dices : primò. Originale peccatum per actum amoris Dei & contritionem perfectâ dimitti potest, ergo etiam per absolutionem Sacramentalem *Resp. neg. conseq.* Ad antecedens dico : Interdum peccatum Originale in eo qui ante Baptismum verè contritus est, per actum amoris Dei super omnia cum voto Baptismi remitti, quia Baptismus flaminis est ad hoc privilegiatus: illi tamen frustra adhiberi absolutionem, cum necdum Ecclesiæ sit adscriptus per characterem Baptismatis, nec Ecclesiæ subditus. Unde etsi Catechumenus centies ante susceptum Baptismum per contritionem plenè justificari possit, nō potest tamen absolutionis Sacramentalis beneficio justificari, quæ tantum ad Baptisatos & charactere Baptismali insignitos dirigitur.

Dices : secundò. Qui Baptismum fictè sive peccaminosè suscepit (etsi validè) & post Baptismum in peccatis ante Baptismum commissis remanet, ut homo baptisatus à Sacerdote validè absolvitur, ergo à peccatis ante Baptismum commissis absolvitur. *Resp. neg. conseq.* Virtute enim Baptismi prius recepti, recedente & ablatâ fictione peccata ante Baptismum commissa remittuntur, sola autem fictio quæ in ipsa janua Ecclesiæ commissa est cum peccatis à jam Baptisato commissis virtute Clavium absolvitur, unde solā fictionem cum posterioribus peccatis confiteri tenetur, non autem priora. (De peccatis in Baptismo.)

Petes: An qui per Hæreticos prius baptisati, & in adulta ætate virili & senili juxta leges Synodales quorumdam Episcopatuum reversi ad Ecclesiam Catholicam, ob periculū invaliditatis prioris baptismi sub conditione baptisantur, virtute istius Baptismi censeantur remitti eis omnia peccata post collatum Baptisma primum, commissa, ita, ut non teneantur ea Sacerdoti confiteri? *Resp.* Quod non, sed teneri ea confiteri. *Ratio est*: Quia sicut Baptismus ad vitandum periculum salutis sub cōditione datur, ne fortè defuerit ita (ne validus fuerit primò collatus Baptismus, & consequenter peccata post illud commissa debeant subjici Clavibus) debet saltem sub conditione confiteri, si nimirum sit materia Clavium. (De conditionali repetitione Baptismi & post illū ante Confessionem.)

Quæ-

QUÆSTIO II.

Quid Peccatum Actuale;

OMissis varijs Diffinitionibus Peccati quæ à varijs circumferuntur, facilior & clarior ad rem nostram, est Diffinitio S. Augustini, quam hic subjicio.

Conclusio.

S. August. lib. 22. contra Faust. Manich. cap. 27.

Quid peccatum actuale

P*Eccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam.* Ita S. Augustinus *lib.* 22. contra Faustum Manichæum *cap.* 27. Quem cum Magistro sequuntur passim Theologi Supplenda verò est per duas particulas quæ ex natura rei subintelliguntur hoc modo: Peccatum, *est voluntarium dictum, factum, vel concupitum, aut eorum omissio, contrà legem æternam.* Vel si brevius velis: *Peccatum est actus vel omissio humana voluntaria, contrà legem æternam.*

Dixi (*factum, dictum, vèl concupitum;*) sunt enim hi actus materiales, quibus peccatum velut insidet, & à quibus Peccatum communiter dividitur in *Peccatum cordis* (quod in voluntate seu interiori homine remanet, nec foris egreditur, diciturque generali termino *Concupitum*) *Peccatum oris* (sive quod ore, vel verbo, sive signo externo æquivalente completur, diciturq; *Dictum*) *Peccatum operis* (quod in operationem externam exit, sive quod per opus externum consummatur, vocaturque *factum*)

Dixi: *Voluntarium* · Peccatum enim (juxta D. Augustinum) ita necessario voluntarium esse debet, quod Peccatum omnino non sit, si voluntarium non fuerit. Dicitur autem voluntarium: A voluntate vel Imperante, vel Consentiente, vel Non impediente cùm potest & debet.

Dixi (*aut omissio:*) Qua enim obligatione quis tenetur facere bonum quod præceptũ est, eadem obligatione tenetur fugere malum quod prohibitum est.

Dixi (*contra legem æternam:*) Nullum enim arbitror peccatum in rigore dici posse quantumvis veniale, quod non sit contra legem æternam: Et omne peccatum etiam contra legem humanam Ecclesiasticam vel Civilem, non ob aliam rationem peccatum esse existimo, quam quia materia ejus & ratio præcepti à lege æterna aliquo modo derivatur, ut alibi suo loco explicabimus.

QUÆSTIO III.

Quotuplex est peccatum Actuale?

OMissis varijs divisionibus peccati, ut in *Peccatum Omissionis, & Commissionis:* Item in *Peccatum ex malitia, ex Passione, ex Ignorantia, &c.* solum pono celebrem unam divisionem peccati quæ maxime ad rem nostram facit.

Conclusio I.

P*Eccatum Actuale, dividitur in peccatum Mortale & Veniale:* Ità communiter Doctores omnes.

Conclusio II.

P*Eccatum Mortale est, quod vitâ gratiæ Animam privat, & obligat ad pœnam æternam.* Quid mortale.
De hac Animæ morte & peccato mortali Scripturæ passim loquuntur. Ier. 31. *Unusquisque enim in Iniquitate sua morietur.* Ezech. 18. *Anima quæ peccaverit ipsa morietur* Ad Roma. 6. *Stipendium peccati mors.* Iacobi. 1. *Peccatum cum consumatum fuerit, generat mortem.*

Ier. 31. Vers. 30. Ezech. 18. Rom. 6. Vers. 23 Iacob. 1. Vers. 15

Conclusio III.

PEccatum veniale est, quod ità leve est ut nec vitam Gratiæ tollat, nec pœnam mereatur æternam, sed tantum temporalem. Quid Veniale.

Porrò triplex Veniale assignatur, ab Auctoribus nimirum: *Veniale ex natura, sive ex genere suo: Veniale ex imperfectione operis: Veniale ex defectu deliberationis.* Illud dicitur: *Veniale ex natura sua*, cuius objectum non est de per se notabilis malitiæ: ut mentiri officiosè, loqui otiosè. Multiplex Veniale.

Veniale ex imperfectione operis (quod & alij dicunt) *ex levitate materiæ:* est quod quidem fit contrà conditionem naturæ prius institutæ, & aliquod præceptum obligans naturâ suâ ad mortale; sed ob materiæ levitatem vel operis imperfectionem, non imputatur ad mortale, *ut furtum rei modicæ, levis aliquis tactus impudicus.*

Veniale ex defectu deliberationis & consensus est: Quandò & actus de per se gravis malitiæ, ac materia gravis & opus perfectum est, defuit tamen plena deliberatio & consensus: ut interdum contingit in homicidiò non planè voluntario, in cogitationibus illecebrosis & delectationibus non planè deliberatis, de quibus suo loco.

Conclusio IV.

P*Eccatum mortale* dividi etiam potest, in *Peccatum Mortale ex natura sua: Mortale ex Præcepto tantum: & Mortale ex accidenti & circumstantia.* Multiplex Mortale.

Mortale ex natura sua dicitur: Quod tantæ deordinationis & malitiæ est, ut quamvis non prohiberetur, peccatum tamen mortale esset: Talia sunt odium Dei, Blasphemia, Hæresis, Infidelitas, Idololatria quæ contradicunt per se Primæ Veritati & Bonitati: Talia etiam sunt quæ immediatè contrà Legem Naturæ fiunt: etsi enim contingat eadem Legibus & præceptis positivis prohiberi, ità tamen ordinationi Primævæ Naturæ & primis principijs adversantur, ut quacumque prohibitione positiva seclusa, malitiam & deordinationem gravem contineant, nec ulla lege licite fieri possint.

Mortale ex præcepto.

Mortale tantum ex Præcepto est: Quod non est illicitum nisi quia prohibitum, aut quia ejus oppositum est præceptum: ut operari in Sabbato sivè Dominica, non audire Missam in festo, &c.

Mortale ex accidenti.

Mortale ex accidenti & circumstantia est: Quod quamvis de per se, sivè natura sua non sit tantæ malitiæ, aut sub tanta culpa sivè pœna prohibitum, ex accidenti & circumstantia tamen malitiam gravem involvit, & præcepto interdum gravi indirectè aut interpretative adversatur. Talia sunt: Verbum impudicum prolatum in ordine & cum intentione provocandi mulierem ad fornicationem: *item*: Quædam levitas, ex qua grave scandalum generatum est.

QUÆSTIO IV

An Peccatum Mortale possit fieri Veniale, & è contra?

CONCLUSIO I.

Idem numero non potest fieri peccatum mortale ex Veniali.

PEccatum mortale idem numero manens in genere moris, non potest fieri peccatum veniale, nec è contrà.

Ratio est: Quia implicat ut idem numero manens idem juxta omnes circumstantias morales, diversam inducat malitiā aut obligationem; esset enim idem respectu ejusdem, gravis malitiæ & non gravis malitiæ, contrà præceptum & non contra præceptum, auferens vitam gratiæ & non auferens, &c. Dixi (*juxta omnes circumstantias morales*): si enim una circumstantia vel respectus mutetur, non erit idem in genere moris, nec respectus ad idem.

CONCLUSIO II.

Modi quibus peccatum mortale fit veniale.

PEccatum mortale mutatione circumstantiarum aut respectuum interdum fieri potest Veniale, & è contrà Veniale potest fieri mortale.

Contingit autem multipliciter, ut quod alias fuisset mortale, fiat veniale vel nullum. Primò Propter levitatem materiæ. Secundò. Propter imperfectionem deliberationis. Tertiò. ob imperfectionē consensus & operis, ut supra de venialibus exemplificatum est. Addo Quartò. Quando ob necessitatē gravem vel occurrentiam pluriū præceptorum aut præceptum totaliter, aut pro tanto cessare intelligitur: Ut quandò quis in gravi vel extrema necessitate constitutus, pro tuenda vita sua vel suorum, alienum accipit: Si enim extrema sit necessitas totaliter cessare præceptum intelligitur, si multùm gravis etsi à toto non excusetur, excusatur tamen à tanto, id est, à Mortali: Sic in Homicidio ratione moderaminis inculpatæ tutelæ excusatur quis à peccato; Potest enim quis ità moderamen inculpatæ tutelæ possidere, ut nullatenus peccet alterum occidendo; potest autem etiam intervenire negligentia in hujusmodi moderamine quæ sit tantum Veniale peccatum.

Modi quibus Veniale fit mortale.

Similiter varijs modis contingere potest ut veniale peccatum fiat aliqua morali mutatione, mortale, Primò. Ratione, pravæ intentionis, ut de verbo impudico suprà exemplificatum est, ut, qui daret eleemosynā ut puellam ad peccatum pertraheret. Secundò. Ratione erroneæ conscientiæ: ut qui loquens verba jocosa & otiosa, omninò judicaret & crederet se peccare mortaliter. Tertiò. Ratione detrimenti gravis inde secuti: ut B. Conradus imponens ignem in vepreto, si advertere poterat vel debebat sata vicina comburenda, peccavit mortaliter: *Item*, Si quis ex levitate, nonnulla dicat, ex quibus graves lites & contentiones nascuntur, quas oriri potuisse, animadvertere valuisset & debuisset, &c.

Quartò. Ratione scandali: ut Ecclesiasticus vel Religiosus levitates aliquas de se veniales faciens coram alijs, quarum ratione aliqui graviter scandalizantur.

QUÆSTIO V.

An Veniale peccatum sui multiplicatione possit fieri mortale?

CONCLUSIO I.

Sola multiplicatio venialium nō potest esse Mortalis.

VEnialia peccata quantumvis multiplicata non possunt ex ratione solius multiplicationis fieri mortalia. Ratio est: Quia mortale est moraliter & interpretativè infinitæ malitiæ, ac pœnæ infinitæ & æternæ demeritoriū, dissolvens Dei amicitiā: Veniale autem, quantumvis multiplicatum, nec illam amicitiam dissolvit, nec pœnam æternam meretur, cum sit per se malitiæ finitæ & limitatæ. Unde benè *Cancellarius Gerson Tractatu de vita spirituali animæ lect. 5. lit C. Est igitur* (inquit) *Peccatum Mortale quasi vulnus lethale. sed Peccatum veniale non est nisi morbus quidam, aut vulnus citra mortem. Et sicut ex mille vulneribus non mortiferis homo non moritur, nisi ex illorum multitudine generetur quidā morbus alias mortifer, ut sæpius contingit: ita ex quotcumque venialibus peccatis vita gratiæ nequaquam amittitur, licet benè disponant ad generationem peccati mortalis.* Undè & lit. D. comparat venialia spurijs vitulaminibus quæ arboribus adnascuntur, quæ etsi arbori noceant, mortem tamen arbori non inferunt.

Cancel. Gerson Tract. de vita spiritual. animæ lect. 5. lit. C.

CONCLUSIO II.

Multiplicatio ad mortale disponit.

MVltiplicatio peccatorum venialium interdum ad mortale peccatum disponit. Ratio est: quia per illa fervor charitatis, & vita gratiæ debilitatur, ac consequenter ad mortem disponit, quæ alio accidente supervenienti causari potest, juxta illud Eccl. 9. *Qui spernit modica*

Eccl. 19. vers. 1.

modica, paulatim decidet. Et aqua guttatim navim subiutrans, illam ad submersionem disponit.

Qualiter furta multa parva ad peccatũ mortale perveniant.

Dices primò. Qui multa parva furta venialia commisit, cùm pervenerit ad gravem quantitatem, jam peccatum mortale de facto committit ratione furtorum multiplicatorum, ergò veniale mulriplicatum, sui multiplicatione potest fieri mortale. ***Resp. neg. consequentiam***: Ad antecedens dico, eum qui mulra parva furta divisim commisit cum ad gravem quantitatem pervenerit peccare mortaliter, non ratione venialium multiplicatorum, sed ratione materiæ, sive detentionis rei alienæ in gravi quantitate invito Domino, ***ut bene notat Navarrus in Manu. cap. 17. num.*** 139. Unde nulla ex istis disparatis acceptionibus rei alienæ dici potest mortalis (quidquid aliqoi dicant,) nec censendus est: qui sic minuta accipit, ratione furtivæ acceptionis peccasse mortaliter, sed tantùm mortaliter peccare quando rem alienam in tanta quantitate voluntariè detinet, utjam censeatur injustitia gravis Duo enim in furto notanda sunt. Primom. Est Acceptio rei alienæ invito Domino. Secundum est Detentio illius cum possis restitucre, sivè etiam detrimentum quod ex detentione vel destructione rei natum elt vero Domino, quod tenetur quis resarcire si potest: Juxta illud: ***Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.***

Duo in furto notanda.

Detentio & Acceptio rei in furto ejusdem qualitatis peccatum constituunt.

Ex quibus *Dico* primò. Sicut acceptio rei invito Domino habet maius & minus veniale & mortale, sic etiam detentio vel nolita satisfactio cum sit possibilis: Unde, qui rem parvam accipit invito Domino, peccat venialiter: Qui autem rem gravem, mortaliter; etiamsi esset cum intentione suo tempore illam restituendi. ***Ratio est***: Quia injuriam facit Domino, quia utitur re ipsius absque ejus facultate, vel quia etiam ipsum spoliat in vitum, quamvis ad tempus. Similiter de detentione dicendum est: Qui enim detinet rem parvam invito Domino, peccat venialiter non restituendo; revera enim tenetur ad restitutionem, & quamdiù non restituit, in veniali peccato perseverat, & injustitia illa qantumcumq; venialis, pœnis debitis in hoc vel futuro sæculo elui debet.

Nota.

Dico secundò. Sicut qui accepit sivè usurpavit rem alienam in gravi quantitate invito Domino peccavit mortaliter (etiamsi habuisset intentionem restituendi:) Quia injustè utitur, aut Dominum privat sua re absquè eius facultate: Sic eadem ratione tamdiu peccat mortaliter, qui invito Domino eam detinet in magna quantitate, quamdiù illam non restituit cum restituere possit.

Nota.

Inferes: Ergò in quolibet furto est duplex peccatum: Unum injustæ acceptionis: Alterum injustæ retentionis. ***Resp. negando consequentiam***: Ista enim in eodem actu furti ordinariè per modum unius intenduntur: nemo enim censetur rem furari, quin saltem ad tempus vel momenta aliqua rem detinere, sive rei usu aut possessione Dominum spoliare intendat. sub detentione etiam, interpretativa quædam acceptio continetur. Ista autem distinximus; Quia interdum ab invicem ita separata sunt, ut distincta peccata sint: imò in uno materia peccati venialis sit, io altero Mortalis: *Ex. g.* Accepit quis mutuam pecuniam ut eam intrà certum tempus redderet finito termino illam reddere non vult cùm possit: Peccat mortaliter ratione detentionis injustæ, rei alienæ in gravi quantitate, inviro Domino, non tamen ratione acceptionis. *Item*: Accepit quis equum invito Domino & consequenter mortalirer peccavit: Contingit autem eum eâdem horâ ab illo cuius elt equus, injustè gravamen aliquod æquale aut ferè æquale pati: Peccavit mortaliter accipiendo equum: Non peccat autem mortaliter detinendo, quia in compensam injusti gravaminis detinet, donec sit satisfactum: *Item*: Intendit Titius furari decem florenos à Socrate, & ad hoc omnem operam adhibet, non potest autem furto surripere nisi decem asses, ob intentionem qua ferebatur in decem florenos, peccavit mortaliter, non peccat autem mortalirer detinendo dictos decem asses in sententia eorum, quod isti decem asses non perveniant ad quantitatem Mortalis peccati.

Dices secundò. Qui vovit singulis diebus per totam Quadragesimam dare pauperi unum assem, si tota quadragesima nullo die dederit, in Paschate mortaliter peccabit: Quia etsi unus assis non esset subjectum sufficiens in voto ad mortale peccatum, quadraginta tamen asses qoos in Paschate debet, sunt materia sufficiens. Ergo ex venialibus peccatis, fiet unum mortale. ***Resp Absolute negando antecedens***: Quidquid enim multi contrarium sentiant: apud me certum est: Illum qui vovisset singulis diebus Quadragesimæ, aut totius anni, dare unum assem pauperibus, etsi nullo die hoc præstitisset, non peccare in Paschate aut in fine anni mortaliter. Sicut nec ille qui vovisset singulis diebus anni dicere unum ***Pater & Ave Maria***, non peccaret mortaliter si toto anno illud omitteret: ***Ratio est***: Quia eleemosyna unius dici sicut & ***Pater noster***, est tota & determinata materia huius voti, sic ad singulos dies determinati; Unde simpliciter non est votum in materia gravi sivè sufficienti ad peccatum mortale. ***Et exemplifico***: Qui vovisset singulis diebus anni dicere ***Officium B. Virginis***, etsi singulis diebus unum aut alterum versiculum voluntarie omitteret, non idcircò in fine anni peccaret mortaliter, etsi duo versiculi facerent in fine anni materiam gravem, utpotè septingentos & amplius versiculos;

Nota.

Quia nimirum attendendum est votum penes singulos dies discretè, non in complexo. Ergò similiter ubi votum rei parvæ determinationem habet ad singulos dies discretim. Dico *discretim*: aliud enim est, si tota massa in complexo intenderetur. *Ex. g.* Si quis primariâ & directâ intentione voveret dare in massâ totali 40. asses, modificando tantum actualem distributionem per asseim dietim, sive 360. asses modificando similiter actualem distributionem unius assis per singulos dies anni, peccaret mortaliter in Paschate, aut in fine anni si non distribuisset illos 40. aut 360. asses: Quia istius summæ gravis, directè per tale votum se reddiderat Deo debitorem, distributio enim per singulos dies non tam fuit votum, quam modus executionis voti. Et in hoc solo sensu arbitror Doctores contra sententes, interpretandos esse. Ut autem evitetur confusio diversorum modorum loquendi in hujusmodi materia, pono unam Regulam generalem.

Regula Generalis.

Regula Generalis notanda.

Materia peccati pluribus actibus venialibus disparatis substrata, nunquam censetur simul continuari sive existere, & ad gravitatem peccati mortalis excrescere, nisi ex natura sua, vel ex primaria & directa intentione operantis continuetur. *Explico exemplo*: Materia multorum furtorum simul continuari & coexistere censetur in eodem fure, & interdum pervenire ad materiam peccati Mortalis: Quia res plures parvæ distinctis actibus furto acceptæ, tandem faciunt suâ continuatione & coexistentia hominem rei magnæ injustum detentorem vel fraudatorem, & si ab eodem Domino sunt subtractæ, illum gravi injuria & detrimento afficiunt; adeoque in gradu in quo censetur rei alienæ in magna quantitate Detentor, vel Dominus perpessus est injuriam in re gravi, in eodem gradu fur censendus est peccare mortaliter, quamvis per minuta furta venialia ad illam qualitatem pervenerit. Aliter vero dicendum est: Si materia ex natura sua non continuetur: ut suprà exemplificatum est de eo qui vovit dare unum assem singulis diebus pauperi, aut recitare unum *Pater noster* per integrum annum; Cùm enim Distributio illa sequatur voluntatem & determinationem voventis, & determinatus sit actus sive distributio ad singulos dies, non est vinculum quo isti asses singuli, sive eorum debitum ad invicem censeantur continuari, vel simul coexistere, cum suis diebus quibus sunt assignati, censeantur discreti.

Dixi tamen (*nisi ex primaria & directa intentione operantis censeantur continuari*:) Tunc autem censentur continuari ex primaria & directa intentione, quando vovens primò & per se intendit dare magnam quantitatem *Ex. g.* decem florenos pauperibus, etsi modum designet ut per singulos dies unus assis donetur, quem modum pro sua voluntate mutare potest dando totam summam primâ die, sicuti qui intenderet primò se obligare ad centum Rosaria dicenda, etsi designasset illa dicere centum diebus, potest paucioribus diebus id præstare; hic enim modus non afficitur propriè à voto, sed tantum ipsa vel pecuniæ quantitas, vel Rosariorum numerus. Alias si ipse modus esset per se directè intentus, non posset pro voluntate voventis mutari. *Ex. g.* qui vovisset per annum singulis diebus Rosarium vel Officium B. Virginis legere, non posset absque dispensatione plura anticipativè uno die legere, quia directa & primaria intentio per votum illa diebus istis assignavit, quæ ad vitandas verborum contentiones multum sunt notanda.

Ex quibus, *infero* primò. Eum qui simpliciter intendit magnam quantitatem pecuniæ surripere (etsi per disparatos actus, & in parva quantitate diminutos) peccare etiã à principio mortaliter: Quia quantitas gravis censetur tota in mente per modum objecti unius coexistere, & disparati illi actus tam ex natura, quàm ex intentione primaria continuantur.

Infero secundò. Eum qui absque tali intentione quantitatis magnæ surripiendæ per actus etiam in materia diminutos, tandem ad magnam quantitatem pervenit per nullos quidem actus sic diminutos peccasse mortaliter, cum omnes sint ejusdem generis & levitatis, per se & in se considerati: Peccare tamen mortaliter cùm jam ad gradum pervenit, in quo voluntariè existit & manet Detentor rei alienæ in quantitate magna, vel in quo proximus censetur læsus, sive damno notabili affectus. Quod dico propter damna quæ in rebus inferuntur, nec actu apud detentorem permanent: In gradu enim quo verus Dominus est gravi damno affectus, in eo gradu qui damnum intulit, peccat mortaliter, etsi ex parvis & levibus damnis venialiter primum commissis, hoc damnum notabile sit causatum. Aliter censendum est in ijs quæ materiam ex natura & conditione sua sic concatenatam non habent, nec propriè dictam injuriam tertij respiciunt. De quibus suprà exemplificatum est.

QUÆSTIO VI.

Quibus signis sivè Regulis Mortalia, à Venialibus distingui possint?

Variæ Regulæ solent à Doctoribus afferri quæ interdum satis obscuræ sunt, & exceptiones multas patiuntur: Ego sequentes ut certiores & magis securas propono.

REGU-

Regula I.

Omnia peccata contra Præcepta Divina, sive Naturalia, sive Positiva, quæ in Decalogo & alibi exprimuntur, in materia gravi sunt mortalia. Regula clara est ex terminis suis.

Regula II.

Quandocumque in S. Scriptura in materia mortali aliqua peccata dicuntur excludere à regno, morte digna, abominabilia, execranda, aut maledicto denuntiatur illa perpetrantibus, signum est quod sint peccata mortalia. Si vero ipsa mitioribus verbis utatur, signum est venialis peccati. Sic de
1. Cor. 6. Vers. 9. 10 peccato mortali explicandæ sunt sequentes Scripturæ. 1. ad Corinth. 6. *Nolite errare, neq; fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Ad
Ephes. 5. Vers. 3. 4. Ephes. 5. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis sicut decet Sanctos; aut turpitudo aut stultiloquium, aut scurrilitas quæ ad rem nō pertinet, &c. Hoc enim scitote intelligentes: Quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod est idolorum servitus) non habet hæreditatem in regno* CHRISTI *& Dei*

In quibus Verbis advertendum est: Aliter loqui Apostolum de Fornicatione, Immunditia, Avaritia: Aliter de Stulti-loquio & scurrilitate: Fornicationem enim, Immunditiam, & Avaritiam docet excludere ab hæreditate & regno CHRISTI & Dei, quæ est pœna peccati mortalis: De Stulti-loquio autem & Scurrilitate dicit tantum ad rem non pertinere, hoc est, vanum, imperfectum & inordinatum esse, quod venialem culpam indicat.
Gal. 5. 19. & seq Ad Galat. 5. *Manifesta autem sunt opera carnis quæ sunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, Luxuria, idolorum servitus, veneficia inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*
Isaiæ 5. vers. 20. Item Isaiæ 5 *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.* Infrà: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem* In quibus omnibus multa explicantur peccata, quorum gravitas etsi ex ipsis præceptis non appareat, sunt tamen mortalia. De quibus distinctè suis locis.

Regula III.

Si ex terminis Præceptorum, vel Scriptura non constet de gravitate peccati, recurrendum est ad Traditionem Ecclesiæ, vel Sententias Doctorum. Ratio est: Quia judicium de peccatorum gravitate, ubi aliunde non constat, penes Ecclesiam est, eiusque Doctores, maximè Theologos, quam non permittet Deus in re tanti momenti errare. Unde est illud, Malach. 2. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Malach. 2. Vers. 7.

Dixi (*maximè Theologos*) præferendum enim est judicium unius Theologi qui ex visceribus rei peccata examinat judicio Canonistarum qui ut plurimum verba tantum Legis & Canonum expendunt.

Regula IV.

Cum peccati gravitas non est manifesta, vel ex terminis præceptorum, vel ex Scriptura, vel ex Traditione Ecclesiæ aut Sententiis Doctorum: maturo judicio expendenda est ex triplici capite: Primò. Si in gravem divini honoris & debitæ reverentiæ ad Deum, & Dei cultus injuriam cedat Secundò. Si in grave detrimentum salutis propriæ, vel eorum quæ ad salutem propriam spectant. Tertio. Si in gravem injuriam justitiæ vel charitatis in proximum. His enim ferè tribus modis peccati malitia & gravitas crescere solet.

Regula V.

Ad prudens judicium de gravitate vel levitate peccatorum, maturè ponderanda sunt circumstantia, ut materia, deliberationis, vel indeliberationis, actus intentionis, peccati, personarum, aut operantium, aut quas op9 velomissio operis aliquo modo respicit. Ratio est: Quia quod natura sua grave est, potest ex ratione materiæ vel subreptionis sive indeliberationis fieri leve, & è contra quod natura sua leve est, ex materia, vel malitia intentionis potest fieri grave: *Item* Peccatum ab aliquibus, vel, coram aliquibus factum, potest esse veniale, quod ab alijs, vel coram aliis factum, mortale esset, & è contra. Gravis enim persona & religiosa potest verbum scurrile loquendo coram infirmis, peccare mortaliter ratione scandali: quod alius coram eisdem, vel ipsemet coram aliis proferens, non nisi venialiter peccaret



TITULUS II.

De Peccato pro-ut est voluntarium,

QUÆSTIO. I.

Quod dicatur peccatum voluntarium?

Conclusio I.

Illud peccatum dicitur voluntarium, quod prævia sufficienti cognitione & deliberatione, à Voluntate liberè operante elicitur, imperatur, vel permittitur, sive cui Voluntas liberè consentit. Ex qua conclusione deducuntur sequētes conditiones quæ ad peccatum, ut censeatur voluntarium, requiruntur.

Prima Conditio voluntarij.

Primò. Prævia cognitio sufficiens non tantum actus vel omissionis, quà actus & omissio est, sed quà peccaminosa est, & illicita, sive quà mala est & malitiam annexam habet. Ex. g. Ad violationem jejunij ut sit peccatum, non sufficit ut advertam me comedere carnes, jentare, cœnare: sed requiritur, ut reflectam & cognoscam esse diem quo sub peccato obligor ad jejunium. Et ad violationem festi non tantum requiritur ut cognoscam me laborare, aut Missam non audire, sed amplius ut reflectam diem festum esse quo prohibetur mihi laborare, vel præcipitur audire Missam. Dixi (*cognitio sufficiens*) propter cognitiones obscuras, vel semi-plenas, qualis est in eo qui turbatus, etsi advertat aliqualiter malum esse quod agit, non tamen advertit plenè ad præceptum vel prohibitionem, sive malitiam. Ex. g. qui aggredientem se repellit, etsi advertat bene se repellere, non advertit tamen illum ita graviter ex impulsu casurum, aut in tale offendiculum, unde vel occidatur, vel graviter lædatur. Tales sunt plerique actus semi-dormientium & semi-ebriorum de quibus infrà

Secunda Conditio voluntarij

Secundò. Requiritur deliberatio. Cùm enim homo ratiocinativus sit & actus humanus à judicio rationis, sive ratione ratiocinante procedat: ad ipsius actus essentiam requiritur deliberatio, quæ nil est aliud; quàm, Judicium rationis de faciendo vel non faciendo, de consentiendo vel non consentiendo. Unde primi motus, actiones præcipites, distractæ, anxiæ, non reputantur frequenter peccata, quia deliberatione caruerunt, sive quia Intellectus rationem agendi vel non agendi ob instantiam circumstantiarum, præcipitantiam, anxietatem non potuit præmeditari vel expendere: Quanta verò & qualis requiratur deliberatio dicetur infrà.

Tertia Conditio voluntarij

Tertiò. Requiritur ut sit actus Voluntatis: ut enim postea docebimus, nec in Intellectu, nec in potentijs sensitivis internis sive externis potest esse peccatum, nisi ratione Voluntatis aut elicientis, aut imperantis aut consentientis, aut illicitè permittentis. Hi enim sunt omnes actus sive modi, quibus concurrit Voluntas ad peccatum, quos singulariter explicabimus ad distinctiorem cognitionem, sic verò explicandi veniunt.

Quid actus eliciti

Actus eliciti Voluntatis dicuntur, qui ab ipsa Voluntate immediate procedunt: ut sunt velle, nolle, amare, odire, tristari, gaudere, &c.

Quid actus imperati.

Actus imperati: qui ex imperio positivo Voluntatis ab aliis Potentiis exercentur: ut si ex imperio positivo Voluntatis, Intellectus aliquid cognoscat, vel in alicuius contemplatione occupetur. Si ex eodem imperio Imaginatio alicui rei infigatur *Similiter*, si oculus aspiciat, auditus auscultet, &c. *Item*, si comedo, si bibo, si dormitioni me apto, si ambulo, si sedeo ex imperio Voluntatis

Quid actus consentientes.

Actus consentientis Voluntatis sunt: Quando, etsi propriè nec eliciti, nec positivè imperati sint, in illis tamen Voluntas sibi complacet, & pro gratis recipit, sive ut fiant assensum præbet. Ex. g. Dæmon immittit aliquam cogitationem libidinosam, aut excitat motum carnalem absque ulla cooperatione Voluntatis: postquam tamen immissa sunt, illis congaudet, sive in illis delectatur positivè Voluntas: hæc delectatio quamvis in se propriè elicita aut imperata non sit, sed potius excitata in Voluntate, quia tamen complacet, & sibi in illa Voluntas delectatur, voluntatis actus vocatur, eique consentienti imputatur.

Quid actus permittentes.

Actus Voluntatis permittentis sunt: Quos nec propriè Voluntas imperat, nec illis propriè consentit, sed advertens malum & peccati periculum, illos impedire non curat, exempla sunt obvia.

Quarta Conditio voluntarij.

Quartò. Requiritur ut Voluntas liberè operetur: nimirum ut ab intrinseco metu gravi coactione, impulsu, &c. aut ab extrinseco impedimento aliquo simili, libertas operandi non impediatur.

QUÆSTIO II.

Quæ advertentia sive prævia cognitio necessaria sit aut sufficiens ad peccatum mortale?

Triplex cognitio.

TRiplex hic Cognitio statui potest. Prima. Actus vel Omissionis eius in se. Secunda. Obligationis quam habet homo ad actum faciendum vel omittendum. Tertia. Malitiæ quam homo incurrit ratione omissionis vel commissionis actus.

Duplex advertentia.

Duplex etiam Advertentia statuenda est: Alia est Semi-plena: Alia Plena. Plena Advertentia dicitur, quando quis perfectè & sine turbatione actum vel eius omissionem cum sua obligatione & malitia perspectam habet. Semi-plena, quando non plene reflectit super actu aut eius obligatione, sive etiam malitia, ut contingit in homine distracto, semi-dormiente, aut semi-ebrio.

Duplex apprehensio malitiæ.

Rursùs, Advertentia malitiæ potest distingui, in Advertentiam malitiæ in gradu suo determinatè, ut peccati Mortalis vel Venialis, & in Advertentiam malitiæ indeterminatè, sub ratione malitiæ gravis in genere, vel periculi illius, &c.

CONCLUSIO I.

Advertentia plena.

AD peccatum mortale sufficit & necessariò est plena Advertentia non tantum actus & obligationis, sed etiam malitiæ sub aliqua notabili gravitate apprehensæ.

Ratio est: Quia Voluntas non fertur in incognitum, & sic plenum & perfectum

velle

velle & nolle non potest dari, nisi in plene & perfecte cognito, sed ad peccatum mortale requiritur plenum & perfectum nolle & velle, perfecta & plena cognitio & advertentia. Sufficit autem si sub aliqua notabili gravitate apprehendatur, ad hoc ut sufficiens objectum vel materiam subministret.

Conclusio II.

Advertentia semiplena.

IMperfecta & semiplena Advertentia excusat à peccato mortali. Ratio est: Quia excusat à plene & perfectè voluntario, omne autem quod imperfectè aut semi-plene voluntarium est, ad summum Veniale est.

Dixi verò suprà Concl. prima, (necessarium esse plenam Advertentiam non tantum actus & obligationis, sed etiam malitiæ sub aliqua notabili gravitate apprehensæ:) Nam (ut diximus *quæst. 1.*) potest quis advertere actum vel eius omissionem, & non advertere obligationem, ut exemplificatum est de eo qui commedit carnes in die jejunij, non advertens esse diem jejunij. Potest quis etiam advertere ad obligationem, sed non sub culpa, ut qui defraudat gabellas advertens se quidem obligari ad pœnam, credens autem se non obligari ad culpam. *Rursum*: Potest quis advertere quidem & reflectere super aliqua malitia actus vel omissionis, sed tantum sub ratione malitiæ levis; ut qui in osculo impudico apprehendit quidem malitiam, sed omninò apprehendit ut levem. Ad peccatum itaque mortale requiritur & necessarium est, ut apprehendatur malitia sub aliqua gravitate quæ vel suspicionem ingerat, vel practicum dubium periculi peccati, sive malitiæ mortalis; Qui enim plene & perfecte apprehendit se actum gravis malitiæ committere, & de facto committit, censetur peccare mortaliter, quamvis enim non determinet materiam, sive malitiam esse mortalem, exponit se tamen periculo manifesto peccati mortalis ratione apprehensionis, sive suspicionis & dubij practici de materiæ gravitate. Et in hoc sensu cum multo sale intelligendi sunt Doctores, asserentes eum qui committit vel omittit actum cujus commissionem vel omissionē ignorat an sit peccatum mortale vel veniale, sciens tamen esse peccatum, mortaliter peccare ob periculum cui se exponit: Ista enim sententia non est vera nisi suppositis duabus conditionibus: nimirùm: Prima. Quod talis apprehendat malitiam commissionis vel omissionis istius actus sub ratione alicuius notabilis gravitatis. *Nota.* Secunda. Quod advertat aliquod mortalis peccati periculum; aut quod de peccati mortalis malitia practice dubitet. His deficientibus omninò censeo operantem, mortaliter non peccare: Si nimirùm advertat quidem aliquam in actu vel omissione malitiam, non tamen apprehendat sub aliqua notabili gravitate, unde nec formet sibi dubium practicum de mortali, sed in genere relinquat actum suæ naturæ & conditioni. Alias, dicendum esset nunquam licere uti opinione probabili in materia inter Doctores controversa de malitia mortali vel veniali: Quantùcumq; enim quia illorum sententiam sequeretur qui asserent non esse peccatū mortale, subesset tamen semper in omni opinione formido de opposito, & à parte rei fieri potest quod materia sit malitiæ mortalis, & sit periculum. Quòd ergò possit quis sequi opinionē probabilem, est, quia intellectum suum convincit, ut non apprehendat illam ex Doctorum sententia sub materia adeò notabili, etsi determinare eius gravitatem non possit. Sed de his suo loco.

Conclusio III.

VBi nulla est omninò prævia cognitio vel advertentia, nullum est peccatum: Ratiò est: Quia non est actus humanus sive rationalis sed plane naturalis.

Dubium. I.

Incendentale.

Ex quibus causis oriatur inadvertentia quæ à peccato mortali excuset?

Resolutio

INadvertentia quæ à peccato mortali excusat, ex his ferè radicibus consurgit.

1. Ignorantiâ inculpatâ.
2. Oblivione naturali.
3. Distractione humanâ.
4. Improvisione similiter inculpatâ.
5. Turbatione animi.
6. Præcipitantia.
7. Præventione.
8. Violentia.
9. Dolo vel inpedimentis similibus.

I. *Ignorantia inculpatâ*, quæ potest esse *Iuris* vel *Facti*: *Facti* quidem, ut si quis ignoret se ad aliquem actum concurrere. *V. g.* qui dat aut sumit Potionem medicam, Ignorans inculpabiliter quod illa aut fœtum in utero nata sit extinguere, aut infirmo nocere: *Iuris*, ut qui intrat Claustrum Monialium, ignorans id Jure prohiberi. Dixi verò, *Ignorantia inculpata*: Si enim culpabilis sit, ostendemus quod quamvis in se actus illam consequens, peccatum non sit (ut-porè quia involuntarius est) est tamen peccatum mortale in causa; sive in radice; quia Ignorantia ipsa, imò interdum ipsa inadvertentia peccatum mortale est, quia volita aut imperata; aut ex de se mortali originem ducit.

II. *Oblivio naturalis* dicitur, quæ ex labilitate memoriæ, vel in constantia mentis humanæ

manæ oriri solet: ut in eo qui non recordatur diei festi, vel diei iejunij, qui oblitus est aliquam Officij divini partem recitare, peccatum aliquod confiteri. Dicitur vero *Naturalis*: ut distinguatur contrà affectatam, vel procuratam oblivionem, cum quis nimirum, vel adhibuit aliquam industriam ut oblivisceretur, aut noluit reflectere vel diligentiam adhibere, ut recordaretur.

III. *Distractio humana* dicitur: quæ hominibus alijs occupatis, vel ad rem non reflexis contingere solet, secundum quod dicitur: *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*: Et *Impossibile est v[?] sin non tangi* Quomodo quis communiter excusatur ab actuali attentione in officio divino propter similes distractiones.

Dicitur, *humana*: Quia omnibus hominibus ordinariè contingere potest, aut quia ex humana fragilitate oritur: ut semper distinguatur contra affectatam, & eam quæ ex mera voluntate distracti nascitur.

IV. Improvidentia sive improvisio inculpata dicitur: In ijs quæ raro contingere solent, saltem respectu personæ vel loci aut temporis, ut rarum est quod quis potione ordinaria medica, quæ communiter omnibus propinari solet, moriatur: Unde si forte uni ex symptomate aliquo mors eveniat, non censetur medicus plene ad hoc debuisse advertere. Sic Chirurgo aliàs expertissimo potest contingere ex levi aliqua imprudentia, hominem mutilare: cui improvisio erit inculpata, eo quod aliàs sit expertissimus nec ei tales casus contingant, qui alijs minus expertis contingere solent; quomodo etiam solemus dicere. *Quandoque bonus dormitat Homerus*

Dicitur autem (*inculpata*) Quia non tenemur adhibere providentiam tantam nisi in casibus, qui communiter ex factis similibus contingere solent. Sic Tegularius abjiciens regulas, debet videre nè quis transeat: Qui bombardam oneratam explodit, debet providere, quo loco, & qualiter explodat, &c.

V. Turbatio animi, sufficiens est ad inadvertentiam a peccato mortali excusantem quæ talis est, ut vix quisquam etiam alias prudens in istis casibus sibi præsens esse soleat, ut qui in incendio ex turbatione volens fugere, hominem inadvertenter conculcaret & occideret.

VI. Præcipitantia, etiam excusat à peccato mortali, quando ex causa rationabili oritur, ità ut homo præcipitare cogatur. Quomodo, qui agentis animam testamentum scribit, potest ex præcipitantia necessaria, interdum particulam aliquam inculpabiliter omittere, quæ tamen cedat in grave detrimentum personæ.

VII. *Præventione*, etiam in advertentia oritur ut cum quis ex improviso & inopinatè ita præmitur, ut ad regulas prudentiæ aut charitatis advertere non possit: ut quis interrogatus sic inopinatè de aliquo crimine proximi quod celare poterat & debebat, nihilominus ex importunitate interrogationis, non occurrit in præsenti modus eludendi interrogationem, ità ut crimen inordinatè aperiat.

VIII. Violentia censetur, cum quis ab extrinseco ità violenter cogitur, ut plenam advertentiam rationis excludat: *Ex. g.* Adversario urgente & impellente ut ad salvandam vitam Titius fugiat, interim dum fugit, de ponte hominem exturbat, qui & submergitur.

IX. *Dolo* excusari quis judicatur, quandò dolus causam actui dedit, ut Gen. 29. Iacob cognoscens Liam, credens esse Rachelem, &c. Quæ omnia prudenti judicio sunt ruminanda.

QUÆSTIO III.

An ad peccatum mortale requiratur Deliberatio, & qualis?

PRænotandum est primò. Actum voluntatis, ut humanus sit, non tantùm debere procedere ex notitia, sed etiam requirere liberum voluntatis motum in objectum quod actus respicit, unde à S. Augustino. *Liberum arbitrium* dicitur: *Facultas rationis & voluntatis*: *Rationis* quidem, quia notitiam & consilium subministrat (Ratio enim Consiliarius est judicans inter bonum & malum.) *Voluntatis* verò, cujus est movere & imperare aliquid faciendum, aut omittendum (Voluntas enim in anima Imperatoris personam gerit,) undè liberum arbitrium vocatur; à libertate quidem voluntatis imperantis, *Liberum*, ab arbitrando autem sivè à consultatione rationis, *Arbitrium* nuncupatur. S. August.

Prænotandum secundò. His ferè modis Deliberationem perfectam & plenam absolvi. 1. Simplici objecti cognitione sivè apprehensione, abstrahendo à malitia vel bonitate eius Secundo. Apprehensione objecti sub ratione boni vel mali. Tertiò. Consultatione velut speculativa, An in objecto sit bonum vel malum. Quartò. Consultatione practica: An sit faciendum vel omittendum. Quintò. Ex his sequitur actus quintus Rationis concludentis juxta regulas apprehensas benè vel malè fieri posse, vel omitti Sextò. Hac deliberatione posita, Voluntas vel positivè imperat, vel consentit in actum vel eius omissionem. *Explico*. Proponitur Intellectui aliqua delectatio carnis. Primò Petrus illam per modum objecti simplicis apprehendit. Secundò. Reflectitur ad bonitatem vel malitiam quæ illi delectationi videtur inesse. Tertio. Consultati

Actus qui indeliberatione carent.

Consultat: An bonitas vel malitia insit, quartò. Consultat practicè: An isti delectationi hic & nunc sit consentiendum? quintò. Judicat consentiendum non esse quia peccatum est. Hic absolvitur Deliberatio, & relinquitur Domina Voluntas libera, ut sequatur hoc judicium practicum, vel non sequatur: Si sequatur: benè agere ex deliberatione censetur: Si non sequatur: deliberatè peccare censetur, quia contra rectæ rationis judicium, malum operatur.

Prænotandum tertiò. Hanc rationis deliberationem per omnes istas actuum differentias non semper formaliter fieri, sed ut plurimum pro majori vel minori rei apprehensione tantum virtualiter, & absque ferè aliqua temporis mora, & quasi in instanti. Quod contingit ex subtilitate vel activitate ingenii, ex habitu acquisito, vel ex notorietate & claritate objecti, ut quod sit ex primò vel ferè primò notis & ex alijs similibus causis: Unde fit ut Intellectus citò rem propositam penetret, & absque explicita ratiocinatione judicium ferat, ita ut morosa deliberatio ordinariè non nisi in perplexis rebus, vel tentatione, ac turbatione, animi soleat revenire.

Synderesis & conscientia Judiciū æquivalēt Judicio rationis.

Prænotandum quarto. Judicio deliberativo rationis virtualiter sive etiam eminenter æquivalere, Synderesim & Judicium apertum Conscientiæ: Synderesis enim semper abhortet à malo, & movet ad bonum: Judicium Conscientiæ similiter abhortet à malo & suadet bonum. De quorum distinctione suis locis infrà.

Aliud est agere ex deliberatione aliud agere deliberatè.

Prænotandum quintò Non omnem deliberantem agere ex deliberatione, quamvis deliberatè agere dicatur: *Explico*: Deliberatione factâ de non peccando mortaliter, &c. potest quis nihilominus effreni appetitu, motu passionis, libertate nociva & malitiosâ peccare juxta illud.

Video meliora proboque, Deteriora sequor!

ET hic actus dicitur deliberatus, non quia ex deliberatione tamquam ex causa procedit, sed quia deliberationem sequitur, etsi contra illam ex libertate procedat, unde benè notandum est duo in hominis libero arbitrij Judicio contineri: Unum est quod est rectæ rationis & vocatur Judicium Legis Alterum est per modum arbitrariæ Potestatis; voluntas itaque non semper sequitur Judicium legis quod ex deliberatione sequitur, sed ut plurimum Potestatem suam arbitrariam, quâ stat pro ratione Voluntas. His sic prænotatis, pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO. I.

Deliberatio ad peccatū necessaria

AD *peccatum mortale necessario prærequiritur aliqua deliberatio.* Concl manifesta est ex Notabili primò. Actus enim humanus, qui solum peccati est capax, est actus Rationis & Libertatis: Ergo rationis aliquod Judicium sive consilium prærequirit.

CONCLUSIO II.

Quis actus deliberatus sit sufficiens ad peccatum

I*lle actus censetur sufficienter deliberatus ad peccatum mortale in materia gravi & mortali, qui judicium practicum formale vel virtuale rationis sequitur, sive ex illo tanquam motivo procedat, sive ex libertate voluntatis contra rationis judicium fiat*

Dixi (*Judicium practicum*) per quod nimirum aliquid judicatur faciendum vel omittendum, repellendum vel permittendum: Ad excludendum Judicium speculativum quod ex speculativis quibusdā principijs & conceptibus concludit, sine ordine reali ad actionem, Qualibus judicijs frequenter turbantur homines subtiles, speculativi, scrupulosi: qui moralitatem actionis non attendentes, quidquid in Intellectu concludunt, possibile arbitrantur, & inde seipsos & alios torquent.

Dixi etiam (*Judicium*) ad excludendas dubitationes, anxietates, timores, perplexitates quæ ad Judicij veram resolutionem non perveniunt. Unde nec actus consequentes verè deliberati dici possunt. Quod nimis frequens est in Conscientijs illis scrupulosis & turbatis.

Dixi (*Judicium rationis*) frequenter enim fit, ut æstimativa, quæ movet appetitum sensitivum & animalem, concludat aliquid faciendum vel omittendum, imo impellat, contradicente tamen omnino judicio rationis; Quinimo frequenter expertus sum in diversis qui nimia afflictione tentationum & scrupulorum turbati sunt, ipsos continuò moveri per æstimativam modum Judicij rationis imitantem, Diabolo ipso species movente, & resolutiones etiam per modum judicij & imperij, mediante specierum motione, efformante, ita ut afflictus illa discernere nequaquam possit: Cum tamen certum sit. Rationem in omnibus contradicere. Quod advertat Confessarius planè necessarium est. Experietur autem quod hæ velut voces internæ in ipsis formentur, Occide teipsum, Blasphema, CHRISTUS non est in Eucharistia, B. Virgo est impudica meretrix, illam concupisce, si respicias in istum angulum tu maledicis, si respicias hanc plantam, tu dicis: Deus meus es. Imo in carnalibus, etsi animæ sint purissimæ, viso aliquo viro, dicentem audire videntur, Tu illum concupiscis, Tu si posses cum illo peccares, tu respexisti ut concupisceres. Omnia per modum enuntiationis & resolutionis, de quibus cum ex perturbatione non possint judicare: arbitrantur hæc ut plurimum à Diabolo per motionem specierum efformata judicia, vel has enuntiationes à seipsis esse; & sic se & Confessarios minus prudentes & nimis timidos & minutulos torquent.

Diabolus sanè, qui in obsessis corporaliter mira facit & loquitur, non raro, Deo permittente, nostram Imaginativam subintrat & quandoque velut possidet, ut illam varijs motibus, apparentijs, locutionibus fictis concitiat: quæ non aliter afflicto & turbato homini imputanda sunt, quàm ea quæ Dæmon in corpore obsesso contrà voluntatem, imò potestatem obsessi agere solet. His intricantur qui Spiritu blasphemiæ, Spiritu carnis, & impudicitiæ, Spiritu infidelitatis, Spiritu crudelitatis, Spiritu iracundiæ, male in anima & non sine multa corporis etiam noxa, torquentur. Prudenter itaque judicandum est: An ab ipsa Æstimativa per se (habet enim & ista *legem repugnantem legi mentis*:) An à Dæmone, vel interdum ab utroque hæc facta judicia proveniant, ut bene Pœnitenti consulatur; harum enim rerum ignorantia vidi plures animas in extrema pericula ab ijs etiam qui docti volunt esse, præcipitatas, ob inexperientiam rerum, Sed de his etiam alias.

Rom. 7. Vers. 23.

Dixi, *Iudicium formale vel virtuale*) neque enim ad deliberationem omnes isti distincti actus secundo. Not bili politi, in sua formalitate requiruntur, sed eminenter aut virtualiter includuntur, quandò res ut facienda vel repudianda practice voluntati proponitur per Judicium Conscientiæ, synderesim, aut Legem mentis Naturalem. Quinimò: virtualiter Judicium rationis operari existimo: quandò voluntas ipsam impedit ne moveat, imperio suo eam divertendo, suffocando, vel deserendo, ut in obstinatis & malitiosis peccatoribus qui, *nolunt intelligere ut bene agant*, & qui, *oculos suos statuerunt declinare in terram*, ne à cœlo Dei & rationis moverentur

Psal. 35. Vers. 4. Psal. 16. Vers. 11.

Dixi tandem (*sive ex illo tanquam motivo proveniat, &c* ratione jam sæpe dictâ; potest enim arbitraria sua Potestate Voluntas abuti, & motum judicij rationis non sequi.

QUÆSTIO IV.

Quis actus voluntatis requiratur ad peccatum mortale?

Divisiones Actuum voluntatis.

PLures differentias sive distinctiones Actuum voluntatis, ad clariorem intelligentiam ponunt Doctores.

Et primò quidem Actus voluntatis distribuunt: In *Elicitos & Imperatos*: *Actus elicitos* vocant, qui immediate à voluntate producuntur, in ipsaque recipiuntur velut in subjecto, etsi proprie Actus immanentes dici soleant, quia in eadem potentia, à qua procedunt, recipiuntur: Qui quidem Actus his terminis exprimi solent: Volo, Nolo, Amo, Odi, &c. *Actus* verò *Imperati* dicuntur, qui à voluntate quidem procedunt, sed non nisi ministerio alterius Potentiæ vel Facultatis, quæ est causa immediata actus: Et hi per potentiarum aliarum actus designantur: ut volo, vel nolo, cogitare, credere, inspicere, manducare, ambulare, &c. Dicuntur autem *Imperati*, quia ità ab alijs Potentijs exercentur, ut ex imperio & motu voluntatis procedant.

Secundò Actus voluntatis distribuuntur in *Positivos, Suspensivos, & Permissivos. Positivi Actus*, dicuntur; Qui positivè eliciuntur vel imperantur; possuntque declarari his terminis: Volo, Nolo, Concupisco, Odi, volo credere, nolo credere, &c. *Suspensivi* dicuntur; Quia omnem voluntatis actum suspendunt, ita ut in nullam partem voluntas inclinetur. Hoc enim voluntati proprium est, ut non tantùm libertatem possideat respectu diversorum objectorum, ut, nimirum, inter duo contraria unum præ altero eligat, vel absolute non eligat, sed etiam ut omnem suum actum suspendat, ità ut nec velit nec nolit. *Permissivi Actus*, dicuntur; Qui cum voluntatis imperio subjaciant, à Voluntate quidem positivè non imperantur ab illa tamen, cum impedire eos possit, non impediuntur; ut cum quis videt hominem labentem in flumen, quamvis impedire possit, non tamen impedit.

Tertio Actus voluntatis distribuuntur in *Expressos & Tacitos* sivè *Interpretativos. Actus Expressi* ijdem sunt qui & *Positivi* qui, nimirum expressè eliciuntur vel imperantur. *Actus Taciti* sivè *Interpretativi* Voluntatis dicuntur, in quos etsi voluntas per se sive eliciendo, sivè imperando non influat: Voluntati tamen ob aliquam causam vel respectum imputantur: ut qui sit se in Ebrietate constitutum solere fornicari, occidere, &c. Si post hanc scientiam ebrius occidat vel fornicetur, occisio & fornicatio censentur Actus voluntatis Interpretativæ: quia posuit causam, nimirum, ebrietatem, sivè quia ab ebrietate non abstinuit.

Quartò Actus Voluntatis Interpretativæ: Alij sunt *Voluntatis Interpretativæ ex causa positiva*: Alij Interpretativæ ex causa negativa. *Actus Voluntatis Interpretativa ex Causa Positiva* dicuntur: quandò Causa Positiva ex qua oritur actus posterior, à voluntate posita est: ut qui sciens pollutionem secuturam, usus est caldis, etsi eam non intenderit, pollutio voluntaria reputatur. *Actus voluntatis Interpretativa ex Causa Negativa* dicuntur: quando Voluntas nullam quidem causam positivam ad effectum sequentem posuit: quia tamen cùm posset & deberet causam non abstulit, vel agens non impedivit, imputatur voluntati: ut is qui cùm posset & deberet subtrahere ignem ad evitandum incendium, & non abstulit, interpretatur incendium voluisse.

Ex his deducuntur Divisiones, *Voluntarij*: In *Voluntarium Positivum, Suspensivum, & Permissivum*: Item, In *Voluntarium Expressum* sive *Directum*, & *Tacitum* sive *Interpretativum*, vel

vel etiam *Indirectum*. Hæc enim omnia ferè coincidunt. *Item*. In *Voluntarium Interpretativum ex causa positiva*. & *Interpretativam ex Causa Negativa*. Quæ ex Superioribus proportionaliter explicantur. Similiter deducuntur divisiones *Consensus voluntarij* nimirum, in *consensum Positivum*, *Suspensivum* & *permissivum*. Item, in *Consensum Expressum & Directum*, & *Consensum Tacitum, Interpretativum, sive Virtualem*. Quæ latus adnotavimus quia fundamenta sunt eorum quæ dicenda restant, & diversis terminis ab Auctoribus efferuntur.

Nota. Notet autem Lector in superioribus nos Actus Permissivos & Interpretativos vocare Actus Voluntas, non quia necessarium est, ut Voluntatis in aliquem actum exeat sed quia sequentes actus Voluntati imputantur, etsi alterius Potentiæ sint.

Conclusio I.

Actus sufficiente, ad mortale.

OMnis *actus Voluntatis Deliberatus, sive Elicitus, sive Imperatus, sive Positivus & Expressus sive Interpretativus in materia gravi, est sufficiens ad peccatum mortale*: Ratio est: Quia est sufficienter Voluntarius, omnis autem voluntaria transgressio præcepti in materia gravi, est peccatum mortale.

CONCLUSIO. II.

Actus suspensivus quado peccatum.

OMnis *actus voluntatis suspensivus, quando ex præcepto in materia gravi voluntas tenetur exire in actum, est peccatum mortale.* Explico: Tenetur quis exercere actum fidei vel protestationis eius hic & nunc: Si tunc voluntas actum omnem suspenderet nec discredendo nec credendo, peccaret mortaliter: *Ratio est*: Quia in hoc instanti, ut supponitur, tenetur credere.

Dixi: *Quando ex præcepto tenetur exire in actum*: Cum eoim præcepta affirmativa etsi obligent ad sempet, non tamen pro semper, sed pro determinato tempore, extra illud determinatum tempus potest quis suspendere actum ita ut ex imperio voluntatis potentia maneat suspensa; Imò ut infra dicemus, frequenter necessarium est. *Explico*: Etsi Titius teneatur non negare fidem, non teoetur tameo semper actum fidei exercere, imò proposita aliqua veritate fidei, potest Voluntas prohibere intellectum ne exeat in actum eredēdi vel discredendi, sed impetare ut suspendat omnem actum. Quinimò cum gravis tentatio fidei urget à Dæmone immissa, utilius frequenter est omnem actum suspendere, & divertere Intellectum, quam positivè respondere, aut utgere ad aliquos actus positivos. Quandò autem possit voluntas suspendere actus suos, aut teneatur exire in actum, suis locis dicetur.

Conclusio. III.

Actus permissivus quando peccatum.

OMnis *actus Voluntatis Permissivus, quando quis potest & debet ma um in materia gravi impedire, est sufficiens ad peccatum mortale.* Ratio est: Quia hic actus censetur in materia gravi plenè voluntarius.

Dixi primò, (*quando quis potest*) nemo enim aliquod malum permittere censetur, quandò impedire nequaquam potest. *Explico*: A Natura vel Dæmone causantur, gravissimi motus, imò & graves inordinationes in carne, sive ex commotione naturali humotum, sivè ex impressione violenta imaginationis quæ Voluntas impedire non potest; non censetut Voluntas illos motus permittere, quia in ejus potestate non est ut tales motus aut inordinationes in carne non exurgant *Similiter*: In mea præsentia excitatur ignis in domo, si non potui impedire, non censeor propriè permittere.

Dixi secundò, (*Quando quis debet*;) Si enim non teneor impedire, etsi censear permittete inculpabiliter tamen permitto quia malitia oritut ex obligatione, qua impedire teneor, non ex ipso actu. *Explico*: Medicus medetur fœminæ in locis venereis motibus subjectis, ex quo opere sentit in se gravissimos sensualitatis motus quos sedare & impedire posset abstinendo à medicamine: Non peccat non impediendo; nec tenetur abstinere, quia vacat rei sibi licitæ & utili. *Idem est* judicium de Confessario obscæna in Confessione audiente, ex quo oriuntut motus etiam graves in sensualitate, tenetur tamen impedire consensum voluntatis in delectationem pravam, quia talis consensus prohibitus est. Quandò autem quis teoeatur impedire causas similium motuum, infrà dicetur.

Conclusio IV.

Actus Interpretativus quando peccatum.

ACtus *sive Consensus Voluntatis Interpretativus in materia gravi, sufficiens est ad peccatum mortale*: Ratio est quæ suprà; Verè enim voluntas censetur volens, & consensus sive actus positivus vel negativus judicatur voluntarius.

Petes primò. Quandò censeri debeat consensus sive actus voluntatis interptetativus ad hoc ut sit sufficiens ad peccatum? *Respondeo*: Tria requiti ut quis dicatut in actum malum sivè prohibitum Interptetativè consentire, vel ad ipsum actum Interpretativè concurrete.

Primò. Quod advertat ex vi causæ positæ vel suæ negligentiæ, aut taciturnitatis & tergiversationis oriri malum sive peccatum, aut saltem illius periculum grave, sive proximum; eadem enim est ratio quæ voluntatis formalis, quæ ubi est inculpabilis advertentia, noo imputatut ad peccatū juxta dicta.

Dixi (*ex vi causa à se posita vel suæ negligen-*

tia oriri malum :) Si enim advertat quidem malum oriri, non advertat autem ex vi causæ à se positæ vel suæ negligentiæ originem ducere, non censetur interpretativè consentire. *Explico* : Qui nunquam aliquem percussit in ebrietate, nunquam carne lapsus est, &c. etsi sciat in genere ebrietatem percussionis, fornicationis, &c. frequenter causam esse: si ex vi ebrietatis in homicidium vel fornicationem cadat, non censetur interpretativè in illa consensisse : Quia non sufficit advertere in genere aliquam malitiam oriri posse, sed debet hic & nunc advertere, ex alijs actibus, se cadere solere, vel periculum sibi esse fornicationis, percussionis, vel alterius mali : *Similiter* : Comedit quis calidos cibos ad venerem, & pollutionem sni naturâ excitantes: Si non advertat periculum pollutionis, utpote quod sibi ex similibus pollutiones nunquam acciderint, non censetur supervenienti pollutioni consentire. Et sic de infinitis similibus exemplificari potest.

Secundò. Necessarium est : ut advertat se posse tale peccatum impedire, vel per subtractionem causæ, vel per aliquam vigilantiam & modum qui in sua si potestate. *Explico* : Ioannes patitur gravissimas tentationes & motus carnis, neque ob vehementiam vel turbationem occurrit illi modus sedandi, si enim resistat positivè magis accenduntur, si se moveat etiam causa impediendi, pollutiones ebulliunt : Etsi alius modus cohibendi illos motus suppeteret; quia tamen illi non occurrit, quidquid tunc inordinatè evenir, non imputatur illi, nec censetur voluntas interpretativè consentire; Quia medium quo illos impediat, non advertit.

Tertiò. Debet advertere se obligari & teneri ad impediendum, sivè ad causam tollendam. Si enim non obligetur, vel obligationem suam non advertat, non censetur similiter interpretative consentire. *Explico* : Pauper famæ moritur, cui succurrere Petrus potest & debet juxta illud S. Ambrosij : *Si non pavisti, occidisti* : Petrus tamen non advertit extremam illam necessitatem, in qua tenetur pauperi eleëmosynam tribuere: quia putat mortem non ex fame, sed ex alio morbo oriri : non censetur interpretative consentire in mortem pauperis, quia non advertit mediante eleemosyna in hoc casu se teneri illi succurrere. *Similiter* : Medicus medicando partes secretiores Fœminæ, Confessarius audiendo Confessiones, vel libros legendo pro sua instructione ad intelligenda peccata carnis, advertunt se gravibus motibus carnis concuti, & abstinendo vel istas occasiones fugiendo, tales motus vitare posse: Etsi non cessent ab istis causis & occasionibus, non censentur interpretative in aliquod peccatum consentire : quia non tenentur cessare sive abstinere :

S. Ambr.

Vacant enim actibus licitis & utilibus : maximè si experti sint se satis fortes ad præcavendum nè voluntas in malitiam aliquam consentiat : pro ut diximus suprà de actu sivè consensu Permissivo qui ferè cum Interpretativo consensu concurrit.

Petes secundò. Quando quis censeatur teneri ad tollendam causam peccati; vel impediendum malum ? *Resp.* Id attendi debere ex præceptis obligantibus : Aliquando enim præceptum Iustitiæ, aliquando præceptum charitatis ad hoc obligat. Et quidem duas pono Regulas.

Regula I.

Omnis homo tenetur, si potest, tollere causam proximam, vel vitare, seu impedire proximum & evi'ens periculum peccati mortalis in se ipso sub mortali. Ratio est. Quia omnis homo tenetur vitare peccatum mortale : Qui autem non tollit causam proximam, vel non vitat sive impedit periculum proximum, ubi potest, censetur interpretativè consentire in peccato mortale: juxta illud : *Qui amat periculum, in illo peribit.* Eccl. 3. vers. 27

Dixi (*causam proximam vel periculum proximum* :) non enim semper tenetur vitare quodcumque periculum etiam grave, quandò aliqua spes probabilis adest, effectus non secuturi.

Explico: Vadit quis ad Infideles convertendos, probabiliter autem advertit periculum nè ipsemet seducatur : Si aliquam spem habet tum in Deo, tum in firmo suo proposito quod se conservare possit, etsi sit aliquod periculum. Zelo charitatis se potest exponere. Idem dicendum de eo, qui quamvis sentiat se motibus carnis valde subjectum, nihilominus cum spe fructus vadit ut prædicet meretricibus in meretricio, ubi non modicum sibi imminet periculum, non tamen proximum, quia fide in Deum, & firmo proposito non peccandi, armatur ; tunc enim non censetur amare periculum, sed illud ob meliorem finem cum spe evadendi subire.

Dixi (*in se ipso*) aliud enim est de peccato alieno, pro ut sequenti Regula explicabitur.

Regula II.

Non tenetur quis impedire peccata aliena, vel causas tollere : nisi in quantùm ipse causam moralem eorum posuerit, vel præcepto aliquo Iustitiæ aut charitatis ad id obligatur.

Dixit *nisi in quantùm ipse causam moralem posuerit* :) Qui enim causam directam posuit, tenetur illam si potest, tollere vel revocare : ut, teneor tollere occasionem datam scandali, & in peccatis alienis, si jussi, si consului, si auxilium promisi, si ex mea adulteratione, vel meo recursu quis peccat, teneor

Justio-

jussionem revocare, consilium retractare, auxilium negare, factum vel faciendum condemnare, recursum impedire, &c. Secùs est si ex causa posita non sequatur moraliter peccatum, sed aliquis ex sua fragilitate vel malitia occasionem peccandi accipiat: ut patet in scandalo accepto & non dato: Non enim teneor ego relinquere prædicationem vel correctionem, quia tu irasceris, blasphemas, desperas, &c. nec debeo omittere necessarias in Confessione interrogationes, ex eo quod accipis inde occasionem te ad motus pravos excitandi.

Dixi (*vel præcepto aliquo Iustitiæ aut charitatis obligetur:*) ut de Prælatis respectu Subditorum, de Patre-Familias respectu filiorum, de quolibet respectu proximi Præcepto charitatis urgente, explicari potest, & in singulis Præceptorum materijs explicabitur.

QUÆSTIO V.

An in motibus Sensualitatis & aliarum à voluntate Potentiarum actibus, possit esse peccatum?

Sensualitas dupliciter consideranda. PRo accurata resolutione hujus quæstionis, *Advertendum* primò. Sensualitatē duobus modis considerari posse: Vno modo in se & simpliciter, pro-ut continet Potentias Sensitivas tam internas, quàm externas, ipsumque Appetitum Sensitivum: Et hoc modo reperitur in amentibus, furiosis, freneticis, infantibus, estq; hominibus brutisque communis. Altero modo respectivè, ut est à ratione ordinabilis & aliquo modo ei subjecta; sive pro-ut alij loquuntur, ut est humana.

Triplices Animæ motus. *Advertendum* secundò. In Anima quantùm ad hanc materiam spectat, triplices motus reperiri, scilicet: Naturalis, sensitivus, Rationalis. *Motus Naturalis* dicitur, quem naturalium qualitatum dispositio gignit, sive qui ex viribus Animæ naturalibus procedit; ut est fames, sitis, & actus animæ vegetativæ & generativæ, & generaliter appetitus cujusvis delectabilis in natura.

Motus Sensitivus est, qui ex apprehensione Imaginativæ Appetitum sensitivum sequitur. Et iste competit sensualitati pro-ut per rationem est dirigibilis.

Motus Rationalis est qui in Ratione ratiocinante fit, vel à Ratione procedit, ut sunt deliberatio in intellectu, delectatio vel consensus à Voluntate elicitus aut imperatus.

Motus primo-primi. *Advertendum* tertiò. A Theologis distingui *Motus in Primo Primos*, & *Secundo-Primos*. *Motus Primo-Primi* dicuntur, qui omnem rationis usum an. evertunt, sive præveniunt: Et quamvis ab aliquibus hi motus in sola sensualitate pro-ut natura est, agnoscantur, nihilominus etiam in imaginativa & appetitu sensitivo, ac etiam in parte rationali, quatenus natura, non tamen quatenus libera est, sunt agnoscendi: Sicut enim contingit frequenter hominem titillationem in carne sentire & quandam delectationem sive appetitum delectabilis naturalis, per commotionem naturalem qualitatum delectabilium à sensualitate, ut natura est, excitatam vel etiam à Dæmone per humorum excitationem procuratam: Ita contingit non tantum in Sensibus & Imaginativa sive Appetitu sensitivo, sed etiam in intellectu & voluntate, pro-ut naturales Potentiæ sunt, non pro-ut liberæ, motus subitaneos excitari: Hi verò Primò-Primi sunt, qui omnem alium motum præveniunt & primò excitantur, omnemque reflexionem rationis præcurrunt: Ut subita cogitatio mala, subita inclinatio voluntatis quatenus natura est, in aliquod delectabile ante omnem advertentiam alicujus bonitatis, vel malitiæ moralis.

Motus Secundo-Primi. *Motus Secundo-Primi* dicuntur, qui rationis quidem advertentiam & aliquem usum consequuntur, perfectam tamen advertentiam & judicium deliberatum rationis antecedunt. Vnde & Secundò-primi dicuntur, quia primos aliquos motus præsuppōnunt. Tales sunt delectationes in sensualitate vel appetitu sensitivo quatenus ad partem sive Potentias Rationales transmittuntur, & pars quidem rationalis, imò & Voluntas aliquo modo circa illa occupatur, antequam perfectè dijudicet vel deliberet. quod ut melius intelligatur.

Gradus à sensibus ad Rationem. *Advertendum est* quarto. His ferè gradibus rerum species ad Potentias Rationales transire: Primò. Enim Sensibus externis res percipiuntur, & in ipsa Sensitiva natura, delectationem aut fugam aliquam naturalem excitant. Secundò. Illa delectatio vel fuga species per sensum communem ad Imaginativam vel Æstimativam transmittit, appetitumque sensitivum allicit, aut affligit. Tertiò. Dijudicanda ad Rationales Potentias Intellectum & voluntatem; mediantibus speciebus intellectivis, transmittit. Quartò; Potentiæ Rationales circa hujusmodi objecta, pro-ut amplectenda vel fugienda sunt, versantur, absque tamen judicio vel deliberatione perfecta. Quintò. Completur judicium perfectaque deliberatio, & Domina voluntas quod vult, amplectitur. Omnes itaque motus qui omnem rationis reflexionem vel advertentiam præveniunt, *Primò-primi* dicuntur; in quacumque tandem Potentia sint excitati: Qui verò ad Potentiam Rationalem & aliquam ejus advertentiam & usum perveniunt, plenum tamen judicium & deliberationem antecedunt; *Secundò-Primi* dicendi sunt. Qui verò plenum judicium & deliberationem saltem virtualem consequuntur, *Actus voluntatis completi* denominantur.

Advertendum quintò. Motus *Primò Primos* & *Se-*

& *Secundo-Primos* non tantum reperiri in motibus carnis, sed in motibus quarumlibet potentiarum, *Ex. g.* in motibus Iræ, Odij, Superbiæ: Sæpe enim contingit ad subitaneum occursum inimici hominem expallescere, sentire ebullitionem sanguinis circa cor, aversionem & excandescentiam in appetitu sensitivo: motus etiam aliquos in Intellectu & Voluntate necdum plenè advertente aut deliberante quid agendum, aut fugiendum sit. *Similiter* evenit hominem naturali quâdam aversione alterum odire: motibus etiam subitaneis superbiæ concuti, eos in Intellectu versari, antequam deliberet. In his omnibus & similibus motus *Primo-Primos* dicimus, antequam ad Intellectû Rationalem perveniant: *Secundo Primos* quando jam adhuc in deliberatione semiplena versantur.

Motus primo-primi & s. primi in omnibus potentijs.

Advertendum sextò. Motus planè Naturales sicut & *Primo-Primos* non subjacere ulli Voluntatis dominio aut imperio, & consequenter non esse in potestate nostra: *Ratio est*: Quia ut dictum est, omnem Rationis usum prævertunt: unde à Ratione vel Voluntate dirigi non possunt. Motus vero sensitivi & *Secundo-Primi* sub semi-pleno & imperfecto dominio voluntatis censetur: Quia etsi Voluntas non possit impedire quo minùs insurgant, potest tamen interdum impedire ne continuentur, aut saltem ne ulterius usque ad delectationem vel consensum procedant. Soli itaque Motus Rationales qui Judicium rationis vel deliberationem, perfectam sequuntur, dominio pleno & perfecto Voluntatis subijciuntur. *Explico*: Ne graves titillationes & inordinatissimi motus in carne oriantur aut continuentur, voluntas non potest impedire: Quia hi ex qualitatibus & humoribus naturalibus excitantur in parte brutali & sensualitate, ut natura est, nec sunt in potestate voluntatis, unde nec illos voluntas per se sedare potest tamen Voluntas impedire ne Partem Rationalem ad se alliciant, & ne ad plenum & deliberatum consensum aut delectationem promoveant. Quæ omnia à Confessarijs bene libranda sunt, ut tentationes alias intricatissimæ discerni possint. His igitur sic prænotatis sit,

Motus Naturales & primo primi non subjiciuntur voluntati.

CONCLUSIO I.

In motibus primo-primis nullum peccatum.

IN *motibus purè naturalibus & Primo-primis nullum peccatum esse potest, nec mortale, nec veniale* Ratio Fundamentalis est: Quia hujusmodi motus in nostra potestate nullatenus sunt, & ut supra docuimus, ita omnem Rationis usum præveniunt, ut nec Ratio nec Voluntas in eis dominium habeat, nullus verò actus bonitatem vel malitiam in genere moris sortitur, nisi respectu facto ad Voluntatem à qua sit regibilis. Ex qua Conclusione patet: quam imprudenter se gerant Confessarij, qui pœnitentes suos vexant & torquēt, ut hujusmodi motus confiteantur, & in eorum examine, ac deprehensione cum multo animæ detrimento, & sæpe cum periculo delirij se fatigent, quibus magis consolationem & securitatem dare expedit, & talium motuum Confessiones prohibere cum non sint peccata, & consequenter nec materia huius Sacramenti: Sed de his particulariter infra.

CONCLUSIO II.

MOtus Appetitus sensitivi & Secundo primi *cum ad rationis aliquem tantummodo usum, & exercitium pertingunt: interdum nullum sunt peccatum, aliàs tantum sunt veniale.* Ratio est: Quia ut supponitur ex doctrina superiori, plenum judicium Rationis & deliberationem antevertunt, nec Voluntas in eis nisi semi-plenum dominium habet, unde si statim ubi Ratio advertit, Voluntas ab eis avertatur, & satagat illos reprimere, nullum omninò peccatum erit: Sin Ratio hallucinetur & tergiversetur, ac Voluntas negligenter se habeat, imo aliqualiter eis condescendat, tantum veniale peccatum erit; tum ratione negligentiæ, & hallucinationis; tum defectu pleni Judicii rationis, & perfectæ deliberationis. Quod iterum debent advertere Confessarij, tum ut non fatigent, tum ut benè instruant Pœnitentes, in his enim infinitas indiscretiones, & periculosissima animabus consilia ego ipse deprehendi.

Quid de motibus Secundo-primis.

CONCLUSIO III.

SOli *actus sive motus rationales plenam advertentiam & deliberationem consequentes, peccata mortalia esse possunt.* Patet ex dictis de plena advertentia & deliberatione. *Ratio est*: Quia soli illi motus pleno dominio Voluntatis subjiciuntur. Rationales porrò motus voco omnes, qui etsi in aliis Potentijs exurgant, à Ratione tamen diriguntur per consilium & deliberationem, & circa illorum fugam vel prosecutionem suum plenum dominium exercet domina Voluntas.

Quid de motibus Rationalibus deliberatis.

QUÆSTIO VI.

An in sola delectatione voluntaria absque ordine ad actum malum, possit esse peccatum?

PLura iterùm prænotanda. Primum, Varias hic nos debere distinguere delectationes. Alia enim est *sensitiva* sive *corporalis*. Alia est *Spiritualis*. *Sensitiva* sive *corporalis* dicitur, quæ in appetitu sensitivo & de bono sensibili est: ut delectatio, quæ est de aliqua titillatione, & quadam jucunda, blanda, seu sensibili

Delectatio sensitiva quæ?

sensibili affectione carnis, de suavitate cibi & potus, de jucundo auribus sono, de colore oculis grato: Et hæc delectatio nihil est aliud, quam quædam appetitus sensitivi quies in bono quod conveniens sibi apprehendit. *Spiritualis* vero, sive *Intellectualis* delectatio est, quæ in appetitu intellectivo, & de bono intelligibili, sive secundum Intellectum originem dicit.

Delectatio spiritualis quæ.

Rursùm *Delectatio*: Alia est *purè Naturalis*: Alia *Voluntaria*. *Delectatio purè Naturalis* dicitur: Quâ qualibet vis sive potentia naturalis in objecto conveniente naturaliter sibi complacet: ut Intellectus in vero, Voluntas in bono, Auditus in sonis, Visus in coloribus, &c. *Delectatio* autem *Voluntaria*: Quæ apprehensionem rationis & judicium, imperiumque voluntatis consequitur, respicitque Rationem & Voluntatem pro-ut ab ijs dirigibilis & ordinabilis est.

Delectatio purè Naturalis. *Delectatio voluntaria.*

Secundùm. *Prænotandum est*: Delectationem purè naturalem, sive qua naturalis est, esse planè indifferentem ad bonitatem vel malitiam (cum sit tantum complacentia potentiæ in objecto sibi naturaliter convenienite (sed bonitatem vel malitiam illi advenire ex eo dumtaxat, quod à Ratione & Voluntate quâ libera est, secundùm leges divinas vel humanas dirigi debet. Quod non tantum intelligitur de delectatione potentiarum corporearum, sed etiam de delectatione potentiarum intellectivarum: Delectatio enim Intellectus de vero, & Voluntatis de bono naturaliter, sive quâ natura & potentiæ naturales sunt, est indifferens ad bonum & malum morale. Bonitas namque & malitia oriuntur ex eo quod delectatio sit vel debitè secundùm leges regulata & moderata, vel quatenus à legibus declinat vel deficit; Unde Intellectus potest sibi complacere & delectari de vero benè & peccaminosè: Et Voluntas de bono etiam meritoriè & demeritoriè sive cum peccato; in quantùm nimirùm tales delectationes ad regulas legum dirigi debent. *Explico*: Delectari de actu venereo, actus per se indifferens est: Si enim intra terminos liciti actus conjugalis fiat, tam quoad complacentiam Intellectus, quam voluntatis, actus est bonus bonitate moris: Si vero delectatio fit de actu pro-ut illicitus est & extra actus legitimos conjugij, mala & illicita est: Similiter exemplificari potest de delectatione gustus in cibo & potu; est enim per se indifferens: sed si à Ratione & Voluntate reguletur intra temperantiæ fines bona & honesta est: Si temperantiæ limites excedat, mala est & inhonesta.

Delectatio purè naturalis indifferens ad bonum vel malum.

Tertium *Prænotandum est*: Delectationes sensitivas sive corporeas ab intellectualibus variè distingui. Primò. Quod sensitivæ & corporeæ cum immutatione aliqua corporali seu alteratione fiant, ut constat de delectationibus appetitus sensitivi, qui secum inducunt passiones diversas in carne: Delectationes verò intellectuales sive de re spirituali, nullam immutationem faciant in corpore. Unde si quæ alterationes oriantur in personis speculativis ex earum speculatione, attribuendæ sunt Imaginativæ vel apprehensivæ corporeæ, aut alteri potentiæ corporali concurrenti.

Distinctio inter delectationes sensitivas & intellectuales.

Secundò. Corporeas delectationes esse totius compositi, licet à corpore & sensu denominentur: Nam propter connexionem & ordinem naturalem qui est inter potentias corporeas & spirituales, vix fieri potest nisi in fatuo aut dormiente, ut delectatio aliqua in appetitu sensitivo aut corpore suboriatur, quin sui speciem ad Intellectum & potentias rationales transmittat, quæ naturaliter condelectantur: Intellectualis delectatio è contra in potentijs intellectivis remaneat, quamvis interdum ex redundantia aliqua ob collationem & quamdam concurrentiam aliquæ transmutationes delectabiles fiant in corpore, ut in Sanctis aliquandò experimur, sed illud non tam intellectuali delectationi est attribuendum, quam corporalibus potentijs per aliquam impressionem corpoream commotis, ut supra notatum est.

Quartum. *Prænotandum*: Duplicem iterum nos distinguere debere quoad hanc materiam, Delectationem in potentijs intellectualibus: Alia est enim *Naturalis*, quæ ex connexione naturali & ordine potentiarum sensitivarum & intellectivarum oritur naturaliter: Ea eo enim quod sensitiva apprehendat objectum sibi delectabile & Appetitus sensitivus in eo sibi complaceat: Intellectus etiam apprehendit illud ut sensui conveniens & Voluntas ex amore proprio quem habet ad corpus, etiam delectatur: Alia verò est *Delectatio Rationalis & libera*, quæ sequitur judicium & apprehensionem Rationis & imperium Voluntatis liberè operantis. Ex eo enim quod Intellectus & Ratio proponat Voluntati delectationem in Appetitu sensitivo excitatam ut licitam & prosequendam, vel illicitam & fugiendam: Voluntas delectationem liberè vel eligit eique consentit, vel refugit & liberè ab ea dissentit.

Delectatio intellectualis naturalis. *Delectatio intellectualis rationalis.*

Hanc porrò distinctionem quæ multùm ponderanda est, experientia quotidiana manifestat: dum contraria simul inesse Animæ sentiuntur: sit enim frequentissimè quod homo delectationem summam in carne & appetitu sensitivo sentiat: & simul summam aversionem, pœnam & tristitiam in mente sive parte rationali: ut in muliere quæ violentiam in coitu patitur. Et è contra: fit ut delectationem magnam in mente & parte rationali quis patiatur, cum tamen summi dolores in parte sensitiva causentur, etiam respectu ejusdem objecti, ut in Martyribus qui de tormentis ipsis gaude-

gaudebant, eò quod digni essent pro nomine IESU tormenta & contumeliam pati: Quin-imò potest fieri ut Voluntas, quâ natura est, condelectationem aliquam sentiat ob necessariam connexionem quam habet eum appetitu sensitivo, in qua delectatio aliqua corporea prædominatur: & nihilominus quâ libera est & rationis judicium sequitur, delectationem illam summè refugiat & summam tristitiam & afflictionem de tali passione sentiat. Quò referri debent istæ contrarietates quas exprimit S. Paulus ad Rom. 7. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Et supra: *Non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, id est, peccati fomes & concupiscentia ac sensualitas naturalis quæ & lex peccati, quæ est in membris, nuncupatur. Huc etiam pertinebat collaphisatio, quam ei faciebat *stimulus carnis Angelus Satanæ* qui Paulum collaphisabat: cui ad se servandum immunem, etiam ipsâ vexatione & stimulo perseverante & permanente, sufficiebat gratia Dei. Hæ sunt contradictiones & contrarietates motuum & actuum quas experiuntur plurimæ etiam innocentes & purissimæ animæ absque aliquo detrimento transeuntes quasi per ignem; propter quas nec turbari debent, nec à Confessarijs, ut fieri assolet, indiscretissimè perturbari: In illis enim anima potius patitur violenter, & per modum naturæ quàm agat; nonnecessat tamen Voluntas liberè agere, & fortiter nolle, ut ex tristitia & aversione illius manifestè colligitur, quamvis sensibilior sit delectatio, quia sensui proximior, imò sensui immersa.

Rom. 7. Vers. 22.

2 Cor. 12. Vers. 7.

Quintùm. *Prænotandum*, Aliam iterum statui distributionem Delectationis in *Morosam & non Morosam*. Rursùs in *Morosam* morositate sive mora sola temporis, & in *Morosam* morositate consensus & complacentiæ. *Morosa* delectatio morositate consensus & complacentiæ illa censetur, quandò cum Intellectus sive Rationis plenâ advertentia, Voluntas in actu vel omissione alicujus præcepti cogitata, sive per modum ruminationis delectabilis sibi complacet & delectatur, sive in ista mentis repræsentatione quasi quiescit: etsi in actum nullatenus vellet exire: E contra *Non morosa* dicitur, quandò circa delectationem ante judicium plenum, Voluntas versatur, ipsam tamen aut repellit, aut ei consensum negat, ubi plena advertentia mali vel judicium rationis malum esse demonstraverit. *Morosa* etiam sola morositate temporis dicitur, quandò diu quidem in animo versatur, sed vel Ratio non plenè advertit, vel circa illam sedandam occurrentibus medijs occupatur, etsi non nisi longâ mora eam evincere possit. Exempla cuilibet prudenti sunt ad manum: Sunt enim qui in cogitatione de actu venereo liberè delectantur, etsi actum venereum nollint committere. Sunt & qui circa delectationem in appetitu sensitivo ortam ad eam expellendam aliquo tempore argumentantur: sunt denique qui subitis motibus vigilantia quadam animi primò occurrunt, & vel per diversionem aut resistentiam, sive alio modo illam sedant. Primi dicuntur morosam delectationem morâ consensus pati: Secundi morâ temporis: Tertij nullâ morâ eam retinere.

Delectatio Morosa vel non.

Delectatio Morosa morositate consensus.

Delectatio Morosa morositate temporis.

Sextùm. *Prænotandum*, Delectationem posse esse aut de ipsa sola cogitatione sensitiva actus ob subtilitatem, modum, aut rationem aliquam, sine ullo respectu ad malum vel illicitum: Aut de actu vel omissione cogitata prout inordinationem habet & malitiam moralem. His ita prænotatis sit.

Delectatio de cogitatione sola.

Delectatio de actu.

Conclusio I.

Nulla delectatio in re illicita cogitata, *ratione solius moræ temporis, est peccatum mortale, si absit consensus deliberatus Voluntatis*. Ratio clara est: Quia talis absolutè non est Voluntaria, nullum autem est peccatum nisi voluntarium.

Delectatio morosa solâ morositate temporis non est peccatũ mortale.

Dixi (*ratione solius moræ temporis*) posset enim esse peccatum ratione gravis negligentiæ, vel proximi periculi peccandi mortaliter, cui sciens, advertens, & volens aliquis se exponeret, in illam ora, & tunc non diceretur peccatum mortale ratione solius moræ temporis quâ quis immoraretur, sed ratione negligentiæ voluntariæ & gravis, sive proximi periculi, quod tenebatur quis hic & nunc declinare. *Explico*: Sentit quis ex cogitatione sive re aliqua illicita cogitata illecebram seu delectationem in se perdurare, & quamvis nec ad actum inclinetur, nec delectationi illi positivè consentiat, advertit tamen periculum evidens consensus imminere, nisi divertere conetur; interim negligit, & permittit illam illecebram remanere, censetur peccare mortaliter ob negligentiam & interpretativum consensum: Qui enim cum advertit & potest, non impedit cum impedire teneatur, consentire censetur.

Conclusio II.

Nulla delectatio in re illicita cogitata *deliberatum consensum Voluntatis antecedens vel præveniens, est peccatum mortale*. Ratio sumenda est ex sæpe dictis: Quia ad peccatũ mortale requiritur consensus deliberatus qui, ut supponitur, hic non concurrit; quia delectatio illa antecedit consensum deliberatum.

Delectatio indeliberata non est peccatum mortale.

Dixi notanter (*consensum deliberatum antecedens*,)

cedens,) propter motus delectationis subitaneos, aut etiam eos qui non obstante aliquâ resistentiâ vel dissensu, inhærent & afficiunt appetitum sensitivum & intellectivum; Unde juxta rationem negligentiæ vel imperfecti alicujus consensus aut defectus alterius, ad veniale peccatum imputantur, ad malitiam tamen peccati mortalis pervenire non possunt, quamdiu deliberatus consensus non præstatur.

CONCLUSIO III.

Delectatio de sola cogitatione abstrahitiva non est peccatum.

D*electatio voluntaria & deliberata de sola rei cogitatione pro ut abstrahit ab illicito vel licito, non est peccatum.* Pro vera intelligentia hujus Conclusionis repetenda est divisio posita in ultimo prænotato ante conclusionem primam: Insuper addendum tria objecta in delectatione cogitata reperiri posse. Primum & principale est ipsa res delectabilis quæ cogitatur, sive quæ cogitationem terminat. Secundùm est perceptio istius delectabilis in appetitu sensitivo vel intellectivo. Tertium est cogitatio sive cognitio rei delectabilis, quatenùs à potentia est percepta, sive quatenus de facto delectat. *Ex. g.* Delectatur aliquis in visu rei pulchræ; vel gustu rei saporosæ, vel in rememoratione alicujus delectationis acceptæ. Primum objectum est res illa quæ videtur, gustatur, rememoratur. Secundum est ipsa perceptio objecti delectabilis, sive conjunctio illius cum potentia delectante quam consequitur delectatio. Tertium est ipsamet cogitatio sive actus Intellectûs cognoscentis hujusmodi delectationem: Hoc benè considerato, sensus Conclusionis est: Delectatio habet ipsa solam cogitationem, sive cognitionem ipsius delectationis, non autem ipsam rem de qua est delectatio, aut ipsammet delectationem quæ ex re delectabili in potentijs Appetitivis percipitur, non est peccatum.

Ratio est: Quia talis cogitatio est plane indifferens ad bonum & malum, imò si benè circumstantionata sit, potest esse bona & meritoria.

Explico: Debet quis concionari vel disputare de impudicitiatibus, delectationibus carnalibus, & aliis illecebris: Ut bene exprimat suos conceptus, necessarium est ut animo revolvat impudicitias, & earum modos, motus, & delectationes in illos occurrere solitas, ex quibus conceptibus benè formatis nascitur quædam complacentia & delectatio super elegantia, subtilitate & modis illorum conceptuum: Talis delectatio sequitur bonitatem finis ad quem refertur, unde si Concio & Disputatio ad quam refertur, sit meritoria & licita, ipsa etiam cogitatio erit meritoria & licita. *Ratio est*: Quia illa delectatio non est de re vel delectatione illicita, sed de cogitatione & conceptu; Ita ut cogitatio sola & conceptus sint eius principale objectum, etsi non possit non etiam attingere remotè rem illam & delectationem quam conceptus includit. Unde hæc delectatio est omninò distincta & posterior illâ quæ ex re delectabili illicita cogitata in Potentijs appetitivis percipitur.

CONCLUSIO IV.

Delectatio de re illicita cogitata est peccatum mortale.

O*Mnis & sola delectatio de re illicita cogitata in materia gravi ad quam sequitur consensus deliberatus Voluntatis, est peccatum mortale.*

Pro cujus Conclusionis manifesta declaratione, præter ea quæ ante Conclusiones sunt prænotata, advertendum est: Voluntatem circa delectationem hujusmodi in Potentijs perceptam diversimodè se habere posse. Primò ut subitò præventa. Secundò ut inadvertens. Tertiò ut negligens. Quartò ut abjiciens & recusans. Quintò ut reprimens. Sextò ut expressè consentiens. Quæ omnia sic declarantur. Primò, Contingit enim Voluntatem subitaneo quodam motu delectationis illecebrosæ quasi impelli, & ante omnem deliberationem præveniri: Et hic delectationis motus ex se nullum peccatum, nequidem veniale inducit; sed ut plurimùm ad motus primò-primos pertinet Patitur enim magis Voluntas quàm agat, & ad subitaneum illum motum vix potest attendere

Varij gradus Delectationis.

Secundò, contingit in Imaginatione unò & intellectu cogitationes multas vagas, varias, & somnijs similes versari, ex quibus delectatio suboritur; Sicut autem ex distractio, ne aliqua vel somnolentia naturæ, Intellectus super cogitationibus non reflectitur, sic non advertit delectationem quæ ex illis oritur: Quamdiu durat ista inadvertentia etiamsi ad plures horas duret, tamdiu delectatio ad peccatum mortale non potest imputari. *Ratio est*: Quia stante tali inadvertentiâ, sicut nulla deliberatio ponitur, sic deliberatus consensus sequi non potest: Dico (*ad peccatum mortale*,) illa enim somnolentia vel distractio potest causare peccatum veniale.

Tertiò, Contingit hominem quidem advertere delectationem illam pravam & illicitam & Voluntatem illam ex negligentiâ nolle repellere, quamvis nec positivè velit admittere, sed quasi permittit inferiori parti ut delectetur: In hoc casu censetur interpretativè consentire; Unde si sit negligentia culpabilis in materia gravi & sufficienti, peccatum mortale erit, aliàs ob levem negligentiam vel defectum, aut materiam levem, veniale.

Quartò, Contingit Voluntatem statim ut Ratio advertit, delectationem illam recusare, vel abjicere divertendo, suspendendo omnem consensum; & simpliciter nolendo dare consensum. Hic actus est meritorius ac bonus, & si diligenter fiat, etiamsi con-

contingeret delectationem multis horis ; imò diebus immorari in Potentijs, nullum peccatum inducit. *Est enim* (ut ait Gerson) *ista operatio potius delectationis præsentatio sive oblatio, quam vera delectatio respectu Rationis & Voluntatis.*

Cancel. Gerson.

Quinto, Contingit quòd oblata sivè præsentata illa delectatione, positivè tum Ratio, tum Voluntas illam conetur fortiter reprimere per positivas resistentias, & media positiva. Et tunc quamvis pugna illa per plures dies duraret, nec delectatio omninò supprimi posset: tantum abest quod homo peccet, quinimo summè mereatur.

Sexto, Contingit Voluntatem positive in delectationem illam sic perceptam, deliberatione sufficienti posita, positive consentire & illi acquiescere, sive velle frui illa, & tunc quamtumcumque parvo tempore etiam imperceptibili consentiat, si deliberate consentit, censetur peccare mortaliter, & delectatio illa vocatur Delectatio morosa, non à mora temporis, sed à mora consensus, quia consensus illam delectationem amplectitur, & velut in illa conquiescit, & quasi moratur. Et ex his patet Conclusio quæ his Regulis exprimitur.

REGULA I.

Quis consensus in Delectationem mortalis.

QVandocumque post sufficientem advertentiam & deliberationem Rationis, *Voluntas consenit formaliter vel interpretative in aliquam delectationem internam de re quacumque illicita in materia gravi, etsi nullatenus consentiat, in actum, imo positive dissentiat, quantumcumque parvo tempore illa delectatio duret, peccat mortaliter.*

Dixi (*post sufficientem advertentiam & deliberationem;*) si enim Ratio non advertat, ut-pote quia distracta, vel etiam subitaneo motu præveniatur & percellatur, ut suprà dictum est, aliquandò nullum, aliàs tantum veniale peccatum est. Deliberatio autem sufficiens est, quando judicium Rationis malum sufficienter proponit, etsi in instanti fiat, & Voluntas vel advertere, vel deliberare nolit. Dixi (*Consentit formaliter, vel interpretative,*) propter negligentiam supinam & culpabilem, qua quis sciens & volens negligit delectationem recusare, vel reprimere, tunc enim interpretative consentire judicatur. Dixi (*in aliquam delectationem internam;*) ut distinguam ab actu ex quo formaliter vel effective delectatio consurgit, loquimur enim de delectationibus quæ ex cogitatione consurgunt, & pro-ut etiam ab ipsa cogitatione oriuntur. Undè nō cogitationes morosæ, sed delectationes quæ ex cogitatione oriuntur prohibentur. Dixi (*de re quacumque illicita:*) Non enim in solis illecebris & delectationibus de re impudica cogitatis, peccatum committitur, sed in delectatione deliberata de re quacumquè illicita: ut si quis delectetur de vindicta gravi vel malo proximo injuste illato, recogitato, etsi qui cogitat nollet vindictam vel malum inferre: *Similiter:* si quis delectetur de ebrietate, de furto alias commisso, etsi modo nollet aut inebriari, aut furari, &c,

Rem autem illicitam dicimus quando vel est per se mala, vel hic & nunc cum de illa delectamur, est prohibita: Vnde licet uxori delectari de actu conjugali præterito, aut etiam cogitato ut futuro, quamdiu vir eius vivit, quia vivente eius viro est omni tempore actus licitus, & consequenter delectatio de actu licita: mortuo autem viro non licet illi delectari de actu conjugali præterito rememorato, quia hic & nunc actus illicitus est, cum sit soluta à lege viri & jam hic actus redditus sit impossibilis. *Similiter:* Non licet ei, qui non est conjugatus, delectari de actu futuro quasi præmeditato & prævisso: quia hic & nunc cum non sit conjugatus, non est ei actus ille licitus. Delectatio enim in præsenti & ratione præsentis, in genere moris, bona vel mala judicari debet, ut ei qui delectatur licita vel illicita sit. Cum autem delectatio ut nunc, circumstantijs illam licitam & honestam reddentibus non sit conjuncta, sed in primo casu tantum in præterito fuerit, aut in secundo casu futurum respiciat & non præsens, delectatio in præsenti honesta non est, sed deformis manet; Non enim requiritur ut fuerit, vel possit esse honesta, sed ut hic & nunc mihi delectatio sit honesta & actus de quo delector, sit mihi in hoc temporis momento licitus. Et ita loquuntur passim Doctores de delectatione quæ est in apetitu sensitivo, quamvis non eodem modo de quavis delectatione quæ est in appetitu Intellectivo, sive in Ratione. Ego autem ad majorem claritatem pono secundam Regulam.

REGULA II.

QVandocumque Voluntas deliberate consentit in aliquam delectationem de re illicita ex natura sua in materia mortali, quibuscumque conditionibus vel circumstantijs honestis Voluntas se muniat, si conditiones & circumstantia in re, actu non ponantur, peccat mortaliter: Explico: deliberate & actualiter quis delectatur in concubitu cogitato cum uxore aliena, imò & cum soluta, positâ conditione si esset sua uxor: cum modo ex supposito uxor sua non sit, peccat mortaliter. *Ratio est:* Quia conditio vel circumstantia apposita, cum non sit in esse, est plane impertinens ad hanc delectationem in præsenti, quæ est per se deformis. Unde conditiones tantum speculative malum auferre videntur, cum res ipsa practice sit in se mala. Et sic in universum dicendum existimo de istis conditionibus & circumstantijs quæ in specula-

Conditiones quæ opponuntur in actu Delectationi non justificant.

tione

tione proponuntur tamquam futuræ aut possibiles ad actum qui hic & nunc in esse ponitur, quique debet hic & nunc pro-ut sit benè circumstantionari, conditionibus & qualitatibus suis investitus esse ut bonus dicatur. Arbitror enim effugia esse, & Metaphysicas tantùm speculationes quæ in re morali nihil planè ponunt. Cum enim omnes propositiones tam de præterito, quam de futuro non sint veræ vel falsæ, nisi reducantur ad propositionem de in esse sive de præsenti, Conditiones istæ planè impertinentes & non veræ censendæ sunt: Quia ad unam veram & pertinentem de præsenti practicè non reducuntur. *Explico clare.* Delectatur licite uxor de præterita copula licita vivente marito! Quia reducitur ista delectatio ad hanc propositionem practicam veram: Delector de copula quæ quamvis præteriit, verè hic & nunc mihi licita est; illicite vero delectatur de copula præterita, mortuo marito: Quia hic & nunc cum maritus sit mortuus, talis copula non potest actu repeti, & consequenter delectatio est de re quæ legitimè hic & nunc ad praxim reduci non potest; Delectatio verò cum actualis sit & modo existens, non afficitur nec affici potest & circumstantiis & conditionibus non existentibus quantumvis possibilibus. *Similiter*: Delectatur Titius in concubitu cogitato cum Catharina sub conditione si sua uxor esset: cum actu uxor sua non sit, & delectatio actualis sit & extra suas causas, à tali conditione non afficitur, sed conditio ad delectationem actualem omninò impertinens est, ideoque peccat mortaliter.

Dices: Voluntas consentit tantum sub conditione. *Resp.* In re practica falsum esse & fictitium: Cum enim delectatio in actu ponatur; consensus simpliciter absolutus est conditio autem aut circumstantia posita in speculatione planè fictitia & quoad casum practicum est inutilis & impertinus, cum enim supponatur delectatio de præsenti haberi & fieri, quæ tamen etiam juxta ipsorum suppositionem non est licita, nisi posita conditione in esse, unde & Voluntas consentit & delectatur in eo, quod pro hoc statu non est ei licitum, & sicut sola conditione mentali hic status non immutatur, consequenter nec res licita redditur.

Dixi verò in Regula (*in re natura sua illicita*) in re enim tantum illicita præcise ratione prohibitionis, aliud dicendum est; Potest enim omnino abstrahi à præcepto & prohibitione, & sine peccato delectatio haberi de objecto vel operatione quæ abstrahendo à præcepto vel prohibitione, de se licita est & in ordinationem adjunctā non habet. *Explico*: Delectatur quis tempore Quadragesimæ in recogitato vel desiderato usu carnium: si abstrahit à tempore Quadragesimæ & alio quovis vetito, non est ei illa delectatio illicita nec peccat: Quia esus carnium illo tempore est tantum illicitus, quia ab Ecclesia prohibitus, ex supposito autem delectatur quis in desiderato esu carnium non quatenus illo tempore est prohibitus, nec quia in Quadragesima est (quippè non reflectens, aut omninò abstrahens à tempore & prohibitione) sed quia intra temperantiæ metas gustui & nutrimento est accomodus, imò etiam comparatione factâ, magis accommodus quā pisces. Quod universaliter verum est in omnibus, in quibus circumscripta prohibitione actus vel operatio licita est, & nullam inordinationem annexam habet. Nec licitum præcisè in his casibus nascitur ex aliqua conditione mentali posita, sed ex puro objecto licito, quia cuilibet licitum est simpliciter in recogitato esu carnium delectari, abstrahendo, vel omninò negativè se habendo, sivè non reflectendo ad aliquam prohibitionem.

Dices secundò. Ergò non liceret alicui nō uxorato desiderare concubitum cum futura uxore, vel quam apprehendit uxorem futuram; quod desiderium sic efferri potest: Utinam Barbara uxor mea esset, & illa licitè uti possem. *Respond. negan. conse.* & paritatem. Aliud est enim desiderium rei futuræ sub licita conditione. Aliud delectatio præsens rei sub futura vel præterita tantùm conditione, licitæ. Qui enim desiderat rem futuram sub legitima & licita conditione, desiderat de facto rem licitam non ut modò fruatur illa, sed pro tempore quo erit licita: Desiderium enim formaliter est rei absentis, non ut præsens est, sed ut præsens esse potest, vel apprehenditur. Qui autem delectatur hic & nunc, de re tantùm sub futura vel præterita conditione licita: jam supponitur actu delectari & in animo frui re quandò est de facto illicita, & pro tempore quo delectatio illi est prohibita. Explicò apertè in præcepto Decalogi: *Non concupisces uxorem proximi tui.* Per illud enim non prohibetur Titio desiderare legitimum Matrimonium cum Bertha, quæ est modò Sortis uxor, posita conditione si esset libera à lege viri, & vir mortuus esset. Quia hoc ipsum non concupiscit illam ut modò & quatenus uxor alterius est, sed pro futuro conditionato, quo per mortem viri libera esset, quia vere tunc non censetur desiderare uxorem proximi; post mortem enim non potest dici uxor proximi: Prohibetur tamen desiderare illam pro hoc tempore quo uxor proximi est: & consequenter prohibetur delectari hic & nunc de recogitato actu carnali cum illa etiam sub conditione futuri temporis vel Matrimonij, quia delectatio est de præsenti, quo verè est aliena uxor, & conditio apposita nihil immutat circa præsentem delectationem de actu qui hoc ipso tempore quo delector, illicitus est:

Distinctio inter desiderium & actualem delectationem.

Deut. 5. Vers. 20

Et

Et generaliter omne desiderium simplex ex præcisa ratione desiderij, potest fieri bonum vel malum, per aliquam conditionalem vel circumstantiam de futuro bonam vel malam: Nulla autem delectatio præsens, fieri potest bona vel mala per solam conditionem in mente conceptam, vel circumstantiam de futuro. Ratio jam sæpe dicta est, Quia desiderium fertur in objectum absens quatenus absens, sive quatenus id quod desideratur, necdum est in possessione, adeoque ad bonum vel malum limitari potest.

Nota.

Delectatio verò cùm secundum esse apprehensum sivè secundùm suum delectatum esse, sit de præsenti: si in præsenti res apprehensa non est licita, nec delectatio licita esse potest, debet enim esse suis conditionibus & circumstantijs vestita eo tempore quo exercetur, atque Voluntas consentit, ad hoc ut licita esse posit: Supponitur enim delectatio esse operis inchoatio.

Nota.

Dixi (*ex præcisa ratione desiderij:*) quod per optativum modum exprimitur, ut *vellem, optarem, &c.* cavendum est enim ne declinet in absolutum consensum, vel delectationem de præsenti, quæ per indicativum de præsenti, significantur, *ut opto, volo hic & nunc.* Hæc enim sunt, *Desideria* (apud Apostolum) *inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem* Inutilia quidem quia inutilibus & fucatis conditionibus sub colore futuri liciti palliantur: Nociva autem, quia in præsentem delectationem illicitam & in interitum animam demergunt. Hæc latius dixi propter diversos modos loquendi Auctorū, quos nō ob aliam causā diversos existimo, nisi quia subtilitates quædā Metaphysicæ & pure Scholasticæ, ac speculativæ rebus moralibus immiscentur, cùm multo detrimento animarum, & Conscientiæ turbatione. Et ob hanc causam addidi (*Desiderium simplex*) si enim in aliquam delectationem vel complacentiam præsentem resolvatur, eique Voluntas consentiat, ratione complacentiæ præsentis sivè delectationis, peccatum æstimari debebit.

1. Cor. 6.

1. Tim. 6. Vers. 9.

Nota.

QUÆSTIO VII.

Qualiter se gerere debeant Iudices sive Confessarij circa Penitentes in judicio de Voluntario & Deliberato?

Hanc Quæstionem ex ratione connexionis cum materia præcedenti, hic posui, ut legenti utraque sit magis ad manum. Advertendum igitur ad clariorem resolutionem hujus Quæstionis, & praxim necessariam Confessariorum, duplicem difficultatem in hac materia occurrere: Prior est, Difficultas dijudicandi inter Voluntarium & Involuntarium, Deliberatum & Indeliberatum: Posterior, Difficultas consulendi de remedio in anxietatibus Pœnitentis. Utrumque hic Deo aspirante conabor expedire, innixus tum doctrinæ Doctorum Moralium, tum experientiæ longæ hujusmodi difficultatum in pluribus Pœnitentibus.

Signum primum Involuntarij.

Regulæ pro judicio inter Voluntarium & Involuntarium, Deliberatum vel Indeliberatum, ubi aliquod dubium subesset.

REGULA I.

Qui antecedenter & concomitanter pœnam, tristitiam, horrorem, & aversionem patitur, dum motibus pravis, cogitationibus malignis Potentiæ occupantur vel exagitantur, etsi Voluntas non sentiat resistentiam formalem & dissensum positivum, signum certum est, nullum fuisse vel adesse consensum deliberatum in similibus motibus.* Ratio est: quia pœna, tristitia, horror, & aversio ex nobis nolentibus vel ex nolitione oriuntur, ergo cùi talia accidunt antecedenter vel concomitanter, cēsendus est nolens. Unde August. *lib. 14. de Civi c. 15. Animæ dolor quæ tristitia nuncupatur, dissensio est ab his rebus quæ nobis nolentibus acciderunt.* Hoc vero exemplificari potest in ijs qui dubitationibus, impulsibus blasphemiæ, obscœnis cogitationibus, motibus gravissimis carnis ita percelluntur, ut vix sui compotes, aliquam quidem resistentiam nō sentiant, pœnam tamen, tristitiam, horrorem ita patiuntur, ut quasi dejecti vix respirent Quod & pijssimis & purissimis mentibus non infrequens est. In his igitur non tergiversetur Confessarius nec permittat per modum peccati illa confiteri, sed assecuret Pœnitentes de nullitate consensus, ut firmius pondus tentationis sustineant.

Dixi *antecedenter vel concomitanter pœnam tristitiam, &c.*] qui enim antecedenter pœnam jam sustinet, censetur vigil & promptus ad resistendum, etsi vis, resistentiaque in ipso conflictu non sentiatur, in eo autem qui concomitanter patitur pœnam, vel tristitiam, signum est Voluntatis dissentientis.

REGULA II.

Qui etsi prius aut aliquo tempore dum motus illi vel cogitationes animam occupant, non advertit: ubi tamen parum incipit advertere (etsi videatur quasi ab ipso motu vel cogitatione possessus & subjugatus) si sentiat in se horrorem, tristitiam vel pœnam, &c. censendus est non consensisse aut saltem perfectè non consentire.* Ratio quæ supra, Quia tristitia, vel pœna, quæ ex instantanea illa advertentia oritur, est signum manifestum nolitionis, & quod motibus vel cogitationibus Voluntas contradicat.

Signum secundum Involuntarij.

Dixi (*ubi primum incipit advertere*;) si enim tristitia vel pœna oriatur post delectationem ipsam jam transactam ex plena malitiæ quæ infuit consideratione, tunc etsi sit signum nolitionis consequentis, & cujusdam pœnitentiæ, non est tamen signum nolitionis vel dissensus in ipso actu. *Explico*: Ioannes passus est gravissimos motus carnis, tempore verò quo illos patiebatur nullam pœnam vel tristitiam, sive aversionem sensit: Postea verò incipit examinare & advertens motuum deformitatem, tristatur & avertitur: Illa quidem tristitia est signum Voluntatis non continuatæ aut pœnitentis, non est tamen certum signum quod Voluntas non consenserit, sed alia signa exquirenda sunt.

REGULA III.

Signum tertiũ Involuntary.

QVando quis vere dubitat an consenserit ob turbationem quæ in motibus illis intercessit: si ante & post, cum jam plene compos est & sibi præsens, a talibus delectationibus vel motibus pravis aversionem & odium habere consuevit, nec ubi pleno indicio utitur, solitus est delectationes ullo modo admittere: interpretandus est consensisse Ratio est: Quia, *In dubijs melior est conditio possidentis*, & alias aversio contraria solita inesse cum homo sibi præsens est, nolitionem & dissensum Voluntatis, vel saltem subreptionem indeliberatam arguit.

REGULA IV.

Signum quartum Involuntary.

QVi communiter timoratus est & sollicitus ne motus pravos & cogitationes admittat: Similiter, *Qui in requirendis remedijs contra tentationes aliquas, vel peccatorum illecebras, fere continue est occupatus: si aliqua subrepat etiam cum nonnulla perseverantia, interpretandum est per inadvertentiam subrepsisse, & consensum vel nullum, vel admodum imperfectum intervenisse.* Ratio est: Quia qui sic solliciti sunt, habentur pro interpretativè nolentibus. Et hoc bene advertendum est: Communiter enim, qui ita sunt solliciti & timorati, sive occupati in requirendis remedijs, ob timorem & fatigationem Imaginationis facillimè motibus pravis & cogitationibus percelluntur, & ob sincerum animi candorem facillimè turbantur; Qui ideo assecurandi sunt, & instruendi de nullitate consensus, ut postea in remedijs dicemus. Vidi sane plures candidissimas animas, quæ quò magis sui candoris sollicitæ erant, eò magis nimio timore contrarij, continuis imaginationibus pravis vexabantur, & suos Confessarius vexabant, quibus potiùs imponendum fuisse silentium, quam earum timoribus nocturnis credendum, experientia docuit; dum nimis timidi Confessores eas delirijs & continuis capitis doloribus exposuerunt.

REGULA V.

IN subitaneis motibus & qui imperceptibili ferè tempore excitantur, quamvis vehemens delectatio intercedat, non est judicandum de consensu, si, ubi Ratio reflectit, quis sentiat aversionem in Voluntate. Ratio est: Quia vix potest esse in instantaneo isto motu perfecta deliberatio, quæ nonnihil temporis requirit, ubi res per se claræ non sunt, & manifestissima malitia.

REGULA VI.

Sign um sext um Involuntary.

PErseverantia diuturna motuum, cogitationum, &c. etiamsi per dies integros perseveraret, non est argumentum consensus deliberati.

Ratio est: Quia tales motus & cogitationes non subjacent dominio pleno Voluntatis, nec est in nostra potestate illas sedare, etiam resistentiâ prolixi temporis. *Sufficit ergo ut Voluntas avertatur vel positive, vel interpretative, cujus aversionis signum est pœna, tristitia, gemitus &c* ut supra.

Distinctio Remorsus Conscientiæ à tristitia.

Advertendum tamen: Aliud esse Remorsum Conscientiæ & Vermem corrodentem sentire; Aliud tristitiam pati & pœnam: Potest enim quis agitari Remorsu Conscientiæ, & nihilominus liberè & deliberatè in delectationem consentire: Non potest autem quis pœnam illam de qua loquimur & tristitiam pati, & consentire. Ratio differentiæ est: Quia Remorsus Conscientiæ, habet se per modum accusantis vel testificantis de consensu, vel negligentia Voluntatis in repudiendo vel reprimendo delectationem; Tristitia verò & pœna oritur ex aversione ab ista delectatione, & difficultate vel violentia, quam cogitur sustinere ex eo quod illam sedare vel reprimere nequeat.

REGULA VII.

COllocutiones internæ sive absolutæ, sive conditionatæ quibus Anima videtur sibi-ipsi de consensu respondere, ordinarie in imaginativa sunt, sive à spiritu melancolico, sive à Dæmone excitatæ: ideoq; illis absolute credendũ non est, nec de vero cõsensu in res malas istis collocutionib9 insinuato, judicandũ: sed ut phantasmata repudiandæ Explico: Plurimæ reperiuntur Animæ quæ vel spiritu blasphemiæ, vel crudelitatis sibi-ipsis, vel etiam alijs vim inferendi, vel carnis tentationibus agitantur: quibus continua velut colloquia in parte imaginativa excitantur, quasi Anima sibi malum aliquod faciendum proponat sibique respondeat, his fere modis: In spiritu quidem blasphemiæ: *Nunquid Deus est injustus, Nequam, Diabolus, Deceptor, &c. Beata virgo meretrix impudica, &c.* & mille aliæ pejores blasphemiæ in illis exsurgunt. Formatur consequenter altera velut responsio interna: *ita est, injustus est,*

est, Nequam, Diabolus, &c. Maledic Deo: Ita Maledico, &c. In spiritu crudelitatis: *suspendas, occidas te, accipe cultrum, defer illum tecum ad lectum ut nocte te interimas*: quibus etiam similes consensus efformantur, q. d. *Faciam.* Ex quo reperiuntur cultros accepisse secum de nocte, &c. Quinimò fuit in Ordine Novitius qui simili crudelitatis spiritu agitatus impellebatur, & novaculam præparaverat, ut dormientibus Fratribus auriculas abscinderet. In spiritu similiter carnis plurima similia phantasmata per modum colloquiorum suscitantur; Ex g. Ad quemlibet aspectum alicujus viri vel fœminæ, excitatur cogitatio dictans, *Tu velles concubitum habere cum illo vel illa, illum amplecti, osculari, impudica agere, &c.* Et sibi-ipsi imaginatio respondet: *Ita, sine dubio*, excitans simul motus aliquos. In istis omnibus & similibus nullatenus Confessarius judicare debet intervenire veros consensus, sed sunt phantasmata: Et quamvis veniat Pœnitens dicens, *Ego verè consensi, Ego si habuissem occasionem, peccassem impudico concubitu vel tactibus, & Ego putavi me de facto facere. Ego habui voluntatem extrahendi Eucharistiam ex ore, illam mordendi ex odio, Ego venio ad Confessionem sine Voluntate me emendandi, imo cum Voluntate illam detruncandi, & male faciendi, &c.* Si advertat Confessarius animam esse turbatam vehementibus illis spiritibus, & fatigatione continuæ imaginationis; Nihil credat de omnibus, sed conetur paulatim tempus dare, donec spiritus ille defervescat: Et cum Pœnitens lucidum habet intervallum & aliquâ quiete potitur, & judicio aliquantulum sedato pollet: tunc demùm advertat qualiter se habeat; Tunc enim afflicti sunt & dolorem sive tristitiam ac animum redeuntem ad se & ad Deum sentiunt; Tunc protestationes faciunt se nolle ullatenùs Deum offendere, gemunt pro remedio, &c. Quæ omnia signa sunt nullum in istis omnibus consensum adfuisse. Cùm enim tantisper datur illis respirare, tunc summam à se & à peccato aversionem percipiunt, imò in ipsis occasioonibus peccandi, stabilitatem summam Voluntatis experiuntur, & de facto nunquam labuntur. Sed de his statim in Regulis Concilij.

Regula ultima generalis.

Qvandocumq; *quis ob turbationem, angustias anxietates, præcipitantiam quidam in ipsa tentatione vel motibus involvitur, vere dubitat an plene consentiat: censendus est plene non consensisse:* Ratio est: quia ista omnia naturâ suâ tollunt plenam advertentiam, & consequenter perfectum judicium ac deliberationem.

Appendix.

De voluntario & deliberato Consensu.

EX dictis Regulis superioribus de involuntario Consensu, constat quid dicendum sit de Consensu voluntario & deliberato, pro quo pono & unam Regulam generalem.

Regula Generalis.

Qvandocumq; *quis videns & sciens se motus illos illicitos & tentationes pati; etsi remorsum Conscientiæ patiatur nihilominus nec antecedenter, nec concomitanter conatur animum divertere suspendere, resistere aut modum aliquem adhibere, quo Voluntatem divertat. Et qui post motus transactos, & quando sibi redditus est, non conatur quærere media quibus immunis à peccato pertransire possit; arguendus & judicandus est de positivo vel saltem interpretativo consensu, qui juxta rationem perfecti vel imperfecti, ac gravitatis vel levitatis, aut peccatum mortale est aut veniale.* Patet Regula ex omnibus antedictis, quæ huc referenda sunt. *Signa Voluntarij.*

Dixi (*etsi remorsus Conscientia patiatur:*) quia, ut superiùs dictum est: Remorsus Conscientiæ est signum arguentis de neglectu vel defectu resistentiæ, non verò de ipsa resistentia vel Voluntatis contrarietate: neminem enim remordet Conscientia quod aliquid patiatur resistendo, vel quamvis pœnam sustinendo, dum contrariatur malo.

De regulis Confessariorum in adhibendis Consilijs in motibus & tentationibus ad evitandum voluntarium.

PRo majori cautela & instructione confessariorum in consilijs adhibendis ad evitandum voluntarium in motibus, delectationibus, & tentationibus de quibus supra frequenter, duo præcipuè sunt prænotanda & memoriæ tenenda, *Primum*: Ex diversis causis motus præfatos & tentationes accidere, quas ad sex capita reducere possumus. *Causa seu motuum Tentationum.*

Primò. *Ad suggestionem & immissionem, sive excitationem* Dæmonis: Qui virtutem imaginativam sive phantasticam hominis variè movere solet, & varios in carne motus excitare, cum tanta interdum violentia, vehementia, & importunitate, ut homo vix sui compos sit, & suarum potentiarum quæ sunt infra Voluntatem, Dominus. Non possum autem melius id exprimere, quam ex modo obsessionis vel possessionis quam habere permittitur Dæmon in corpore humano. Quemadmodum enim Dæmoniacus horrendos motus patitur in toto corpore, movente Dæmone linguam ad varia idio- *Prima Causa.*

idiomata effigenda, ad blasphemias, Joculationes, prædictiones, &c. efferendas oculos, labia, dentes, manus, brachia collum mirabiliter contra, ordinarios naturæ motus contorquendo, quæ nullatenus imputantur homini, sed Dæmonis possidentis vel obsidentis violentiæ: *Similiter* Quemadmodum Dæmon immittit diversa præstigia & magicas incantationes diversimodè sensus immutando, quæ similiter sensibus humanis non imputantur; eodem modo: Dæmon permittitur à Deo agere in animæ potentias infra Voluntatem, sive servata sola Voluntate, ita ut videatur interdum illam possidere vel obsidere, horrendos motus & præstigia in illa exercendo mediantibus humoribus corporis, & speciebus tum Imaginativæ, tum etiam aliquando intellectualibus, qui quidem motus non sunt animæ attribuendi, sed Dæmoni illorum motori & excitatori. Sic Dæmon Animam videtur possidere spiritu blasphemiæ, infidelitatis, iræ, superbiæ, crudelitatis, desperationis, carnis, &c. in qua (Voluntate immuni & omninò adversa tàm horrenda exercet etiam in ipsissimis Animabus quæ præ horrore deficiunt, & ad mortis penè fauces devolvuntur, & cùm ad suam constitutionem ordinariam in lucidis aliquando intervallis revertuntur, non nisi amorem Dei, pietatem, omnium similium motuum summam displicentiam, denique omnis puritatis odorem spirant, Vidi ego hisce oculis in varijs personis etiam sanctissimis hæc permisisse Deum ad exercitium & humilitatem, sicut stimulum carnis & colaphisationem Angeli Satanæ in Paulo: Spiritum blasphemiæ in famoso illo Eremita, de quo in vitis Patrum. Et hi spiritus plus minusvè juxta permissionem Divinam violentias istas in diversis, diverso tempore exercent

Causa secunda. Secundò. Causa istorum motuum & cogitationum abominabilium refertur in ***naturalem dispositionem***, vel constitutionem humorum humani corporis, quæ accidere solet quandoque ex nimia cerebri evacuatione proveniente ex inedia, jejunijs indiscretis, studio vehementiori, & imaginatione nimis forti. Non rarò enim fit ut jejunij tempore subtiliores causentur spiritus carnis, ex quibus variæ illecebræ, motus, pollutiones nascuntur, undè fit ut quidam qui incumbunt vacuo stomacho, soleant tunc frequentius pollutiones pati, quamvis non omnium sit ratio eadem, *Rursus*: Vacuum cerebrum solet facilè repleri somnijs & imaginationibus diversis etiam pessimis: Et fortis imaginatio specialiter exercitata, sicut facillimè species recipit, sic tenacissimè retinet, ita ut vix amoveri possint. Aliquandò verò è contra, motus & cogitationes incentivum accipiunt ex corruptis fumis & humoribus, ratione cibi aut potus nimis abundantis, aut qui etsi in modica quantitate sumatur, efficaciæ nimiæ est, ut in ijs quidelicatiori cibo & vino, aut alijs calidioribus quæ venerem excitant, utuntur. Aliquando tandem ex inedia, nec ex cibi abundantia, sed à prædominatione aliquo humore similis motus & cogitationes efficiuntur *Ex.g.* A prædominante humore melancolico quem humorem Typographiam Dæmonis aptè possumus appellare quo velut atramento fere indelebili quidquid vult melancolicis illis genijs & ingenijs Dæmon imprimit; Quales etiam motus procedunt ab humore cholerico, & bilioso similiter prædominante.

Causa tertia. Tertio. Causa diversarum & pessimarum cogitationum est *Otiositas*, quæ est verè *pulvinar Diaboli*: Nam (ut ait Ecclesiasticus *cap.33.*) *Multam malitiam docuit otiositas.* *Eccles. 33 Vers. 29.* Quod explicans Proverb 21. *Desideria* (inquit) *occidunt pigrum, noluerunt enim quidquam manus eius operari: Tota die concupiscit & desiderat.* *Prover. 21 Vers. 25* Fieri utique non potest ut qui otiosi sunt infinitis cogitationibus nefarijs & nocivis non repleantur: Cor enim instar molendini est, quod si frumentum non adsit, paleam molere debet.

Causa quarta. Quartò. Causa est *Curiositas*, cum nimirum quis nimis curiosus est cognoscendi, videndi, audiendi, legendi res ex quibus nefariæ postea cogitationes oriuntur.

Causa quinta. Quintò. Est *Inordinatus & nimius timor Deum offendendi.* Qui enim sic inordinatè & nimium timet, cùm ad quemlibet occursum vel objectum malum sibi suspicetur, statim movetur Imaginatio, & ex suspicione mali cujuslibet horrendæ cogitationes subeunt, quæ sæpe sunt causa mali. *Explicatur*: De eo, qui trabem vel lignum angustum transire debet, si enim multum timidus fit, dum se continuè casurum apprehendit, sibi ipsi est causa & occasio lapsus. *Similiter*: Qui in tenebris timidi ambulant, spectra, & phantasticas apparitiones, & objecta sibi proponunt, quasi tetras imagines, sonos, voces, sibilationes audirent, putantque se tangi, cum nihil horum sit,

Causa sexta. Sextò, Est *Inveterata in vitijs consuetudo, &* habitus quidam remanens ex præterita vita mala, etiam post conversionem.

Diversi modi quibus Voluntas Motibus pravis resistit. ***Secundum prænotandum.*** Tentationibus, cogitationibus, motibus, delectationibus hominem per Voluntatem varijs modis posse ocurrere sive resistere. Primo, *Actu positivè*, nolendo, sive positivè illa repudiando, & quasi reijciendo à se. Secundò, *Purè privative*, nullum planè actum exercendo: quia neque antè voluit, neque causam vel dispositionem ad illa scienter vel advertenter dedit, neque dum illa existunt in carne vel imaginatione reflectit, neque postquam facta sunt, illa consideravit, vel in illis complacavit, ut-pote somno impeditus, vel alia vehementi distractione. Tertiò, *Nonattendo*

rando, vel contemnendo, eò quod se satis fortem advertat ad sustinendum & Voluntatem immunem conservandam. Quartò, *Per diversionem actuum Voluntatis & aliarum Potentiarum*, ut-pote ne exeant in actum ullum, vel in aliud objectum licitum divertantur, quod fit per aspectum in Deum vel suspirium ad illum, vel recursum ad disparatas omninò actiones, nil prorsus positive agendo circa istos motus vel cogitationes, sed potiùs studiose divertendo omnem reflectionem ad illos. His igitur sic prænotatis & memoriæ demandatis, facile est ad singula dare oppottuna consilia, sit itaque.

REGULA I.

Remedium contra Tentationes à Dæmone excitatas.

SI advertat Confessarius motus pravos, cogitationes, & tentationes ex immissione sive suscitatione Dæmonis provenire, ut ordinarie fit in spiritu blasphemiæ & motibus carnis, qui puris & suæ salutis studiosis maxime contingere solent Primo. Conetur in illis plantare fiduciam in Deo. Secundo. Contemptum quemdam & despectum tam ipsius motus, quam Dæmonis immittentis. Tertio. Prohibeat ne omninò de illis multum loquantur aut etiam confiteantur, quod si velint confiteri, non permittat nisi in genere hoc modo vel simili: Afflictus fui gravibus motibꝰ blasphemiæ, dubietatis fidei, sive etiam motibus carnis: spero per Dei gratiam me nullum, aut non deliberatum consensum dedisse. Et hoc potiùs ad indicandum suum statum, quam ad absolutionem. Cum enim certum sit aut omnino non esse peccata, aut si forte aliqua fragilitas humana irrepserit, tantum venialia esse nullo modo sunt confitenda: quia plus detrimenti causant animæ etiam illa confitendo, quam utilitatis, dum in eorum iterum tricas per recogitationem Animam remittant. Unde quarto, sedulo & firmiter prohibere debet Confessarius, ne illa examinent, & mente revolvant etiam sub prætextu aversionem excitandi vel confitendi, aut aliquam in illis malitiam notandi: Sunt enim isti laquei Venatoris pessimi, qui prætextibus illis animam gravioribus motibus, & inquietutinibus illa queat: In spiritu quidem blasphemiæ motus illos replicando, & multiplicando; In dubijs speculativis fidei & infidelitatis argumenta argumentis urgendo, & animam confundendo; In spiritu autem carnis magis sordida & nefaria suscitando, donec totam Rationem absorbeat. Unde quinto, Graviter etiam Pœnitenti insinuet Confessarius ne sub prætextu consilij vel remedij ad alios Confessarios vel Consiliarios recurrat, ut iterum eis aperiat, quia præter superiora pericula, in aliquem quamvis doctum, inexercitatum tamen impinget, qui illum in extremas iterum anxietates deturbabit, ut fiant novissima pejora prioribus. Quod expertus sum in aliqua pia persona, quam cùm multo tandem labore ad aliquā mentis quietem reduxissem, & multis diebus quieta fuisset, contra meam prohibitionem in virum etiam doctum impegit, qui in pristinas & ampliores inquietudines illam, ut jam dixi, defectu experientiæ in moralibus iterum rejecit, à quibus postea vix valui illā educere.

REGULA II.

Remedium secundum.

SIngulare remedium in motibus blasphemiæ, carnis, dubietatis in fide, est: Abstinere omnino à positiva resistentia, & conatibus sive pugnis positivis contranitendo, contradicendo, argumentando, positivè reprimendo, potentias: tum spirituales tum corporales fatigando: sed oportet cum quadam superioris partis quiete illa contemnere, exsibilare, irridere, suspendere actus omnes, aut potius divertere per exercitia etiam corporalia, & dissimulato motu, dolorosa quadam sufferentia, & patientia ad Deum interno quodam gemitu suspirare, & oculum mentis ad Deum levare, unde omne auxilium est. Fateor nullum inveni remedium utilius, efficacius & magis meritorium, quodque à turbatione & inquietudine melius animam liberet, & solidam ac quadratam quandam consistentiam in medio gravissimarum tentationum donet. Approbat illam in moralibus & practicis expertissimus Gerson *Tract. de pollutione diurna, & Tract. contra tentationes plasphemia, & Tract. de malarum cogitationum remedijs.* Ratio verò totiùs Regulæ est: Quia in similibus motibus & tentationibus; Agens agendo repatitur, & una cogitatio alteram vehementius auget, & cogitatione aucta, motus vehementiores insurgunt, adeoque magis imaginationi infiguntur, ita ut postea vix eradicari valeant: specialiter cum Dæmon horum motuum motor & promotor eò fortius moveat quo videt nos acriùs agere, & turbari, ut si nos non impellat ad consensum, impellat, tandem ad satuitatem & delirium, ut quem ad peccatum pertrahere non potuit, inutilem omnino in obsequio divino reddat Unde obiter exemplifico in singulis ad praxim: *Ex. g.* Cum quis agitur spiritu blasphemiæ, si conetur violenter reijcere, magis premitur, blasphemiæ multiplicantur, & homo tristitia & turbatione absorbetur: Ipsi itaque melius est divertere animum ad alia, quantumvis nefandam blasphemiam dissimulare, contemnere irridere, & in patientia stare cum interno gemitu ad Dominum, donec cesset. *Similiter.* In tentatiōibus de fide & articulis fidei: Melius est & unicum remedium efficax, silere & non respondere (non enim poteris impor-

importuno suggestori respondere, unum pro mille argumentis) ac pia quadam diversione ad Deum oculum mentis convertere, cum aspiratione generali: *Credo Domine in te, & omni tuæ veritati acquiesco*: Tunc quantumcumque hæreant tentationes: Patienter propter Deum sufferantur, tantum abest ut noceant quin potius ad meritum imputabuntur. *Similiter*, In motibus carnis & cogitationibus à Dæmone immissis, si quis multum potentias moveat, imaginationi magis imprimuntur, & ubi se resistere credit, ignem magis accendit: ut cum quis contrario flatu putat extinguere ignem illum incendit amplius, qui subtractione & suffocatione melius extinguendus est. Viator si sequentibus canibus & latrantibus velit continuo respondere, & lapidibus illos impetendo se fatigare, magis excitabit, & præterquam quod se ipsum à prosecutione itineris impediat vexationem&fatigationem, inutilem ex stulto labore sibi causat: sic contingit in supradictis cogitationibus & tentationibus, dum illis respondendo&velut repercutiendo resistere volumus, perdimus tempus, à melioribus bonis & prosecutione cogitationibus & retardamus ac inutili & stulto tandem labore consumimur.

Petes: Unde sciet Confessarius istas cogitationes immissas à Dæmone, & non à me ipso ex inclinatione prava excitatas? *Resp.* Id facile colligi ex qualitate & conditione personæ: si enim persona sit alias proba & pia, nec peccatis istis in exteriori opere dedita, quin-imò timorata sit & sollicita extra tempus ipsum tentationis, quomodo se immaculatam custodiat: & innatam vel acquisitam quandam aversionem habeat, cetrum est hujusmodi cogitationes & motus à Dæmone immitti.

ADMONITIO.

Notanda singula. EX dictis patet quantis periculis Pœnitentem exponant, Primò. Qui in similibus tentationibus&afflictionibus illis examen & Confessionem imponunt, varijs & importunis interrogationibus etiam usque ad minutias circumstantias illos torquent, & respondere cogunt: quod periculum in fœminis & puellis maximum est. Secundò. Qui illos terrent cum consolari magis debeant. Tertio. Qui sæpius cum illis in Confessionali vel extra de hujusmodi loquuntur, & inquisitionem faciunt, aut illos permittunt sæpius loqui & illa referre. Quartò *Qui* ad resistentias positivas, & contrarias cogitationes illos adigunt, imponentes eis violentas cogitationes de Inferno, Judicio, Passione Dominica, vel diversas ratiocinationes à virtute contraria petitas, quibus omnes vires debilitant, cerebrum evacuant, capitis continuos dolores causant. Quomodo enim istis anima apta jam erit, quæ ob vehementiam cogitationum & tentationum vix sui, aut propriorum actuum compos est. Quintò. Qui preces multas vocales, & recitationes præscribunt, quibus quomodo fructuosè vacare possunt, qui jam totam imaginationem dissipatam habent? Sextò, Parum etiam his deserviunt, imò sæpè multum obsunt jejunia, disciplinæ, uncini ferrei, cilicia, &c. Quæ, ut postea dicam, in remedium adhibenda sunt, quando ex petulantia carnis & sensualitatis tentationes ortum habent, non verò quandò ex sola procuratione Dæmonis excitatæ sunt. Vidi enim puellulas Deo sacras hujusmodi adhibitis in carne remedijs in periculum manifestū mortis se præcipitasse, & infirmitatibus sibi causatis inutiles suæ professioni se reddidisse, quibus nec motus cessabant. Habui senem quendam octogenario majorem, qui his in tanta ætate vexatus, nisi præpedivisset mus austeritatibus & modis quibus ex communi sensu dicentium credebat obviare, sibi sine dubio mortem intulisset. Quod si Sancti Benedictus, Franciscus, & alij se in vepribus volutaverint, cùm à Dæmone immissi essent motus illi, afflante Spiritu sancto heroicos illos actus ediderunt, & in admirationem potius, quam in imitationem nobis dati sunt.

REGULA III.

Contra motus ex vacuitate cerebri provenientes Remedium tertium. QVandò cogitationes, motus, tentationes provenient ex vacuitate cerebri, adhibenda sunt magis consilia & pharmaca Hippocratis & Galeni, quàm Theologorum remedia. Prouidendum itaque est illis de quiete corporali, somno & soporifero cibo, & alimento, ac medicaminibus cerebrum confortantibus; Prohibendæ vigiliæ multiplicationes precum vocalium, meditationes, studia & actus fixæ imaginationis. Unde iterum male faciunt qui tunc ad preces & orationes, meditationes, resistentias; cogitationes volunt adigere, qui etiam ab obligantibus orationibus, ut plurimum pro illo tempore absolvendi essent, & ab omni eo quod operationem Imaginativæ requirit.

REGULA IV.

Contra motus ex inedia. Remedium quartum. QUibus proveniunt motus pravi & tentationes ex inedia, etiam consulendum est, ut moderato & discreto cibo utantur, & congrua corporis sustentatione. Fit enim ut novitius fervor, in ijs qui vel à peccatis convertuntur, vel ad spiritualem vitam tendere solent, extrema tenet, maximè in jejunijs & abstinentijs, ac vigilijs, unde causatur inedia & ex illa debilitas gravis corporum, quæ hominem postea ad meliora ineptum ita reddit, ut pro supererogativis quæ voluit exercere operibus, cogatur uti iis obligatorijs varijs dispensationibus: *Meum consilium* (ait Cancellarius Gerson) *est, ut homo devotus, si* *Cancel. Gerson.*

omnino servare mensuram nequit, sentiat potius aliqualium excessu, quam subtrahat sibi nimis cum defectu. Ratio: *Quia difficilius, imo quandoque nullatenus subvenire potest corpori læso per nimiam necessariorum hujusmodi subtractionem; ubi tamen facile per duas aut tres abstinentias reprimi posset, quod excessum erat per nimis delicatam educationem*, Hæc Gerson.

Signa tentationum ex inedia & cerebri vacuitate.

Petes: Unde Confessarius potest cognoscere ex vacuitate cerebri vel inedia tentationes suboriri? *Resp.* Id facile posse advertere ex exercitijs quibus scit Pœnitentem vacare. Et quamvis Pœnitens id neget, & sibi bene esse quoad cibum & potum, imò nec debilitatem cerebri se pati, affirmet; illi credendum non est. Signa autem sunt, cogitationes diversæ & adversæ, ac repræsentationes per modum somniantium, adversus manifesta consilia & rationes à Confessario allatas contraria persuasio, certitudo qua sibi putant evenire quæ aperte sunt falsa & impossibilia, locutiones internæ in imaginatione efformatæ, deliria quædam & fatuitates quæ ipsi tamquam vera proponunt, & id genus quæ nimis communia sunt expertis, & frequentissime accidunt. Et si externa signa desiderantur, melancholia premuntur, solitudines quærunt, dum alicui loquuntur digitos contorquent, oculum etiam turbatum habent, &c.

REGULA V.

Contra motus provenientes ex ciborum abundantia &c. Remedium quintum.

QUibus proveniunt delectationes, cogitationes, motus ex ciborum abundantia & delitijs, certum est illos jejunijs, abstinentijs, vigilijs, civilijs carnem domare debere juxta illud: *Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam.* Et: *sine Cerere & Baccho friget Venus.* Et his aplicari debet communis illa doctrina de austeritatibus; clarum est enim, cibum & potum, mollitiem vestimentorum & cubilium, quibus nunquam sibi satisfaciat carnalis homo, incentiva esse motuum, cogitationum & illecebrarum concupiscentiæ carnis. Signa autem undè scimus ista provenire ex causis prædictis, obvia sunt in istis personis quæ mundi delicias sequuntur, quamvis in aliqua natura magis obtusa aliter contingere possit Cum discretione itaque hujusmodi Pœnitentibus juxta capacitatem suam abstinentiæ, & non nullæ austeritates consulendæ sunt.

REGULA VI.

Contra tentationes ex otio, libertate, curiositate, &c. Remedium sextum.

QUandò cogitationes, tentationes, motus homini accidunt ratione otij, libertatis in conversationibus, curiositatis in videndo, audiendo, loquendo, &c. & alia quæ ad similia viam sternunt: debet Confessarius suadere alternationes exercitiorum utilium modo corporalium, modo spiritualium, & frequentius alicujus exercitij corporalis: Cum enim exercitia corporalia aliquid laboris habeant & industriæ, corporis quidem labor ad se imaginativam trahit, industria autem quæ in opere requiritur, ab alijs cogitationibus hominem divertit. Et hic manuum labor maxime necessarius est illis qui sub colore devotionis & vocandi Deo, integris diebus fere aut in templo aut alibi sedent, quibus impossibile est cogitationibus plurimis inutilibus & vanis, imò nocivis non inquietari aut repleri, quamvis aliquando non advertant, ut-pote semisomnes vel quasi somniantes. Quia enim *viderunt eos hostes, & eorum Sabbatha deriserunt* Moderatum aliquod exercitium corporale plurimum prodest, cui tamen spiritualis aliqua exercitatio per lectionem piorum librorum, orationes vocales & mentales, exercitia operum charitatis, &c. est intermiscenda, Ad operas itaque aliquas sunt urgendi & otium vitandum, & absterrendi ab istis conversationibus & curiositatibus vanis & vagis, quæ otium palliant & adornant.

REGULA VII.

Contra tentationes ex timore cadendi. Remedium septimum.

QUibus ex continuo timore cadendi, tentationes & cogitationes sive etiam motus pravi oriuntur; illis summopere fiducia in Deum inculcari omnibus modis possibilibus, & absoluta assecuratio illis dari debet. Proderunt etiam non parum exercitia corporalia quæ divertant. Purgatio etiam corporalis per medicinam utiliter adhibetur ad expurgandam melancholiam quæ ut Plurimum regit, vel sedes est talis timoris. Persuadenda illis est frequentatio Sacramentorum, & conversatio cum personis quæ piæ, doctæ, & confidentes in Deo sunt, & in latitudine cordis coram Deo ambulant, quorum colloquijs, & moribus confirmentur. Arcendi autem sunt à scrupulosis & suæ farinæ hominibus, qui in angustia Conscientiæ & continuo tremore versantur.

REGULA VIII.

Contra tentationes ex vitiosis habitibus, &c. Remedium octavum.

QUibus proveniunt cogitationes & tentationes ex vitiosis habitibus, aut inveterata consuetudine, super illis potissimum vigilandum est. Et illi terrore Mortis, Judiciorum, inferni coercendi sunt, & ad accuratas & frequentes Confessiones adigendi. *Ratio est*: Quia malum adhuc in suis reliquijs intus est, quod quovis modo etiam cum violentia eradicari debet, ut contrarij habitus cum Dei timore & amore plantentur. Hæc sunt quæ modo occurrunt, & quæ possunt casibus alijs occurrentibus lumen ministrare. Quæ omnia mihi visa sunt huic loco congruere cum de motibus agerimus. Alia addentur in Tract. de Conscientia.

TITU-

TITVLVS III.

De gravitate & malitia Peccatorum Mortalium in ordine ad hoc Iudicium.

QVÆSTIO I.

Vndè sumatur gravitas & malitia Peccatorum Mortalium in ordine ad Confessionem?

A Varijs quæstionibus speculatiuis & scholasticis, quæ de bonitate, malitia, grauitate, specie actuum humanorum mouentur, lubens abstineo, vt descendam ad ea quæ ad hoc Tribunal præcisè spectare dignoscuntur, sit igitur.

CONCLVSIO VNICA.

Triplex ratio gravitatis peccatorum.

GRauitas & malitia Peccatorum Mortalium *quatenus ad hoc Tribunal deferuntur, desumenda est ex triplici capite*, nimirum, primò *ab Obiecto*, secundò *ab Intentione*, tertiò à *Circumstantiis*. Ratio Conclusionis est: Quia quòd Peccata mortalia magis vel minus grauia dicantur, est, quia actus de se ex ratione materiæ vel injuriæ diuersimodè versatur circà malum, vel pro suo objecto respicit malum, & id universaliter dicimus esse ex ratione objecti malum: vel quia objecto in se aliàs existente bono, intentio operantis malitiam inducit, & hujus actus mali grauitatem dicimus expendi debere juxtà intentionem Aliàs etiam ex accidenti & circumstantiis malum augetur vel diminuitur. Quæ omnia sequentibus quæstionibus explicabuntur.

QUÆSTIO II.

Qualiter expendenda sit gravitas peccati ex ratione Objecti?

ADvertendum: Actum peccaminosum respectu alicuius objecti dupliciter dici posse malum: Aut per se & ex natura sua, quia videlicet respicit & pro fine habet aliquid quod naturâ suâ est malum ut Deum vel proximum odire, fornicari, furari, &c. Aut solùm, quia sit contrà prohibitionem legis, ut in Dominica non audire Missam, operari in die festo, &c. quod etsi sit malum, non tamen simpliciter & per se, sed tantùm quia aliquâ lege superveniente mandatum, vel prohibitum est.

CONCLUSIO I.

Gravitas ex natura.

ACtus per se & ex natura sua mali graviora peccata existimari debent, quàm qui ex solo præcepto vel prohibitione legis sunt mali. Ratio est: Quia naturalem quandam deformitatem vel malitiam continent, quæ rectitudini naturali adversatur, & ab objecto per se bono, deflectit. Quæ enim ex solo præcepto vel prohibitiõe legis malitiam habent: Nec rectitudini alicui per se adversantur, nec per se ab objecto bono deflectunt. *Explico*: Odire Deum vel proximum, rectitudini naturali, quæ est Deum & prximum diligere, adversantur, & ab objecto bono, quod est Deus ut amandus, Proximus ut diligendus, deficiunt. *Simili.ter*: Furari est per se malum, quia injuriam & injustitiam in bonis Proximi complectitur, cujus bonum naturaliter etiam amare tenemur, juxta principium naturale: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Quæ dicantur mala ex natura.

Dicuntur autem *mala per se & ex natura sua*: Quia Legi Divinæ Naturali contraveniunt, & quia lex Divina Naturalis ea prohibet quia vere mala sunt & rectitudini naturali, quæ est participatio rectitudinis æternæ, adversantur. Unde in hoc distinguuntur ab alijs quæ contra solam prohibitionem vel transgressionem legis fiunt; Quòd quæ Lege Divina Naturali prohibentur, non sint mala solum quia prohibita, sed prohibita sint, quia per se sunt mala: Quæ autem sunt mala sola ratione legis, ideò sunt mala quia prohibentur, alias vero non essent mala si non prohiberentur. *Ex g.* Nulla malitia esset non audire Missam, vel laborare in Dominica, nisi quia lex mandat audire missam in Dominica, & prohibet laborare; Et hinc fit quod priores actus dicantur mali ex objecto per se, quia nimirum pro objecto habent malum per se: Posteriores verò tantùm dicantur mali ex objecto secundùm quid, quia pro objecto habent tantum malum secundum quid, quia nimirum lege superveniente prohibitum.

CONCLUSIO II.

Gravitas ex maiori vel minori Difformitate.

INter actus per se malos gravitas expendenda est ex ratione nobilioris boni & majoris deformitatis, sive recessus ab illo. Explico: Gravius peccatum est odium Dei, quàm injuria quæ in proximum redundat. Et proportionaliter peccata quæ ad Deum aliqualiter referuntur, ut quæ committuntur in materia Fidei, Spei, & Charitatis, Religionis, Cultus Sanctorum, existimari debent graviora, quàm ea quæ in proximum, Similiter in ordine ad hominem: Graviora sunt quæ in se ipsum, quàm quæ in proximum: & inter peccata contrà proximum, graviora sunt ea quæ in Parentem, Regem, Magistratum committuntur, quàm quæ in eum ad quem est minor obligatio observantiæ, obedientiæ, vel charitatis: Quæ omnia communibus principijs moralibus sunt expendenda.

Addidi (*& ratione majoris deformitatis*:) Levis enim irreverentia in objecto Religionis

gionis quæ ad Deum spectat, minus peccatum existimari debet, quàm homicidium, vel gravis injuria in proximum.

Conclusio III.

Gravitas ex prohibitione. *Inter actus malos tantùm quia prohibiti sunt: attendenda est gravitas materiæ Legum quæ mandatis, vel prohibitionibus substernitur.* Explico: Prohibet Ecclesia furtum in loco Sacro, & prohibet laborare in die Festo: Gravius est peccatum furti in loco Sacro, quatenùs in loco Sacro fit, sivè quatenus Sacrilegium & violatio immunitatis Sacri loci est, quàm laborare in Dominica. *Item*, Lex Civilis præcipit & demandat speculatori custodiam civitatis, etiam præcepto in conscientia obligante; Lex Ecclesiastica præcipit audire Missam in Dominica: Gravius esset peccatum speculatoris, non custodire civitatem, quàm non audire Missam in Dominica: imò eodem tempore utroque præcepto concurrente, relinquenda potiùs est Missa, quàm civitatis custodia: Quia materia substrata in hoc est majoris momenti, & transgressio præcepti de custodia civitatis in detrimentum, majus vergit: etsi auditio Missæ pertineat ad materiam Religionis, & à nobiliori Magistratu, utiquè Ecclesiastico, sit indicta.

QUÆSTIO III.

Qualiter expendenda sit gravitas peccati mortalis ex intentione?

Suppono intentionem nihil aliud esse, quàm actum Voluntatis præfigentis, sivè tendentis in aliquem finem, & ordinantis aliqua media ad illum: Duplex verò hic finis notandus est: Alius est enim finis operis: Alius est finis operantis. Finis operis est, ad quem ex natura vel instituto opus dirigitur, ut finis sobrietatis est temperantia, & finis eleemosynæ ex sua natura, est subsidium pauperis, ex instituto Dei est merces æterna, finis operantis est ille ad quem suâ libertate operans suum opus dirigit etiam contrà finem ad quem, sivè ex natura sua, sivè ex instituto opus ordinatur, ut qui eleemosynam dat fœminæ solùm ut in suam libidinem illam inducat. Hanc itaque quæstionem paucis Conclusionibus sic absolvo.

Conclusio I.

Malum ex natura non potest in tentione fieri bonū. *Nulla quantumvis bona intentio potest reddere actum sivè opus quod est per se malū, bonū aut licitum.* Ratio petenda est ex natura actus & operis per se mali: Quòd enim per se malum est, cùm necessariò malitiam aliquam & deformitatem à bono includat, positâ quacumquè conditione, si idem maneat actus, necessariò malus est, quia *Malum ex singulis defectibus est.*

Dices: Si Petrus furto auferat gladium Ioannis intentione sola impediendi homicidium quod gladio oblato committeret, bonum opus facit ob intentionem quam habet impediendi homicidium; atqui furto auferre gladium non tuum est per se malum; ergo opus per se malum ex intentione, potest fieri bonum, *Resp. negando majorem.* Si enim Petrus vero furto tollat gladium cum Voluntate retinendi vel in suos vsus conuertendi inuito. Ioanne, malum semper opus manet, etsi ex illo bonum alterum sequatur, quod est impedimentum homicidii: si verò non auferat Voluntate retinendi, vel in suos vsus conuertendi, tunc non est furtum, sed simplex ablatio & quidem justa, à Ioanne injustè inuito, cùm in ejus bonum fiat.

Dixi verò in ratione ad Conclusionem (*si idem maneat actus.*) Potest enim ex aliqua circumstantia immutari malitia actus, & fieri licitus: tunc verò non imputatur immutatio malitiæ intentioni bonæ, sed circumstantiæ, aut alteri causæ quæ malitiam sustulit. *Explico*: Iacob cognouit Liam quæ non erat sua, putans esse Rachelem quæ sua erat, intentione quidem Matrimoniali quæ bona est: Actus ille ratione intentionis non est factus bonus, sed ratione ignorantiæ, aut potiùs probabilis opinionis quâ credidit esse Rachelem, Imò nec Lia tunc temporis omninò fuit non sua, cùm ipsâ consentiente & Parentibus tradentibus, esset Iacob jam tradita? quamuis necdùm scienter acceptata. Sic Israelitarum furtum spoliantium Ægyptum, actus per intentionem non fuit factus bonus, sed quia de justo & æquo Deus, qui est omnium rerum Dominus, eis ista vasa tradidit & injustum eorum dominium transtulit.

Quomodò si operarius intendens bonâ fide tantùm ex bonis Domini sumere, quantùm Dominus sibi est dibitor ex mercede defraudata vel injustè retenta, subreptio illa fit ei licita, non ratione intentionis bonæ, sed quia actus illi injustæ compensationis sibi licitus est ex circumstantiis, & supposito quòd Dominus injustè illius mercedem retineat.

Conclusio II.

Malum ex prohibitione, non potest fieri intentione bonum. *Opus malum, sivè actus malus ex sola prohibitione legis, quamdiu hic & nunc lex obligare censetur, ex intentione nequit bonus fieri.* Ratio est: Quia ex supposito hic & nunc malus est, non potest autem idem, eodem tempore esse bonum & malum.

Dixi itaque notanter (*quamdiu hic & nunc lex obligare censetur:*) fieri enim potest, & aliquandò fit, ut hic & nunc quandò operari intendo, lex ex aliqua Epikeia vel concurrentia alterius præcepti præstantioris non obliget: Et tunc quidem opus bonum reputabitur non ex virtute intentionis, sed ex cessatio-

cessatione pro hoc casu prohibitionis legis, & ex conformitate actus ad legem præstantiorem *Explico*: Catharina quia non potest succurrere familiæ suæ, vel pauperi gravi aut extrema indigentia laboranti (cui aliunde non succurritur,) intendit in Dominica vel festo laborare, solum ut hoc opus charitatis præstare possit: Si igitur istis circumstaotijs occurrentibus in Dominica laboret, opus bonum facit, non ratione intentionis præcisè, sed quia in tali proximi necessitac prohibitio de laborando in Dominica, non obligat, tum ex Epikeia sive interpretatione justissima legis, tum ex concurrentia præstantioris præcepti, quod est subvenire proximo graviter indigenti, cui aliud præceptum Ecclesiæ in simili occurrentia cedere debet, & de facto cedit.

CONCLUSIO III.

Opus ex mala intentione semper malum.

O*Mne opus quantumvis bonum, si ex mala intentione proveniat, aut illud mala intentio quovis modo afficiat, peccatum est & juxta finem malum intentum, peccatum veniale vel mortale est.* Ratio est: Quia juxta commuoe axio-

S. Dionys. ma sumptum ex sancto Dionysio: *sicut bonum est ex integra causa, sic malum ex singulis defectibus consurgit*; magnus autem in opere sive actu Voluntatis defectus est, malitia intentionis operantis: Non enim actus humanus

Matth. 6. Vers. 23. desumendus est ab intentione naturali operis, qua naturaliter in finem tendit: sed ab intentione libera operantis, qua voluntariè dirigitur. Unde Salvator: *Si occulus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*; quod de ocolo intentionis interpretantur Doctores omnes, *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit* id est, si tua intentio simplex fuerit: Quod intellige, modo ex objecto deformitas vel malitia non adveniat, ut in duabus prioribus Conclusionibus fuit expressum

Dixi primò, (*Si ex mala intentione proveniat,*) ut si quis eleemosynam det mulieri

1. Timoth. 3. Vers. 10. pauperi, ut eius amplexibus illicitis fruatur. Si quis ad Beneficia Ecclesiastica & prælaturas aspirer, ut possit licentiosè vivere. *Qui enim* (juxta Apostolum) *Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse*, id est, irreprehensibiliter suo gregi præ-esse.

Dixi secundò, (*aut illud mala intentio quovis modo afficiat,*) una enim quantumvis subordinata intentio mala, principalem intentionem bonam, imò plures bonas vitiare potest, quia, ut supra dictum est, *Malum exsurgit ex singulis defectibus.*

Explico: Joannes intendit multis medijs sanitatem corporalem vera intentione principali Deo melius serviendi in aliqua austera Religione, inter media autem quæ intendit, est aliquod superstitiosum, sive curatio superstitiosa per magica vel sortilega signa: eo ipso quo intendit (quamvis tantum subordinatè) illud medium, tota principalis intentio sanitatis & aliorum mediorum licitorum ad sanitatem recuperandam pro Dei servitio, corrumpitur, & non tantum desinit esse meritoria, sed fit demeritoria & peccatum mortale.

Dixi notanter & supposui (*si mala intentio bonam afficiat,*) si enim mala non afficit bonam intentionem, erit & reputabitur actus disparatus, nec bona intentio ab illa mala inficietur. Tunc autem censetur mala intentio bonam afficere & inficere, quandò est antecedens vel coocomitans intentionem bonam, ut in exemplo allato cum antecedenter proponit vel intendit uti medio superstitioso ad sanitatem pro Dei servitio consequendam: vel cum coocomitanter ubi de medijs deliberat, intendit & adhibere vult medium superstitiosum; Tunc verò non censetur prava intentio inficere bonam, quando subsequitur: *Ex. g.* Joannes vult dare eleemosynam Berthæ ut ejus suppleat indigentiam & exerceat opus misericordiæ: dum autem jam dedit, intendit ex occasione & obligatione datæ eleëmosynæ illam ad illicitos amplexus inducere. Intentio prior & donatio eleemosynæ bona fuit; nec à subsequente mala infici potuit, quia prior intentio jam transiit, & opus ab illa intentinne procedens, bonum fuit: Intentio autem secunda jam in disparatum actum tendit, nec priorem inficere potest; Sicuti è contrà qui pravâ intentione dedisset mulieri eleemosynam ad illā sollicitandam: data eleëmosyna converteretur ad cor, & illam ordinaret ad exercitium operis misericordiæ: Intentio illa posterior non potest rectificare priorem actū quo jam peccasse censetur, nec potest retrotrahi; sed tantùm prodest ad præsentem actum Pœnitentiæ & præservationem à malo sequenti.

Ex dictis manifestum est quàm perversè faciant qui intentionibus principalibus bonis, tam multas perversas & malas immiscent, quibus loco actus boni peccatum, loco meriti demeritum, imò aliquandò damnationem æternam incurrunt. Videant qui ex eleëmosynis, pietate, doctrina, sanctis exercitiis, sibi non modò vanam gloriam & honores, sed status etiam sibi quærunt ut luxui & licentiosæ vitæ suæ satisfaciant. *Nota.*

DUBIUM. I.

An in Confessione Sacramentali debeat exprimi intentio operantis?

R*Espondeo primò*: Quandò intentio operantis eadem est cum intentione finis operis, non est opus exprimere illam, sed sufficit si opus exprimatur. Responsio ex terminis clara est. *Quandò intentio in Confessione exprimi debeat & quādo non.*

Respondeo secundò: Si peccati malitia ex

sola

sola intentione nascitur, opere alias bono existente, & ad mortale peccatum perveniat necessaria est ejus expressio. Et hæc Responsio iterum ex terminis clara est, quia absque expressione intentionis peccatum nequit concipi, aut intelligi.

Respondeo tertio: Si intentio actum privat bonitate sola supernaturali aut merito, & culpam specialem non inducat; exprimenda non est.

Explico: Dat quis eleemosynam sine respectu ad Deum, vel ad opus charitatis propter Deum, sed tantum respectu quodam naturali aut morali, quo intendit personæ gratificari, quia amicitia vel propinquitate est conjuncta: sicut in opere nec peccatum nec meritum est, sic nec in intentione est, adeoque nulla hic Confessionis sacramentalis materia intercedit: etsi enim opus illud potuerit quis operari intentione charitatis propter Deū, & consequenter meritoriè ad vitam æternā, nullo tamē præcepto ad hoc tenetur. Quinimò qui oraret, vel eleemosynam daret ut aliquem favorem humanum captaret sibi commodum extra rationem superbiæ vel vanæ gloriæ, non alio decernitur à Salvatore dignus supplicio, quam: Quod receperit mercedem suam, id est, temporalem, dimissâ æternâ.

Dubium. II.

An eodem peccato condemnandus sit qui intentione aliàs bonâ se exponit periculo peccati, & qui peccatum eâdem intentione committit?

Explico: Abraham Erimita ad lupanar vadit ut suam Neptem Mariam è lupanari eripiat, interim se periculo exponit illecebrarum & pravorum motuum, quæ ex conversationibus in concupiscentia excitari possunt. *Similiter*, Requirit aliquis Idiota minùs fundatus proximum suum inter Hæreticos, cum periculo nè ipse subvertatur, intentione illum ad gremium Ecclesiæ reducendi. *Item*, Ioannes visitat tabernas, & cum ebriosis compotitat ac se periculo ebrietatis exponit, zelo illos à sua mala vita ex familiari conversatione reducendi, aut simili ratione visitat lupanaria & cum meretricibus familiariter agit. An intentio bona excuset, quo minùs ratione periculi cui se exponit, peccet?

Bona intentio in proximo periculo peccandi non excusat. *Respondeo primo*. Manifesto & evidenti, seu proximo periculo mortaliter peccandi se exponere, etiam quâvis intentione bonâ, peccatum mortale est. *Ratio est*: Quia manifestum & proximum peccandi periculum ipsi peccato æquiparatur, & peccatum mortale est illi se exponere; ergò quâvis intentione bonâ rectificari non potest, ut superiùs in Conclusionibus expositum est.

Respondeo secundo. Si non sit manifestum & evidens periculum peccandi, ut-pote, quod quis se divina gratia satis fortem sentiat, & omninò speret posse se periculum superare: Intentio bona illum non tantùm excusare, sed etiam meritorium opus reddere potest. *Ratio est*: Quia periculum illud reverà peccatum non est, nec malum, sed adhuc omninò suspensum, & sicut qui illud superat, laudabiliter operatur, sic potest quis illud bonā intentione laudabiliter aggredi: Et sic explicanda sunt exempla Sanctorum, & actus multorum zelosorum, qui pro salute proximi in nomine Domini hujusmodi periculis se exposuerunt. Non omnibus tamen competit, talibus se exponere periculis, sed quibus datum est; idcirco adhibenda sana consilia & maturæ deliberationes, probandique spiritus antequam quis se exponat.

QUÆSTIO IV.

Quod dicatur peccatum ex circumstantia, & qualiter eius gravitas sit expendenda?

Quid Circumstantiae. Circumstantia in actibus moralibus & humanis, dicitur conditio quædam sive affectio actus humani & moralis, quæ etsi ad substantiam actus non pertineat, illum tamen aliquo modo afficit & quasi circumstat. Unde Circumstantiæ vocantur accidentia actus humani, quia actui humano quasi adveniunt. *Explico in Furto*: Ioannes furto rem alienam accipit: Quoad substantiam actus tria tantum concurrunt: Ioannes accipiens, res aliena, & acceptio sive ablatio injusta. Circumstant autem illum actum alia plurima, ut-pote *Quis*? nimirum, dives aut pauper, vel extrema necessitate laborans: *Quid*? An parùm vel multùm, pecuniam vel agrum: *Vbi*: In loco sacro, an prophano: *Quibus auxiliis*: Si armatā manu, plurium concursu, &c. *Cur*? Ad rem perpetuò retinendam, an ad compensationem alterius damni sibi illati: *Quomodo*? An cum aliqua alterius damnificatione, percussione, injuria. *Quando*? An tempore belli, vel hostilitatis, &c. Porrò Doctores communiter distribuunt Circumstantias in *Speciem mutantes*, & *Aggravantes*, aut *Diminuentes*.

Circumstantia Speciem mutantes quae. *Circumstantiæ Speciem mutantes* dicuntur: Quæ actum ab una specie peccati ad aliam transferunt. Quod tripliciter contingere potest. Primò, Aut efficiendo ut quod est peccatum unius speciei, fiat peccatum alterius. *Ex. g.* Concubitus soluti, qui cum soluta esset tantum simplex Fornicatio, si habeatur cum conjugata, fiet Adulterium, si cum Deo per votum dicata, fiet Sacrilegium, &c. Secundò, Vt id quod non erat peccatum, aut non nisi veniale de genere suo,

suo, fit ratione circumstantiæ mortale, Ex. g. *Propriori*: Si quis det eleemosynam pauperi ut furto mortali cooperetur; *Pro posteriori*: Si quis dicat verbum scurile coram infirmis qui scandalizantur graviter, vel ad illicita pertrahuntur. Tertio, Cum id quod erat de genere suo peccatum mortale, fit ratione Circumstantiæ veniale, aut nullum: ut si quis pauper in extrema necessitate constitutus, rapiat ex alienis bonis quod sibi ad alimentum est necessarium.

Quid circumstantia Aggravantes & Minuentes. *Circumstantiæ Aggravantes vel Minuentes* dicuntur; Quæ intra eandem speciem peccati aggravant vel diminuunt malitiam, ut si quis intrà mortalem iram, vehementius exæstuet, & vehementioribus motibus agitetur, aut si quis intra iram mortalem minus commoveatur & motus alias vehementiores cohibeat, prius enim aggravat, posterius in eadem specie actum diminuit.

Præter hanc divisionem, rem non inutilem me facturum credidi, si pro clariori dicendorum in hac materia explicatione aliam divisionem superadderem, à Doctoribus quidem minime usurpatam, ex doctrina tamen illorum procedentem. Altera igitur mihi diuisio est Circumstantiarum in *Meras Circumstantias*, & *Circumstantias Mixtas*. *Quid Circumstantia Mera & Mixta.* *Meras Circumstantias* voco: quæ ita actum vel opus circumstant, ut ad substantiam operis vel actus nullatenus pertineant: ut Circumstantia loci sacri in furto, in actu conjugali, vel etiam concubitu illicito, &c. *Circumstantias* verò *Mixtas* appellandas sentio: Quæ aliqua quidem ratione opus vel actum circumstant, sub alia tamen ratione consideratæ verè ad substantiā operis vel actus pertinent, specialiq; titulo internam operis malitiam & deformitatem, vel etiam honesti operis bonitatem augent, etsi speciem actus non mutent. *Explico*: In furto mille aureorum: quantitas mille aureorum, ex eo quòd actus furti mortalis in minori quantitate committi possit, aliquo modo est accidens, & consequenter Circumstantia, respectu furti mortalis: Quia tamen illa quantitas facit unum totale subjectum, siuè pertinet ad integritatem materialem hujus furti, pertinet ad hoc in indiuiduo furtum, tamquàm ad ejus objectum & materiam, ideoquè reputatur de substantia ejus. Quod declaratur in sacrilego concubitu, quem cum Moniali haberet Religiosus: etsi enim unum Sacrilegium specie ac numero sit ob Circumstantiam voti, Injuria tamen & violatio castitatis Deo promissæ, quæ est tàm ex parte Religiosi, quàm ex parte Monialis, quorum quilibet corpus Deo sacratum per votum, sibi inuicem tradunt, pertinet, imò complet totam substantiam actus siuè operis in quantum malum est: ita vt ex duabus partialibus injurijs una totalis concrescat, quæ utraque etiam, ut dicemus, confitenda est. Utilitas huius distinctionis patebit ex infra dicendis conclusionis.

CONCLUSIO I.

Circumstantia speciem mutans necessario confitenda.

G*Ravitas quæ operi peccaminoso advenit ex ratione circumstantiarum mutantium speciem, tum à Iudice siue Confessario tum a Reo siue Peccatore bene attendenda est. & consequenter confitenda in Sacramentali Confessione.* Ratio est: Quia multum variat Judicium, &(ut supra notatum est) de non peccato, aut tantùm veniali, facit frequenter mortale, aut speciem unam transfert in aliam in condemnationem Pœnitentis; aut de peccato mortali facit veniale vel nullum, aut de una specie majoris malitiæ, facit peccatum speciei minoris malitiæ, vel è contra.

Hæc sufficienter in superioribus sunt exemplificata, & suis locis in secunda Parte hujus Tribunalis in particulari explicabuntur. Communissimum autem exemplum est de actu carnali qui si secundum naturam fit, inter solutos quidem est Fornicatio simplex: Inter conjugatum cum uxore aliena, aut solutum sive solutam cum conjugato vel conjugata, Adulterium: Inter Deo sacratum & sacratam per votum Castitatis, aut solutum vel solutam, conjugatum vel conjugatam cum Deo sacrato vel sacrata, est Sacrilegium: Inter sanguine aut affinitate junctos & junctas in gradibus prohibitis, est Incestus. In violatione Virginitatis virgine non consentiente est Stuprum. In actu autem carnali contra naturam, si inter homines sivè viros sive fœminas, est Sodomia, si hominis cum brutis est Bestialitas. Et sic de cæteris quæ ut dixi, multum variant judicium, & statum Rei sivè Peccatoris immutant.

CONCLUSIO II.

Circumstantia mera non est proponenda in Confess.

G*Ravitas quæ actui sivè operi peccaminoso advenit ex Circumstantiâ Mera tantum aggravante vel diminuente intra eandem speciem, proponenda & exponenda non venit in hoc Iudicio.* Ratio est: Quia illa non multum Judicium variat, & vix in singulis expendi potest, maxime si Mera, ut notanter dixi, Circumstantia fit, nec substantiam operis quovis modo attingat. Et in hoc sensu verissimam arbitror sententiam magis communem Theologorum, qui docent: Circumstantias etiam notabiliter aggravantes intra eandem speciem, non esse necessario confitendas: Utique: Quia vix judicium immutant, & alias Aggravatio illa cuilibet juxta sensum suum explicata, intricatissimas generaret difficultates. Cui sententiæ omninò favet Concil. Trident, *sess.* 14. *cap.* 5. ubi docet: *Circumstantias in Confessione explicandas esse quæ speciem peccati mutant quod sine illis peccata ipsa, neq; à Pœnitentibus integrè exponantur,* *Concil. Trident. sess. 14. cap. 5.*

ponantur, nec Iudicibus innotescant, & fieri nequeat ut de gravitate criminum recte censere possint. & pœnam quam oportet pro illis, Pœnitentibus imponere; nullam autem fecit Circumstantiarum intra eandem speciem aggravantium, mentionem, quasi indicans illas ad necessarium Judicium non pertinere; Quia autem propter nonnullas difficultates, quæ in varijs casibus occurrunt, non infimæ notæ Doctores volunt etiam notabiliter aggravantes Circumstantias ad Judicium Sacramentale necessario requiri, ideoque in Confessione explicandas esse, pono sequentem Conclusionem.

CONCLUSIO III.

Quando Circumstantia Mixta in Confess. proponenda.

Circumstantiæ Mixtæ aggravantes intra eandem speciem, quæ nimirum, aliqua ratione sunt de substantia actus, sive operis mali, in duobus casibus in confessione sunt proponendæ & expendendæ, tum à Confessario tum à Pœnitente.

Primus Casus est, quandò Circumstantiæ aggrauantes sunt pars notabilis materiæ sive objecti ipsius operis, vt in Furto quantitas nobilis; Ei enim qui furatus est, non sufficit dicere se Furtum in materia peccati mortalis commisisse, nisi dicat quantitatem, si notabiliter aggravat. Ratio est: Quia cum Furti malitia consistat in ratione damni vel injustitiæ, quantitas se habet ut materia & obiectum ex quo Judicium Confessarij pendet, cuius est de damno illato, & iniustitia iudicare, tum ob gravitatem peccati, tum propter obligationem Restitutionis. Idem dicendum de detractione, & infamia; non enim sufficit dicere: Detraxi de proximo in materia gravi & infamante: nisi gravitas notabilis exprimatur in quantitate virtuali iniuriæ: ut si detraxeris de viro gravi, cuius fama necessaria est ad Reipublicæ, vel alicuius Communitatis regimen & conservationem: Talis enim infamia non solum in personæ, de qua detrahis, detrimentum cedit, sed iniuria ampliatur ad totam rempublicam vel Communitatem. *Item*, Si detraxeris coram pluribus, iniuria enim eo magis notabile augmentum sumit, quo apud plures, apud quos Fama personæ, de qua detrahis, erat integra, dispergitur. *Similiter*: Incestus in primo gradu gravior est Filij cum Matre, vel Patris cum Filia, quam Fratris & Sororis: Quia maximè horrendus & abominabilis naturæ, & in quo propter naturæ horrorem nulla unquam nec divina fuit dispensatio. Undè quia in illa circumstantia objectum ipsiusque substantialis deformitas maximè consistit, ideo in hoc judicio explicanda & expendenda venit.

Secundus casus est: Quando Circumstantia Mixta singularem deformitatem numericam, sive virtuale peccatum mortale operi super-addit intra eandem speciem. Ex. g. Si quis incendens domum, viginti personas in illa conclusas velit interimere, non sufficit dicere: Incendi domum cum interemptione personarum quæ inclusæ erant, sed addere debet si sciebat quot erant & quot interemptæ sunt. *Ratio est*: Quia etsi interemptio tot personarum unico actu unum peccatum totale sit, viginti tamen deformitates singulares & interemptiones numericas continet, & tot peccata mortalia in unico incendio illo, virtute continentur. Huc spectat si quis in die jejunij non tantum pluribus refectionibus jejunium violet, sed etiam carnes comedat; Etsi enim sit una violatio jejunij, est tamen prævaricatio duplicis præcepti virtualiter disparati: Non enim solum prohibetur in die jejunij pluralitas refectionum, sed etiam abstinentia à carnibus injungitur. Unde non sufficit in hoc judicio exprimere fractionem jejunij, sed oportet addere comestionem carnis: Quia Circumstantia Mixta est, & quæ singularem deformitatem in substantia operis ex prohibitione speciali superaddit. Unde ut melius & facilius intelligatur, quæ sint Circumstantiæ vel modi aggravantes intrà eandem speciem, qui huic Judicio Sacramentali proponi debeant, pono tres Regulas.

REGULA I.

Quandocumque gravitas iniuriæ vel malitiæ in peccato, pendet ab accretione materiæ, etsi unus actus sit, & accretio materiæ ex circumstantia aliquo modo adveniat, necessario tamen in Confessione exprimenda est, & a Confessario expendenda, Explico in furto: Quia gravitas injuriæ & malitiæ specialiter ex accretione materiæ oritur (quo enim quis plus accipit, eo majorem iniuriam & majus damnum infert proximo, maioribusque vinculis restitutionis constringitur, & è contra, quo minus quis accipit, eo minorem iniuriam & malum committit ita ut consideratione qualitatis & personæ, à qua aufertur, etiam ad venialem tantum culpam imputetur:) ergò quo maior erit materia notabiliter, erit & notabiliter gravior culpa, & maior restitutio imponenda: ergo gravitas materiæ erit explicanda. Et ratio huius Regulæ ex sæpè dictis manifesta est: Pertinet enim multum ad veritatem & varietatem judicij in peccatis quæ iniuriam proximi vel injustitiam continent, qualitatem & quantitatem injustitiæ cognoscere, nec absque hujusmodi cognitione verũ judicium inferri potest. *Explico* amplius in peccato furti: Ioannes intendens tantum furto aliquot asses surripere quos solutos putat esse in bursa Petri interim bursam surripiens plures aureos reperit & retinet; Non est satis dicere: Furto abstuli aliquod asses, sed addere oportet: Cum furto intenderem accipere aliquot asses, tot aureos tamen accepi, &

Declaratio tum primum quando de Circumstantia aggravante Mixta Confitenda sit.

eos

eos retineo. *Ratio est* : Quia ut annotavimus in superioribus : peccatum furti non tantum respicit furtivam acceptionem, sed etiam detentionem injustam rei in quantitate notabili. Unde diximus eum, qui respectu ejusdem, sive ab eodem, accipit plura minutilis furtis, quando pervenit ad damnum notabile per quantitatis notabilis detentionem ex minutilis illis & venialibus furtis succrescentem, cùm fiat notabilis rei detentor, vel notabilis injuriæ illator, peccat mortaliter : Ergo ad judicium de gravitate furti, pertinet æstimatio quantitatis injustitiæ, quæ cùm ex materiæ accretione oriatur, respectu facto ad personam, ipsa materia in Confessione explicanda erit. *Explico* : Altero exemplo Canonibus Ecclesiæ explicato : Illi qui Clericum percussit etiam percussione quæ est peccatum mortale, non sufficit dicere : percussi Clericum, sed rationem percussionis debet exprimere, An scilicet percussio fuerit etiam in genere peccati mortalis, Levis, an Gravis, an Atrox sive Enormis, etsi intra eandem speciem ista aggravent. *Ratio est* : quia ita judicat Ecclesia quæ in Reservatione illius Casus varios induxit recursus, ut-potè si Levis tantum & modica, ab Episcopo absolvi possit : si verò Gravis vel Atrox sive Enormis, Sedi Apostolicæ reservatur de Jure. Quæ diversitas non ab Excommunicatione tantùm, quæ in eos à Jure fulminata est, desumitur, sed maxime fundatur in materia vel injuria percussionis intra eandem speciem.

Regula II.

Documentum secundum quando circumstantia Mixta sint confitenda.

Q*Vandocumque multiplicitas actuum ex multiplicitate objecti desumitur, ubi erunt multiplicata objecta, ob eorum multiplicatio intra eandem speciem confessione explicanda erit, etsi unus tantum sit actus.* Ratio fundamentalis hujus Regulæ est : Quia etsi formaliter unus sit actus, virtute tamen multiplex est, adeoque multiplicem deformitatem continet, & omnino per accidens est, quod unico actu peccatum compleatur, quod diversis actibus natum est perfici.

Explicatur : In occisione plurium unico actu, una explosione tormenti bellici, uno incendio, una ruina, Actus enim occisionis ratione pluralitatis personarum quæ occiduntur, vere in objecto virtualiter est multiplex, ideoque etsi videatur tantum circumstantia intra speciem eandem aggravans, quia tamen actus virtualiter & in objecto multiplicatur, Pœnitens debet, si novit, numerum personarum occisarum, exprimere : quia revera ad certitudinem & veritatem Judicij ista spectare dignoscuntur etiam in foro externo & politico.

Regula III.

Documentum tertium quando circumstantia Mixta sint confitenda.

Q*Vandocumque diversa deformitates disparata, ex omnino disparatis praeceptis vel motivis advenientes, in eodem actu continentur, in judicio Sacramentali Confessionis explicanda & exprimenda sunt.* Ratio est : Quia sunt tot peccata in virtute, quot transgressiones, quæ omnia valdè alterant Judicij rectitudinem & substantiam. *Explico* : Sacerdoti vel Religioso cognoscenti Conjugatam, non sufficit dicere quod Conjugatam cognoverit, sed si ignotus sit Confessario, tenetur dicere quod sit Sacerdos vel Religiosus, quia etsi unicus sit actus, duplex tamen est, & multum disparata deformitas : Adulterij quidem, respectu mulieris cognitæ : Sacrilegij autem, respectu Sacerdotis vel Religiosi cognoscentis. *Item* : Quis tenetur jejunio ex ratione voti & eadem die ex ratione Pœnitentiæ sibi impositæ : Non sufficit dicere se jejunium violasse ad quod ex voto tenebatur, sed debet etiam addere quod eadem die ex Pœnitentia Sacramentali imposita ad illud teneretur : Quia duplicem disparatam malitiam hic actus continet, priorem contra votum, posteriorem contra obligationem ex Sacramento ortam.

Dixi (*quando diversæ disparatæ deformitates ex omninò disparatis præceptis vel Motivis advenientes, in eodem actu conveniunt* :) ubi enim omninò non sunt disparatæ, sive ex omnino non disparatis legibus vel motivis non procedunt, confitendæ & explicandæ non sunt. *Ex. g.* Si quis non jejunaret in Vigilia Apostoli incidente in Quatuor tempora, vel in aliū diem obligationis similis in Quadragesima ; non teneretur explicare istas circumstantias.

Ratio est : Quia etsi duobus titulis obligaretur ad jejunium, & consequenter peccatum accessione duplicis tituli sit gravius, Quia tamen utraque lex de imponendo jejunio eodem motivo procedit ad temperantiam & austeritatem religiosam inducendam, deformitatem duplicem & disparatam non causat. *Idem censeo* : Quandò jejunium non ex voto speciali, sed ex præcepto tantum regulæ aut Constitutiones oritur, & simul concurrit præceptum Ecclesiasticum, ut inter Fratres Minores in violatione Jejunij Feriæ sextæ, in quam Vigilia Apostoli concurrit. Cum enim præcepta jejuniorum Regulæ non sint præcisè vota, imposita censentur eodem motivo austeritatis & abstinentiæ sive temperantiæ religiosæ, & in eodem motivo cum præcepto Ecclesiastico censentur convenire. Idem dicendum de Religioso Sacerdote in lapsu carnis : sufficit enim si dicat se Religiosum, aut Sacerdotem, nec opus est ut utrumque exprimat, quia in eadem persona votum castitatis quod ex vi utriusque

utriusquè status competit, in unum coalescit: quidquid aliqui velint opinari in contrarium; Uterque enim status, ex intentione Ecclesiæ Castitatis votum includit; Religio quidem votum explicitum & solemnitatibus explicatum: Sacerdotium autem implicitum quidem, solemni tamen æquivalens quia matrimonium dirimit & simplex votum excedit, quamvis explicatas & explicitas cæremonias non habeat. Vide ritus Consecrationis Sacerdotum.

Concordia Opinionum de Circumstantijs Aggravantibus.

Ex his concordari possunt opiniones Auctorum, quæ alias videntur diversæ. Omnes enim circumstantiæ aggravantes, quæ notabiliter ad integritatem materiæ, & malitiæ quandam extensionem substantialem spectant, vel in quibus malitia ad objectorum pluralitatem se extendit, aut quæ virtute (etsi non formaliter) disparatas omninò malitias continent, sunt in Confessione explicandæ. Cæteræ quæ ex mera circumstantia aggravant, & ad substantiam facti sive actus non pertinent, taceri possunt. Ratio jam sæpè dicta est: Quia nimirum, illæ ad Judicij recti & integritationem spectant illudque notabiliter immutant & alternant: hæ verò non ità.

TITVLVS IV.

De unitate ac distinctione numerica vel specifica peccatorum?

QUÆSTIO I.

Vndè sumenda sit unitas specifica peccatorum?

CONCLUSIO UNICA.

Vnitas & distinctio specifica peccati.

V*Nitas & distinctio specifica peccatorum sumenda est ab objecto formali ratione Legis circa quam transgressio, sive actus deformitas versatur.*

Dixi *ab objecto*) non autem à lege ipsa; Contingit enim actus specie distinctos eadem lege in specie prohiberi: ut per præceptum *Non mæchaberis*, prohibetur non tantum adulterium, sed & incestus, & fornicatio, stuprum, &c. Et per præceptum *Non assumes nomen Domini tui in vanum*, prohibetur & Perjurium, & Blasphemia, & transgressio Voti, &c. quæ specie distinguuntur Et sic in alijs præceptis legis exemplificari potest: vix est enim unum præceptum quod plures specie transgressiones non complectatur.

Exod. 20. Vers. 13.

Dixi (*ab objecto formali sive ratione formali legis circa quam transgressio, sive deformitas versatur:*) Contingit enim pluribus legibus idem præcipi vel prohiberi eadem ratione, unde & transgressio & deformitas eadem specie censenda erit, quamvis diversis legibus prohibeatur, *Explico*: Lege divinâ naturali, lege divina positiva, lege humana prohibetur Furtum; quia tamen objectum formale & ratio legis est injustitia quæ in Furto committitur, omnia Furta & transgressiones sunt ejusdem speciei, & eedem specie deformitatem habent, quamvis pluribus legibus prohibeantur. Quod si objectum formale & ratio legis mutetur formaliter seu specie, consequenter actus sive transgressiones mutabuntur specie: ut in furto sacrilego sive in Sacrilegio; quia enim objectum formale & ratio legis formaliter in materia Furti specie mutatur (in Sacrilegio enim objectum formale est res quatenus sacra vel in loco sacro recondita, & ratio formalis legis est religiosa immunitas supra communem injustitiam Furti) idcirco ratione formali & objecto formali mutato, censetur etiam immutari species peccati. Quod in omnibus exemplificari potest. Quod enim Adulterium ab Incestu, Sacrilegio, Fornicatione, Sodomia, &c. specie differt, est, quia objectum formale, & ratio formalis legis, præter concubitum carnalem, in Adulterio est iniuria thori & Matrimonij; in Incestu, irreverentia & iniuria sangvinis vel proximitatis; in Sacrilegio injuria personæ Deo desponsatæ sive sacratæ, quæ est injuria in Deum redundans: in simplici fornicatione injuria prolis & naturæ benè institutæ; in Sodomia perversitas ordinis totius naturæ, &c. Et sic in omnibus præceptis objectum formale & ratio formalis legis, sunt quasi punctum & index rectitudinis à quo per peccatum magis vel minus receditur aut declinatur: adeoquè rectè specifica unitas vel distinctio ab illis sumitur. Et quidem in omni Lege Positiva ratio formalis legis, est motivum Legislatoris, quæ etiam vocatur anima legis. In lege autem Naturali est ipsa rectitudo & honestas, ratione cuius dicitur lex.

QUÆSTIO II.

Vnde sumatur unitas & distinctio numerica peccatorum?

CONCLUSIO I.

Vnitas & distinctio numerica peccatorum internorum.

P*Eccata interna unitatem & distinctionem numericam sumunt ab ipsa unitate, vel distinctione actus Voluntatis, quo fit voluntaria præcepti transgressio, juxta eius moralem existentiam vel durationem* Explico: Quamvis Joannes uno actu Voluntatis intendat occidere plures homines, non idcirco plura peccata interna committit, sed tantū unū; quia unicus est actus Voluntatis, & unum objectum formale, nimirum, Occisio, quamvis sint plura objecta materialia quæ in uno formali objecto per modum unius continentur

nentur, & quamvis peccatum, ut in superioribus dictum est, virtute sivè potestate, plura contineat, quia in singulari cujuslibet. Occisio separatim & intendi, & fieri potest, pro-ut tamen uno actu interno Voluntatis intenditur, unum tantùm peccatum est: sicut & ille qui per plura & minuta Furta magnam summam, vel qui summam magnam uno actu intendit, uno peccato internæ Voluntatis damnatur, quamvis juxtà rationem injuriæ sivè damni illati, graviori vel minùs gravi. *Ratio est*: quia(ut supponitur) una est Volitio, & si quæ sit multiplicatio in materiali objecto, ratione objecti formalis & intentionis, per modum unius, omnia in uno censentur & unita & volita, debent tamen, ut superiùs dixi, omnes malitiæ & injuriæ, quæ in uno illo formali objecto uniuntur, exprimi in hoc judicio, quia gravitatem talem addunt actui, ut quamvis formaliter sit unus & unum peccatum, virtute tamen multiplex est, & ad Judicij veritatem & integritatem spectat illa cognoscere.

Dixi(*ab unitate vel distinctione actus quo fit voluntaria præcepti transgressio*,) sub quibus semper Omissiones comprehendo: Ad excludendos multos actus præparatorios, qui similiter in ultimato uniuntur, ut *Ex. g.* cogitationes perversæ, judicia mala, passiones odij, invidiæ, vel iræ, ex quibus, in exemplo allato oritur illa Voluntas ultima plures homines occidendi. Ista enim omnia ità in ultimo actu Voluntatis internæ uniuntur, cum ad illum referuntur & perveniunt, ut unum tantum peccatum ex omnibus coalescat, & Reus tantum teneatur fateri se deliberatè hominem vel homines plures voluisse occidere. Et sic illa præambula sunt expendenda in alijs similibus peccatis, ubi est quidam ordo & concatenatio actuum præcedentium ad ultimum, ut cogitationes impudicæ, desideria tactuum, variæ illecebræ mentales quæ præveniunt ac referuntur ad hunc actum ultimatum voluntatis quo consentit, & vult carnalem concubitum, &c.

Dixi(*juxta ejus moralem existentiam & durationem*:) Actus enim ille voluntatis quamvis natura sua instantaneus, si tamen moraliter censeatur diu existere, & durare, quamdiu moralis, ista existentia & duratio persistit, tamdiu unum tantum peccatum censetur, etsi per plures horas, imo & per dies perseveret.

Unde sumatur actus duratio vel ejus revocatio, sive cessatio. *Petes*: Quamdiu censeatur idem actus Voluntatis internæ existere sive durare? *Resp.* Quamdiu non est formaliter vel interpretativè revocatus. Tunc autem censetur formaliter revocatus: Quandò Voluntas alium actum contrarium elicuit, vel quandò à proposito se à tali distrahit, sive divertit: *Item*, Si actus aliquos doloris, tristitiæ vel aversionis à priori actu sensit. Interpretativè verò, Quandò, etsi contrarium actum, vel distractionem à proposito, sivè etiam aversionem animi non senserit, aliquo tamen tempore dum ad actum illum reflectitur, omninò negativè se habet & dissimulat, nec in illius objectum movetur. *Explico*: Joannes succubuit tentationi carnis & in actum impudicum vel delectationem ejus interiùs consensit, quamdiu actum contrarium non elicuit, vel voluntariè & à proposito non se divertit, nec aliquam aversionem sensit; imò ubi ad priorem actum se reflectit, sibi complacer, tamdiu censetur moraliter prior actus sivè consensus perdurare & existere, & quamvis per plures horas, imò dies perseveret, unus actus est, & per modum unius proponendus; si verò quovis momento vel tempore post illum Voluntatis actum sivè consensum Voluntas actum contrarium exerceat, vel à proposito ab actu se divertat; aut aversionem aliquam sentiat, imò ubi ad priorem consensum reflectit, negativè se habeat, & absque ulla complacentia dissimulet: tunc ab isto momento censetur prior actus sive consensus finiri, & si insurgat deinceps cum nova tentatione consensus, actus ille sequens numero distinguitur à priori. Quod & in alijs declarari potest: Joannes in proximum ira mortali effervescit, & quamvis motus vehemens aliquantulùm se remittat, nihilominùs continuo ferè appetitu vindictæ, cui jam consensit, movetur, & pluribus diebus ruminat, nullo actu contrario, nulla diversione à proposito facta, nulla aversione succedente Et quamvis non semper recogitet aut reflectatur, statim tamen ubi reflectitur, eodem appetitu vindictæ continuat: unum est numero peccatum internum, quia est una moralis existentia & duratio actus, quamvis multùm gravis & ad judicij integritatem exprimi debeat. Si verò interdùm contraria Voluntate vel resipiscentia avertatur, aut motus iræ ità cesset, ut quantumvis reflectatur ad priorem motum, negativè se habeat, tunc moraliter actus cessare judicatur, & si resumat, novum numero peccatum committit.

Nota. Ex quibus infero, non solam Cessationem, sivè interruptionem actus interni per somnum, occupationem externam non à proposito assumptam, esse sufficientem ad moralem interruptionem actus interni mali, ut posteà quasi resumptus, unus numero continuari non dicatur: sed interruptionem debere esse à proposito & scienter factam, aut cum menti actus recurrit; saltem Voluntas negativè ad illum se habeat. *Ratio est*: Quia aliàs si quoties actu reflectitur, toties moveatur, omnis motus sic perseverans primo impetui & impulsui ex actu impresso imputatur, cùm constet Voluntatem nec formaliter; nec interpre-

tativè illum revocasse. Debet igitur esse interruptio quævis aut formaliter aut interpretativè voluntaria ad hoc ut actus interni repetitio censeatur numero distincta à priori.

CONCLUSIO II.

Unitas & distinctio numerica actuum externorum.

VNitas & distinctio numerica actus externi, *sumi debet ab unitate vel distinctione moralì omnium quæ ad actum referuntur, quatenus in uno vel diversis objectis formalibus & fine operantis distinguntur vel uniuntur.* **Explico:** In concubitu carnali verba, oscula, sollicitationes, tactus etiam immediatè ex concubitu sequentes, non faciunt peccata numero distincta, sed moraliter sub uno numero concubitu comprehenduntur. **Ratio est:** Quia moraliter actus illi ad unum actum principalem referuntur, & in uno formali objecto & fine operantis, qui est mulierem carnaliter cognoscere, uniuntur. Unde sufficit Pœnitenti confiteri principalem actum nulla facta mentione antecedentium vel immediatè subsequentium. **Similiter:** Quis vult occidere hominem & ad hoc pluribus diebus insidias struit, gladium & bombardam parat, dolos machinatur, motus graves iræ in se excitat, post mortem etiam aliquot ictus corpori infert: Hi omnes actus quia moraliter ad occisionem unius hominis referuntur, & in objecto formali & fine ab operante intento uniuntur, unum numero peccatum sunt.

Dixi (*ab unitate vel distinctione morali omnium quæ ad actum concurrunt vel referuntur:*) Non enim in peccatis attendenda est numerica distinctio singulorum actuum physicè; cùm enim peccatum ut in hac materia consideratur, sit ens morale, moraliter considerandum est, non physicè. Quamvis igitur multi sint actus physici qui ad peccatum concurrunt, unitas tamen & distinctio sumenda est à toto morali, non physico.

Dixi (*quatenùs in uno vel diversis objectis formalibus & fine operantis uniuntur vel distinguuntur:*) Ab hoc enim sicut moralitas actus totam rationem sumit, sic & distinctionem aut unitatem. **Explico:** Joannes intendit & vult uno actu externo sive stratagemate occidere decem homines: si succedat ut uno solo externo actu occidantur, etsi multa media interveniant, unum numero peccatum est, quamvis virtute multiplex: quia uno actu, objecto formali, & fine omnia simul concluduntur & terminantur; etsi plura materialia objecta sint; si verò contingat unâ actione morali decem homines non occidi, sed diversis actibus externis ab invicem disparatis, tunc decem numero peccata erunt: quia nec actus illi, ut supponitur, ad unam actionem concurrunt, nec in uno objecto formali sive fine intento uniuntur: quia contra propositum primum; disparatis occisionibus & consequenter disparata intentione posteriùs sunt occisi.

Dixi etiam notanter (*uniuntur*) si enim contingat separari, vel finem sive actum principalem non attingere, plura peccata erunt. **Explico:** Quis sollicitavit mulierem osculis, tactibus, intentione prætensi concubitus: Impeditur antequàm ad concubitum perveniat, ista in singulari peccata numero distinguuntur: quia etsi in intentione seu Voluntate fuerint unita, in actu tamen illo externo & fine, non uniuntur; undè disparata manent, & suis particularibus finibus terminantur, nimirum, illicito illo usu tactuum, verborum, osculorum, &c. Dico illicito usu, non enim singula oscula, tactus, &c. exprimendi sunt, sed tantùm prout moralem actionem complent & certis turpitudinibus specie distinctis differunt: Quòd etiam declarari potest in eo qui insidias, fraudes, iras movit intentione occidendi, sed non occidit: Undè etiam dixeram (*quatenùs ad actum concurrunt:*) ubi enim ad actum non concurrunt, sed impediuntur, sua moralitate & objecto formali, debet eorum unitas vel distinctio mensurari.

Dices: Quid si intendens tot actibus hominem occidere, inter partiales actus frequenter mutet propositum: An actus illi partiales in singulari sint expendendi, & juxtà numericam distinctionem sibi competentem, in singulari confitendi? **Sensus est:** An Joannes, qui pluribus dicbus machinatur mortem Petro, si ubi insidias & dolos paravit, & media aliqua adhibuit, facti aliquoties pœniteat, resumat tamen etiam frequentiùs propositum, & concurrentibus actibus per pœnitentiam interpolatis, tandem Petrum occidat: An omnes actus præcedentes, etiam per Pœnitentiam pluries interrupti, censeantur sub unitate numerica unius occisionis comprehendi, & eandem unitatem cum illa unica occisione sortiri. **Respondeo:** Supposita concurrentia ad occisionem, unam numero occisionem constituere, & unum numero peccatum, non obstante interruptione per Pœnitentiam. **Ratio est:** Quia etsi interposita aliquoties Pœnitentia pluralitatem numericam in actu interno quidem interposuerit, concurrentiam tamen actuum præcedentium ad occisionem & finem primò intentum, non impedivit, quia de facto (etsi fortè tardiùs) concurrerunt, & ut supponitur, mutato aliquoties proposito, non fuerunt sublati.

ANNOTATIO SINGULARIS.

VT verò distinctio illa & unitas numerica, quæ varijs casibus deservit, pleniùs intelligatur, advertendum est: Tripli-

Triplices actiones.

Triplicem nos in hac materia distinguere posse actionem. Alia est Actio simplex, quæ ordinariè nullam plurium actuum concurrentiam habet, ut irasci, mentiri, falsum testimonium dicere, perjurare, &c. Alia est Actio quæ ex natura sua plures actus conjunctos habet, ut Missam celebrare, Sacramenta administrare. Alia est Actio quæ etsi per se & ex natura sua plures actus non requirat, ordinariè tamen ad illam plures solent concurrere, ut in occisione hominis, furto, carnali concubitu, &c. pro quibus tres Regulas pono.

REGULA I.

De actionibus simplicibus.

Actiones externæ simplices, sive quæ ex unico actu compleri solent, ex se ipsis sive ex hæcceitate sua & singularitate, distinctionem & unitatē habent. Ratio est: Quia unâ in objectum tendentiâ determinantur: sic facile discerni potest, actus iræ exterior, actus mendacij, actus falsi testimonij, & perjurij, quoad numericam rationem.

REGULA II.

De actionibus ex multis compositis.

Actiones quæ ex natura sua plures actus conjunctos habent, ab ipsa principali actione & objecto formali ita sumunt unitatem & distinctionem numericam, ut actuum concurrentiū, quoad distinctionem vel unitatem, ratio in illis non habeatur. Ratio est: Quia unum ministerium sive una moralis actio, non obstantibus alijs partialibus, computatur: unde unum tantum peccatum in ordine ad eundem finem sive objectum formale, committitur. *Ex.g.* In celebratione Missæ: etsi plures actiones concurrant, ut Consecratio, Communio, Distributio: qui Missam in peccato mortali celebrat, non peccat tribus peccatis ex eo quod in mortali consecret, in mortali communicet, sive Sacramentum Eucharistiæ sumat, & in mortali illam populo distribuat, sed tantum unum peccatum mortale; quia hi omnes actus ejusdem numero Ministerij & Celebrationis, seu Actionis sacræ partes sunt, quibus perficitur quoad integritatem. Unde sufficit Sacerdoti in Confessione explicare quod Missam in peccato mortali celebraverit, tacendo quod in illo Eucharistiam sumpserit, vel illam populo distribuerit: Hæc enim omnia ad actionē moralē Sacrificij, ut dixi, spectant. Et quamvis si quis seorsum communicaret aut seorsum Eucharistiam ex officio distribueret in peccato mortali, peccaret mortaliter, quia sunt tota actio, cum seorsum sumuntur: In Actione tamē Celebrationis Missæ sumpta, partes sunt ejusdem Actionis & Ministerij, & in eodē articulo & fine Actionis principalis ex natura sua uniuntur. *Similiter*: Qui Baptismum administrat solemniter, etsi plures actus Sacramentales concurrant, ut Exorcismi, Unctiones, Ablutio, &c. Si in peccato mortali est, tantum unum peccatum committit, quia illi actus ex institutione Ecclesiæ Actionem principalem Baptismi concomitantur.

Nota. De eo qui plurium Confessiones audit vel plures communicat in peccato mortali.

Et hinc pendet resolutio illius Casus: An qui in peccato mortali Eucharistiam distribuit tot peccata mortalia committat, quot hostias distribuit, sive quot personæ communicant? *Item*, An qui Sacramentum Pœnitentiæ in peccato mortali administrat, tot peccata mortalia committat quot Pœnitentes absolvit? *Resp.* enim (quidquid alij intolerabiliter dicant.) Quod qui eidem Ministerio distribuendi Eucharistiā in peccato mortali, se exponit, unâ vice quâ se exponit etsi mille hominibus illam in peccato mortali distribueret, tantum semel peccare mortaliter. *Ratio est*: Quia omnes illæ distributiones, ut modo actu continuo & successivo fiunt, ad unum numero Ministerium integrale, sive ad unam Actionem moralem spectant. Distributio enim illa sive Ministerium, natura sua non determinatur ad unam hostiam, sed per modum cœnæ & convivij postulat, ut omnibus ad mensam se præsentantibus, eodem ministerio sacratissimus cibus apponatur. Unde CHRISTUS Apostolis accumbentibus dicebat per modum unius Ministerij *Comedite ex hoc omnes, Bibite ex eo omnes*, etsi successivè singuli etiam de manu ejus acciperent. Et ad similitudinem: Caupo qui mensam apponit in tempore prohibito, vel prohibitis cibis instructam, cum per modum unius convivij apponat, ex ratione ministerij etiamsi viginti homines accumbant, tantum unum peccatum committit. Dico (*ex vi ministerij & appositionis*:) aliud enim est si singulos ad comedendum incitaret aut urgeret.

Idem censendum est de eo qui se ad audiendas Confessiones exposuit, etiamsi centum successivè se præsentent, & ab eo in peccato mortali existente absolvantur, unum tantum peccatum mortale committit. Quia Ministerium & Actionem naturâ suâ communem omnibus accedere volentibus exercet: quam explicamus per verbum: *Pro Tribunali sedere*: *Judicium facere*: *Causas dicere*. Unde, sicut hoc ipso quo Judex pro Tribunali sedens causas omnes paratas ad judicium censetur velle judicare, seu in ordine ad illas judicandas sedere: Ita pariformiter: Confessarius se Confessionibus audiendis exponens, quasi pro Tribunali sedet ad causas animarum eorum qui se præsentaverint judicandas; ideoque sive plures sive pauciores se præsentent, communē Ministerium exercet: Et si in peccato mortali exerceat, peccatum mortale incurrit, non ratione singularum Confessionum quas audit, sive Absolutionum quas pronuntiat:

ſed ratione communis Miniſterij ſive Actionis publicæ, reſpectu cujus ſingulares confeſſiones communis Miniſterij partiales velut actus ſunt. Et declarari poteſt etiam exemplo Baptiſmi, in eo qui per modum aſperſionis plures ſimul baptizaret (ut feciſſe à nonnullis creditur S. Petrus cum tria millia hominum unâ die baptizavit :) Quis enim credat eum (qui urgente aliquâ neceſſitate apud Indos & Barbaros, qui de novo convertuntur decem unâ aſperſione vel infuſione aquæ exiſtens in peccato mortali baptizaret, dicens: *Baptizo vos, &c.*) decies peccare mortaliter, cum ſint decem Baptiſmata. Certè cum ſit unum miniſterium, etſi per accidens, arbitrarer etiam tantùm unum mortale peccatum eſſe.

Dixi verò notanter (*quando quis una vice ſe exponit:*) ſi enim pluribus vicibus moraliter à ſe invicem diſtinctis, ſe præſentet, ſicut cenſetur in peccato mortali multiplicare Miniſteria, ſic cenſetur multiplicare peccata. Sicut ſi quis in Natali Domini tres Miſſas in peccato mortali celebraret, ter, peccatum mortale committeret: *Similiter:* Qui tribus diſtinctis temporibus, ſe diſtributioni Sacræ Communionis, aut Confeſſionibus audiendis in peccato mortali exponeret, pro ratione triplicis Miniſterij diſtincti, tria peccata mortalia incurreret.

REGULA III.

De actionibus per accidens multiplicatis.

ACtiones quæ etſi naturâ ſuâ plures actus non requirant, plures tamen ſolent concurrere, vel ab eo qui illas exercet plures aſſumi poſſunt, ſi communiter ordinentur ad finem principalis actionis, & ſequatur actio, tantum unum peccatum cum actione principali computantur.* Hæc ſatis exemplificata ſunt de concurrentibus ad occiſionem & concubitum carnalem, nec opus eſt repetere.

Dixi verò (*ſi communiter ordinentur ad finem principalis actionis:*) poteſt enim quis inter prævios actus, aliquos interſerere qui ſingularis & diſparatæ malitiæ ſunt, nec ullatenùs dicunt ordinem ad principalem actũ: ut ante occiſionem, ſi quis ſe inebriet, ſi quis furetur, ſi quis agrum proximi vaſtet: Et ante concubitum carnalem, ſi quis turpiſſima & Sodomitica committat: Illa enim per ſe peccata ſunt, nec ordinem ad principalem actionem occiſionis ſive concubitus dicunt unde exprimenda erunt. Quod valde notandum eſt propter turpiſſimos illos & quaſi Sodomiticos actus qui etiam ad actum conjugalem aſſumuntur prævie aut quaſi concomitanter, ex turpiſſimo impulſu nefandæ luxuriæ, non ad excitationem naturalem intra naturæ terminos. De quibus ſuis locis.

TRACTATVS IV.

De Reo & actibus ejus Contritione, Confeſſione, & Satisfactione.

TITVLVS I.

De Reo & Rei citatione.

QUÆSTIO I.

Quis dicendus ſit Reus in Judicio Sacramentali Pœnitentiæ?

CONCLUSIO UNICA.

Reus, peccator Baptizatus.

R*Eus in Judicio Sacramentali dicitur; Omnis & ſolus Homo Baptizatus, qui conſcientiam habet alicujus peccati mortalis poſt Baptiſmum commiſſi.*

Dicitur (*Homo Baptizatus:*) qui enim Baptiſmum non recipit, Pœnitentiæ Sacramentalis capax non eſt, cum Baptiſmus ſit janua Sacramentorum. Habet autem ille pro remedio Pœnitentiam virtutem cum reali, vel votiva ſuſceptione Baptiſmi, ſive, ut loquuntur, cum deſiderio & voto ſaltem implicito Baptiſmi, ſi realiter illum ſuſcipere non poteſt.

Dicitur (*qui conſcientiam habet alicujus peccati mortalis:*) Qui enim nullius peccati mortalis ſibi conſcius eſt, ad Sacramentum Pœnitentiæ, ſive ad hoc Tribunal non tenetur; quia materia neceſſaria hujus Tribunalis eſt peccatum mortale. Vide quæ diximus *Tract.* 3. Si tamen peccatum veniale habet, vel mortale aliàs remiſſum, voluntariè poteſt & cum magna utilitate hoc Judicium ſubire: eſt enim materia ſufficiens, ut dictum eſt. Ubi ſuprà

Dicitur (*poſt Baptiſmum commiſſi:*) Quæ enim ante Baptiſmum ſunt commiſſa ad forum Eccleſiæ non pertinebant, unde & virtute Baptiſmi abluta & remiſſa ſunt. Crederem tamen hominem poſt Baptiſmum poſſe voluntariè & cum utilitate ea confiteri, quia actibus Pœnitentis jam Eccleſiæ ſubdit informata, tamquàm voluntaria materia, ſicut & alia jam remiſſa, ſufficiunt ad gratiam Sacramentalem conſequendam, cum ſit par ratio omnium quæ ſunt remiſſa, quocumque tandem remedio ſint remiſſa; ſi novis actibus Pœnitentis Eccle-

ſiæ jam

sitæ jam subditi, qui sunt materia proxima huius Tribunalis Sacramentalis, informentur: Quamvis illud parum pertinens videretur

QUÆSTIO II.

Quo Iure ad hoc Tribunal citetur Reus, & quando teneatur comparere?

Sicut in humanis Tribunalibus; sic & in hoc Sacramentali de citatione Rei, & citandi auctoritate, ac obligatione comparendi, constare debet.

CONCLUSIO I.

Ioan. 20. Vers. 22. 23. *Iure divino Evangelico citatur Reus.* Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Hoc enim ipso, quo peccata mortalia post Baptismum commissa remitti non possunt nisi Clavibus & huic Tribunali subijciantur: quicumq; post Baptismum alicuius peccati conscius est, sufficienter hac necessitate Legis citatur, & comparere compellitur si salvari velit, & remissionem peccatorum accipere. Vide quæ diximus de necessitate huius Tribunalis Tractatu primo.

Citatio Iuris divini.

CONCLUSIO II.

Tempus Comparendi.

Iure divino non est determinatum tempus quo Reus debet comparere: unde nec statim post peccatum commissum, nec aliquo tempore determinato ex vi prædictæ citationis comparere tenetur, sed tempus comparitionis determinandum est ex alijs Legibus vel Circumstantijs, quibus sub peccato mortali vel necessitate salutis tenetur esse in gratia. Tria verò determinari possunt tempora. Primum est: Quandocumq; periclitatur salus, ut in periculo mortis, nimirum, gravi morbo, naufragio, &c. Secundum: Quandò suscipiendum est aliquod Sacramentum vivorum, id est, quod supponit hominem vivere vitâ gratiæ. Tertium. Quandò Lege aliqua positiva urgetur. Pro quo adducuntur sequentes Conclusiones;

CONCLUSIO III.

Ius Ecclesiasticum de comparendo semel in anno.

Iure Ecclesiastico tenetur Reus peccato mortali obnoxius semel in anno coram hoc Tribunali comparere & de facto illud subire. Patet ex cap. *Omnis utriusque Sexus;* in Lateranensi Concilio *sub Innocent.* 3. & in Trident. *sess.* 14. *cap.* 5.

Dixi (*Reus peccato mortali obnoxius:*) Qui enim peccatum mortale non habet, sicut non tenetur simpliciter confiteri; sic nec ullo tempore, quo absque peccato mortali vivit. Et Lex Ecclesiastica, quæ simpliciter imposito præcepto determinat tempus; non censetur immutare aliquid in materia

præcepti aut Juris divini. Certum est autem, Jus divinum nunquàm præcepisse confiteri peccata venialia. Unde quòd in præcepto Concilij Lateranensis ponitur quod *semel in anno Fideles debeant confiteri omnia & singula peccata, &c.* de solis mortalibus intelligendum est, quæ sola simpliciter peccata dicuntur, cum etiam impossibile homini esset omnia & singula venialia recensere, in quæ *septies in die cadit justus.*

Concil. Later.

Prov. 24. Vers. 16.

Dixi (*semel in anno:*) Ex vi enim hujus præcepti tempus anni non specificatur, quamvis ratione S. Communionis ex vi alterius præcepti in Paschate demandatæ, conveniens sit & interdum necessarium, ut quis in Paschate confiteatur. Qui tamen peccatum mortale in Paschate non haberet, prætermisso hoc Tribunali & Confessione omissâ, liberè posset communicare.

Confessionem invalidam facientes non implet præceptum.

Dixi (*coram hoc Tribunali comparere; & de facto illud subire:*) Qui enim scienter & malitiosè validam Confessionem toto anno non faceret, præter peccatum Sacrilegij, speciale peccatum mortale committeret contra præceptum Ecclesiasticum de faciendâ Confessione Sacramentali singulis annis: Dicit enim textus. *Omnis utriusque Sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno Fideliter cōfiteatur proprio Sacerdoti, & injunctā sibi Pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere,* sed qui scienter & malitiosè invalidam confessionem facit, non censetur *Fideliter* confiteri (& si invalidum fuit Sacramentum non tenetur ad injunctam Pœnitentiam:) ergò præceptum Ecclesiasticum intelligendum est de validâ Confessione & Sacramento validè suscepto. Nec valet quod nonnulli asserunt: Ecclesiam tantum præcipere posse externos actus, & consequenter tantum potuisse præcipere externum actum Confessionis; etiamsi esset ficta: Contrarium enim est multo verius: Posse præcipere etiam actus internos, quatenùs ex natura rei conjuncti sunt externis (ut aliàs probabimus:) Confessio autem vere Sacramentalis non est, nisi quatenùs ad Sacramentum concurrit & pars Sacramenti est, & Concilium mandans ut Confessio fiat, sub eadem obligatione actus internos præcipit, quâ Sacramentali actioni conjuncti sunt: quod indicavit per verbum istud *Fideliter.*

Addo præceptum Ecclesiæ ut benè notat Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. supponere præceptum divinum, & tantum determinare tempus quo fieri sive mandari executioni debeat: Jure autem divino ut Confessio vera Sacramentalis fiat, verè & validè fieri debet in ordine ad validam absolutionem obtinendam.

Invalidè confessus tenetur intra annum iterum confiteri.

Ex quo infero quod qui invalidè intrà annum confessus esset, si adhuc tempus suppe-

fuppetat, peccare tantum Sacrilegij peccato ob Sacrilegam violationem Sacramenti; cum possit reliquo tempore, quod supereſt, præcepto Eccleſiaſtico ſatisfacere. Quod ſi reliquo tempore quod reſtat non confiteatur valide, tunc primum peccare mortaliter ob tranſgreſsionem hujus præcepti.

Qui diſcretionis anni.

Petes primò. Quandò cenſeatur Fidelis ad annos diſcretionis perveniſſe? *Respondeo*, alios tardiùs, alios citius pervenire: Habenda igitur, eſt ratio ingenij & educationis: in præcocibus enim ingenijs & ijs quæ liberali educatione maturiùs ſunt exculta, frequenter matureſcit citius judicium, & malitia ſupplet ætatem. Id igitur advertere debent Confeſſarij, ut ex ſignis inveſtigent, an malitiæ, & cujus malitiæ ſint capaces. Et, an moveri poſſint motibus ſupernaturalibus neceſſarijs ad actus Pœnitentis in hoc judicio requiſitos, De quibus infra.

Qualiter annus computandus.

Petes ſecundò. Qualiter computandus ſit annus. *Respondeo*, Non debere computari mathematicè de momento in momentum, ſed moraliter, ita ut notabili ſpatio temporis annus non excedatur. *Ex. g.* Qui anno 1628. initio Quadrageſimæ ad implendum præceptum confeſſus eſt, ſi ſequenti anno 1629. circa Octavam Paſchæ quo debet communicare, confiteatur, ſatisfacit præcepto: quia in re morali & ratione commodioris illius occaſionis quod ſuper eſt ultra annum Mathematicum, non æſtimatur.

Petes tertiò. An qui intra anni unius ſpatium non eſt confeſſus, teneatur ſequenti anno prima occaſione confiteri ſub peccato mortali ad implendum præceptum annuæ Confeſsionis pro anno præterito? Affirmant plurimi hac ratione, quòd præceptum non ità terminetur anno, ut finiatur ejus obligatio; ſed obligationem confitendi etiam poſt annum remanere, etſi mortaliter peccàrit qui culpabiliter iſto anno præterito Confeſſionem omiſit: ſicut ſi Pœnitentia non eſt adimpleta tempore præſcripto à Confeſſario, & peccaverit non adimplendo: non finitur tamen obligatio, ſed protrahitur donec ſoluta ſit? *Resp.* Nihilominus, Eum qui toto anno non eſt confeſſus, non teneri ſequenti anno vi præcepti præcedenti anno obligantis, confiteri occaſione quacumquè, ſed peccaſſe mortaliter quidem, præceptum verò annum præcedentem afficiens, omninò ceſſare. *Ratio mihi clara eſt*: Quia præceptum illud ſicut & annua Confeſſio, annuum eſt, & anno finito, alterum jam præceptum in individuo exurgit, quo ſequenti anno tenetur quis confiteri: Eſt, enim præceptum de annua Confeſſione, præcisè determinativum temporis. Qui enim in peccato mortali eſt, jure divino tenetur confiteri, quia

Qui toto anno non eſt Confeſſus, non tenetur ſequentibus confiteri.

autem Jus divinum tempus non determinavit, præceptum Eccleſiaſticum tempus illud ſub peccato determinat: tempore itaquè tranſacto tota ratio præcepti, quà Eccleſiaſticum eſt, finita eſt, & remanet tantùm obligatio Juris divini, quæ cum continuetur ſub altero anno ſequenti, jam iterum ſubijcitur alteri numero præcepto Eccleſiaſtico, ut iſto anno ſequenti iterum ſub peccato mortali obligatus eſt confiteri; ità ut quot annis non confitetur, toties peccet mortaliter, remanente ſemper obligatione confitendi ex Jure divino, quæ ſucceſſivis præceptis Eccleſiaſticis annuis ſubſternitur. Nec ratio adverſariæ opinionis aliquid probat, eſt enim petitio principij: Oſtendi enim deberet præceptum annuæ Confeſſionis, quod Eccleſiaſticum eſt & temporis determinativum, inducere obligationem quæ non finitur tempore: Nullam ſane obligationem quæ non finitur tempore, hic reperire poſſum, quàm eam quæ eſt Juris divini, & quæ ſequenti anno iterum ſubſternitur præcepto Eccleſiaſtico, numero diſtincto. Exemplum autem de Pœnitentia ſicut & ratio, voluntariè ſunt aſſumpta. Noſtra vero ſententia varijs exemplis demonſtrari poteſt, ut de præcepto miſſæ in Dominica, vel legendi Horas Canonicas ſingulis diebus. Cum enim præceptum de audienda Miſſa in Dominica ſit determinativum cultus divini illo tempore exhibendi, tranſactâ jam Dominica ceſſat, Ità ut non teneatur quis audire Miſſam ſequenti die: Obligatio autem cultus divini iterum ſequenti Dominica quaſi reviviſcente præcepto determinativo temporis, demum reviviſcit, & ſi quis iterum non audiat, alterum peccatum mortale committit. Sic in præcepto de legendis horis ſingulis diebus, obligatio una numero ad alterum diem non protrahitur, ſed ſingulis diebus, numero diſtincta naſcitur & finitur.

Unde notanter dixi (*Non teneri ſequenti anno confiteri vi præcepti præcedentis anno obligantis*:) tenetur enim Jure divino confiteri; & Jure Eccleſiaſtico præceptum ſequentis anni illum denuo obligat; Undè ſi initio anni ſequentis confeſſus fuerit, jam ſatisfecit præcepto, etſi confeſſus fuerit peccata præcedenti anno commiſſa, quæ & hoc ſequenti anno in conſcientia remanebant; Neque enim quis obligatur per præceptum annuum confiteri peccata eodem anno commiſſa, ſed peccata mortalia quorum conſcius eſt iſto anno, etſi præteritis annis commiſſa fuerit.

Hæc latius, ob auctoritatem illorum qui contrariam ſententiam tenent, cui conſentire non poſſum, tum ob voluntariam aſſertionem fundamenti, tum quia intricat hominem infinitis laqueis. Quoties enim ſequenti anno occurreret occaſio confitendi,

tendi, toties peccaret mortaliter, quia præcepto omni præcedentis non satisfaceret, quæ intollerabilia onera sunt, contra prudentem & piam mansuetudinem Ecclesiæ Matris: Quam tamen consequentiam aliqui non verentur admittere.

An interdum quis finem anni teneatur prævenire pro Confessione.

Petes quartò. An qui prævidet se non habiturum occasionem sive opportunitatem Confessarij toto anno, teneatur finem anni prævenire, sive dum ei est opportunitas debeat confiteri sub peccato mortali? *Respondeo*, Si moraliter certò prævideat non fore sibi opportunitatem toto anno confiteri, teneri sub peccato mortali cum adest opportunitas, prævenire, nisi alia causa rationabili excusaretur. *Ratio est*: Quia voluntariè se exponit periculo moraliter certò, non implendi præceptum ad quod tenetur.

Dixi (*si moraliter certò prævideat*:) si enim subdubitet tantùm, & possit adhuc sperare aliam occasionem, non tenetur. Dixi etiam (*nisi alia causa rationabili excusaretur*:) sicut enim ex causa rationabili potest quis excusari à toto præcepto, sic à tempore aliquo illud adimplendi. *Ex. g.* Si prævidet quidem se toto anno, elapsa hac occasione, non posse confiteri, interim modò imparatus est, vel Confessario jam præsenti ob causas non audet, aut non expedit confiteri, &c si enim ex similibus causis interdùm à præcepto implendo excusatur, multò magis excusabitur à præventione præcepti.

Petes quintò. An qui advertit periculum oblivionis aliquorum peccatorum si finem anni expectet, aut aliquo tempore differat, teneatur statim confiteri? Affirmant nonnulli: Quia tunc quis exponit se periculo non faciendi integram Confessionem *Resp. Ego*, Non teneri, quamvis tamen magis consultum esset ut confiteretur. *Ratio est*: Quia non tenetur cum tanto onere ad integritatem materialem Confessionis, sed tantùm ad integritatem quæ facta morali diligentia, cum confitendum est, occurrit: extraordinarium enim esset onus, cum sint aliqui labilissimæ memoriæ, toties quoties peccant, obligari confiteri: quod sine sufficienti fundamento imponendum non est.

TITVLVS II.

De primo actu Pœnitentis qui est Contritio.

Hic est cardo salutis ac perditionis plurimorum: ab hoc enim actu ità dependet efficacia hujus Judicii & Sacramenti, ut illo sublato, etiam ordinaria Dei potentia, non possit sperari remissio delictorum: quia nec homo potest à peccato legitime averti, Heu quot perduntur finaliter defectu legitimi alicujus Contritionis actus, siuè detestationis peccati, cùm etsi millies confiteantur, & clament, Absolutionis tamen sententiam & Sacramenti gratiam absquè legitima Contritione nunquàm recipiant. Duo involucra imposuit mentibus humanis Dæmon, vt ab hoc salutifero remedio Peccatores præpediret: *Alterum*: Anxiam quandam inquisitionem & scrupulosam torturam mentis super omnibus etiam minutulis animæ imperfectionibus, quâ solent nonnulli etiam vsquè ad exinanitionem cerebri investigare omnes suos defectus, etiam vsquè ad ipsas naturæ humanæ quæ Rationem & Voluntatis regimen non attingunt, imperfectiones, idquè in ordine vt singula in Sacramentali Confessione minutatim enarrent: vt, nimirùm, dum animum & cerebrum istis superstitiosis ruminationibus fatigarunt, nec recordentur Actus illius primarij qui est Vera Contritio & detestatio peccatorum cum proposito emendãdæ: vel si recordentur, ineptus sit jam animus ad illam eliciendam, eneruatâ imaginatione & organis potentiarum quæ concurrere debent. Involucrum illud suâ caligine auxerunt imprudentes Prædicatores & Confessarij qui in hoc toti incumbunt ut Confessionis minutulam integritatem adstruant & eruant, de vero dolore vix solliciti: Non attendentes quòd quamvis peccatorum venialium solida Confessio sit utilis, solam tamen peccatorum mortalium Confessionem esse necessariam; super omnia verò prærequiri veram Pœnitentiam & peccatorum detestationem: *Alterum involucrum*: sunt infinitæ quæstiones speculativæ motæ super essentia & sufficientia Pœnitentiæ, sive detestationis peccatorum ad hujus Sacramenti valorem prærequisitæ, quæ aquam è fonte Sacræ Scripturæ & scaturiginibus Sanctorum Patrum & Conciliorum limpidissimè effluentem, pedibus immundis variarum responsionum turbaverunt. Hæc sum prælocutus ex intimo animi dolore, quo prôch dolor! experimur in hoc Sacramento tam necessario, multiplicatas quidem Confessiones, actus verò Contritionis sivè etiam Attritionis ad ulterinos suppositos, in grave damnum animarum: Decrevi itaque & naturam Contritionis sive etiam Attritionis ad hoc Sacramentum & Judicium necessariò requisitæ & sufficientis primùm investigare, demùm ejus necessitatem inculcare ex ipsius fundamentis Sacræ Scripturæ, SS. Conciliorum Oecumenicorum, & Patrum.

QVÆSTIO I.

Quid sit Contritio ut est actus necessarius vel sufficiens ad remissionem peccatorum in Tribunali Sacramentali Pœnitentiæ obtinendam?

CONCLVSIO VNICA.

Contritionem generaliter, pro ut ad Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendum concurrit, sic definit Concilium Tridentinum *sess. 14 cap. 4. Contritio (quæ primum (inquit) locum inter dictos Pœnitentis actus habet,) est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero.* In qua diffinitione tria noto ex ipso Concilio. Primo. Actum illum Contritionis quem definit, esse universaliter necessarium ad peccati remissionem etiam cum Sacramento impetrandam, sic enim subdit: *Fuit* (inquit) *quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic Contritionis motus necessarius, & in homine post Baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua conjunctus sit quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum requiruntur.* Ex quibus verbis manifestum est Concilium agere, de motu Pœnitentis prærequisito & necessario ad Sacramenti Pœnitentiæ effectum consequendum: unde & postea dividit Contritionem sic definitam: in Perfectam, & Imperfectam, quæ dicitur Attritio, de quibus infra. Ibidem

Secundò. *Adverto*: Huoc motum sive actum Pœnitentis necessariò prærequisitum, debere excludere omnem Voluntatem peccandi, sive omnem vel modicum affectum actualem ad peccatum: Hoc enim manifestè indicant termini illi diffinitionis: *Contritio est animi dolor & detestatio peccati*: Notanter enim posuit: *Animi dolor*, ad designandam tristitiam animi, sive aversionem quæ ex nolitione peccati procedit: sicut enim dolor in carne oritur ex fuga disconvenientis; sic dolor in animo de peccato est tristitia, & aversio à peccato tanquàm disconvenienti ex omnimoda nolitione ejus, quæ in peccatore actuali exprimitur per illud, *Vtinam non peccassem*, vel: *vellem me non peccasse.*

Actus Pœnitentis includit odium peccati. Tertiò. *Adverto*: Hunc motum sive actum Pœnitentis non tantùm excludere omnem Voluntatem peccandi, sive omnem affectum ad peccatum; sed etiam includere odium positivum peccati; & quandam displicentiam & confurrectionem adversus peccatum: Hoc enim indicant verba diffinitionis (*& detestatio de peccato*:) Detestatio enim est effectus odij, quæ enim odimus, detestari solemus, & quemdam animi motum adversùs illa sentimus. Hæc duo nimirum, Animi dolorem, & peccati detestationem, probat Concilium & declarat tamquam de Fide ex Scripturis. *Declarat igitur* (inquit) *sancta Synodus hanc contritionem non solùm cessationem à peccatis, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere, juxta illud: Projicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, &c.* Ezech. 18 Vers. 31. *Et certè qui illos Sanctorum clamores consideraverit: Tibi soli peccavi & malum coram te feci.* Psalm. 50. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum*: Psalm. 6. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ,* Isa. 38. Vers. 15. *& alios hujus generis: facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse.* Hæc Tridentinum. Ex quibus infertur quod in triplici annotato superiùs diximus; nimirum: Primò. Contritionis actum, de quo Concilium Tridentinum, esse necessarium ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ. Secundò. Illum ab omni affectu vel modica adhæsione ad peccatum Voluntatem avertere. Tertiò. Illum actum, odium verum & detestationem peccati, quæ ex concepto odio oritur, includere.

Dolor & detestatio respiciunt peccatum à Reo commissum. Quartò. *Adverto*: Dolorem illum animi & detestationem requisitam, non esse de peccato simpliciter; sed de peccato ut à Reo sive Peccatore commisso: In quo includitur virtute causa doloris & detestationis, nimirum, offensa Dei contra cujus Legem peccatum est commissum; unde in illo actu passim *eodem cap.* etiam de imperfecta Contritione loquens Concilium, in peccatore fiduciam divinæ misericordiæ sive spem veniæ requirit: Nemo autem fiduciam divinæ misericordiæ sive spem veniæ habere dicendus est, nisi qui Deum se offendisse agnoscit, unde est illud ex Psalmo 50. in dicto capite: *Tibi soli peccavi & malum coram te feci, &c.* Psal. 50. Vers. 6. Ut nimirùm, excludatur omnis dolor & detestatio peccati, quatenùs ex aliquo naturali motivo procedit, & ad Deum non refertur: ut detestatio peccati quia opponitur honestati virtutis alicujus naturalis, sed de hac postea.

Ad veram detestationem requiritur propositum non peccandi. *Adverto* Quintò. Ad hunc actum Pœnitentis, qui est dolor vel detestatio peccati; requiri propositum non peccandi de cætero: Contritio enim quæ ad hoc Sacramentum necessaria est, non solùm Voluntatem peccandi excludit, aut cessationem à mala vita postulat, sed amplius requirit conversionem ad vitam meliorem sive affectum vitæ melioris in futuro. Unde passim Scriptura Isaiæ 1. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, quiescite perversè agere, discite benefacere*; Isa. 1. v. 16 ubi ablatio mali cogitationum, dicit dolorem & detestationem de peccato commisso, cessa-

cessatio à malo, dicit mutationem & conversionem mentis, discere autem benefacere, indicat propositum: Et Apostolus 2. Corinth. 7. *Quæ* (ait) *secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Quid est autem tristitiam operari Pœnitentiam in salutem stabilem, nisi pœnitentiam cum operibus bonis conjunctam, quibus certam & stabilem nostram vocationem facimus. Et iterum 2. Corint 7. *Gaudeo non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad Pœnitentiam.* Unde est illud Amb. apud Gratianum *dist. 3. de Pœnit. cap. 1. Pœnitentia est & mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere, &c.*

2. Cor. 7. Vers. 10.

Ib Ver 9.

2. Ambro. apud Gra dist. 3. de Pœnit. c. 1.

NOTABILIS DOCTRINA.

EX dictis & sensu ac declaratione Sacri Concilij Trident. infero. Nullum motum sive actum Pœnitentis esse sufficientem dispositionem in adultis ad gratiam & remissionem peccatorum, etiam cum Sacramento recipiendam, nisi sit his conditionibus insignitus. Prima, ut tristitiam aliquam sive aversionem ab omni peccato mortali habeat. Secunda, ut etiam peccatum à se commissum aliquo interiori odio detestetur, in quantum est offensa Dei. Tertia, ut fiduciam misericordiæ divinæ conjunctam habeat. Quarta, ut propositum melioris vitæ, seu de cætero à peccatis abstinendi includat; quem motum sive actum istis conditionibus & qualitatibus insignitum, ita necessarium ad remissionem peccatorum cum Sacramento Concilium judicavit, ut etiam voluerit fuisse semper necessarium adultis ad Baptismi gratiam percipiendam. Ita indicant generalia verba Tridentini sæpe-dicto *cap. 4. sess. 14. Fuit* (ait) *quovis tempore ad impetrandā veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* Et expressiùs *cap. 1. Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria. illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petivissent, ut perversitate abjecta, & emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarētur* Hæc ibi ubi & citantur verba Petri Act 2. *Pœnitentiam agite & Baptizetur unusquisque vestrum* Et *sess. 6. de Iustificatione cap. 6.* modum præparationis ad justificationem etiam quæ fit in Baptismo, proponens concludit. *Moventur* (inquit) *adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam Pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet.* Quomodò vero huiusmodi actus Pœnitentis cum omnibus suis circumstantijs competat Attritioni sive imperfectæ Contritioni, in sequentibus declarabimus.

Cōditiones vera detestationis peccati

Concil Trident. sess. 14. cap 4. Idem cap 1

Act. 2. Vers. 38.

Concil. Trident. sess. 6.

QUÆSTIO II.

Quotuplex est Contritio ad hoc Iudicium sufficiens aut necessaria, juxta Consilium Tridentinum?

CONCLUSIO UNIGA.

Duplex contritio

DUplex est Contritio juxta Concilium Tridentinum ad hoc Sacramentale Judicium sufficiens aut necessaria: nimirum *Perfecta,* quæ & *Contritio* simpliciter & per autonomasiam dicitur: Et *Imperfecta,* quæ ut distinguitur à *Contritione* simpliciter vocatur *Attritio.* Ita Concilium Tridentinum *sess. 14. cap 4.* Utraquè verò continetur sub diffinitione Concilij Tridentini superiùs allata.

QUÆSTIO III.

Quæ sit Contritio perfecta, sive Contritio simpliciter;

CONCLUSIO UNICA.

Quid contritio perfecta.

COntritio perfecta est summus animi dolor, & detestatio peccati commissi, propter Deum summe dilectum, cum firmo proposito non peccandi de cætero. Ita communiter Theologi. Et concordat Concilium Tridentinum suprà ubi: *Docet Contritionem* (quam definivit) *aliquando Charitate perfectam esse, hominemq; Deo reconciliare prius quam hoc Sacramentum actu suscipiatur: quamvis ipsa reconciliatio ipsi Contritioni sine sacramenti voto non sit adscribenda,*

Concil. Triden

Dicitur *summus animi dolor & detestatio, &c.*] quod intellige de summo, non intensive, nec sensibiliter (solemus enim de minori malo pœnæ magis intensivè, magisque sensibiliter aliquando dolere;) sed appretiative sive æstimative, ex eo quod qui conteritur, æstimet peccatum summum malum, illudque quantum in se est, condemnet super omnia alia mala, undè & nascitur summa appretiative aversio, & detestatio illius.

Dicitur (*propter Deum summe dilectum*:) Primò. Quia motivum perfectæ Contritionis est Deus summe & super omnia infinite diligendus, adeoque dolor sive detestatio peccati est in hoc summa, quia oritur ex eius consideratione, quatenus est offensa & iniuria facta contra Deum summe dilectum: Ita ut contritione perfecta, dilectio Dei sit motus animæ peccatum commissum summe detestantis. Secundo, Dicitur, *propter Deum summe dilectum,* quia Pœnitens in hoc actu perfecte contritionis, Dei dilectionem appretiative & æstimativè præfert cuicunque bono quod Deus non est.

Dicitur (*cum proposito non peccandi de cætero*)

tero,) ſub qua particula continetur propoſitum ſervandi omnia mandata, & ſatisfaciendi omnibus obligationibus. Qui enim proponit non peccare, conſequenter proponit omnibus mandatis obedire, & omni obligationi conari ſatisfacere, cum contrarium facere hoc ipſum ſit denuo peccare.

QUÆSTIO IV.

Quid ſit Contritio imperfecta ſive Attritio, & qualiter à Contritione perfecta diſtinguatur?

CONCLUSIO UNICA.

Quid Attritio.

EX verbis Concilij Tridentini diffinitio Attritionis ſic efformari poteſt: *Contritio imperfecta qua Attritio dicitur: eſt dolor animi ac deteſtatio peccati propter Deum, quæ ex turpitudinis peccati conſideratione vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, Voluntatem peccandi excludens, cum ſpe veniæ* Ita Concil. Trident. quam ad majorem explicationem poſſumus ex doctrina ejuſdem Concilij ſic extendere.

Attritio eſt actus ſupernaturalis hominis pœnitentis, quo dolet & deteſtatur peccatum contra Deum ſive contra Legem Dei commiſſum, non ex motivo dilectionis Dei ſuper omnia, ſed ex alio ſupernaturali & ſalutari, excludens omnem Voluntatem peccandi cum ſpe veniæ & propoſito, firmo de cætero non peccandi.

Plures hic ponuntur particulæ quam in definitione Contritionis perfectæ, quia actus qui in Attritione concurrunt, ratione ſuæ imperfectionis, non parvas involvunt difficultates.

Attritio Actus ſupernaturalis.

Dixi igitur (*Actus ſupernaturalis hominis pœnitentis:*) hoc enim neceſſariò ſubintelligitur in omni actu diſpoſitivo ad Gratiam. Nullus enim actus naturalis, qua naturalis eſt, ad Gratiam & Juſtificationem etiam diſpoſitive concurrere poteſt: ut docet Concil. Trid. *ſeſſ. 6. de Iuſtif. cap. 1. & 5* & ſub anathemate decernit *can. 1 & 3* Et latiſſimè Concil. Arauſicanum *2. cap. 6* Unde ad hoc Sacramentum inutilis eſt omnis dolor & deteſtatio peccati ex viribus naturæ & cauſis ſive conſiderationibus purè naturalibus originem ducens, juxta iſtud D. Fulgentij *lib. de Fide ad Petrum: Firmiſſimè tene, & nullatenus dubita, neminem hic poſſe pœnitentiam agere, niſi quem Deus illuminaverit, & gratuita ſua miſeratione converterit.*

D. Fulg. lib. de fide ad Petr.

Dixi (*quo dolet & deteſtatur peccatum contra Deum ſive contra Legem Dei commiſſum:*) debet enim Actus deteſtationis cadere in peccatum, quatenus illud eſt Dei offenſivum ſive quatenus commiſſum eſt contra Dei mandata, ut ſtatim latius dicemus. Unde dolor, & deteſtatio quæ terminatur tantum ad pœnas quas peccator incurrit vel timet incurrere, ad hanc Attritionem in Sacramento requiſitam, nullatenus ſufficiens eſt: ita enim hæc motivo pœnarum excitatur, ut in pœnis non ſiſtat, ſed ad ipſam Dei offenſam ſe extendat, propter quam pœnæ aut decretæ, aut comminatæ ſunt.

Attritio eſt de peccato ut eſt contra Legem, ſive contra Deum.

Dixi (*non ex motivo dilectionis Dei ſuper omnia:*) in hoc enim diſtinguitur à Contritione perfecta, quæ ex motivo dilectionis Dei ſuper omnia procedit, ut ſuperiùs dictum eſt.

Attritionis motiva omnia ſupernaturalia.

Dixi (*ſed ex alio motivo ſupernaturali,*) ad includenda omnia motiva ſupernaturalia, quorum aliqua retulit Concilium Tridentinum, & ad excludenda omnia motiva naturalia.

Motiva igitur illa dicuntur ſupernaturalia, quæ ex principijs Fidei ſupernaturalis originem habent, & ex ejus fidei ſupernaturalis apprehenſione movent: Talia ſunt, *apprehenſio Iudiciorum Dei, Pœnarum inferni aut purgatorij, Terrorum, Flagellorum & Vindictarum quas Deus ſolet immittere peccatoribus ad converſionem, Iuſtitia motivum, Ira Divina, Excluſionis à Regno poteſtatis dæmonis;* Hæc enim ex Scripturæ revelatione & fide catholica ſupernaturali lumine cognoſcuntur, & eodem lumine movente apprehenduntur, ſicque apprehenſa movent Voluntatem, primò timore ſervili, deinum initiali, quo peccatores commoti & ſe peccaſſe dolent ex animo, vellentque ſi fieri poſſet, ſe peccata non admiſiſſe: Quia vero eadem fide cognoſcunt Deum miſericordem, omnibus verè pœnitentibus indulgentiam promittere; in hac miſericordia confidunt, & ſpe eriguntur: incipiuntque velle deinceps Deum diligere, ſive incipiunt Deum diligere proponentes firmiter cum eius gratia amplius non peccare, & mandata eius obſervare. Hæc ſic fere declarantur à Concilio Tridentino *ſeſſ. 6 cap. 6.*

Dixi (*ſed ex aliquo motivo ſupernaturali & ſalutari:*) Iſta enim motiva vere ſalutaria eſſe ex ſcripturis conſtat; Cum non modò Deus & Prophetæ in Lege Veteri, ſed etiam CHRISTUS in Lege Nova ea propoſuerit, & approbaverit ad converſionem Peccatorum. Trivialia ſunt iſta nimis, quam quæ longas citationes requirant. Admonitio eſt CHRISTI Lucæ 12. *Timete* (ait) *eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam: ita dico vobis hunc timete.* Huius timoris inculcatione uſus eſt Baptiſta ut ad pœnitentiam homines provocaret: Matth. 3: *Iam* (ait) *ſecuris ad radicem arborum poſita eſt: Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur. Progenies viperarum quis demonſtravit vobis fugere a ventura ira.* Hoc timore ſalutari concuſſos Ninivitas affirmat Côcil. Tridẽt. ſupra: *Hoc* (inquit) *timore utiliter côcuſſi Ninivitæ ad Ionæ prædicationẽ plenã terroribꝰ pœnitentiã egerunt,*

Luc. 12. Verſ. 5.

Matth. 3. Verſ. 10.

Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4.

egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt. In quibus verbis expendenda illa (*aliter concussi & (plenam terroribus pœnitentiam egerunt:*) Unde concludere possumus cum Clemente Alexandrino *lib.* 2. Stromatum *Prima quidem ad salutem inclinatio nobis fides apparet: post quam timor, & spes, & Pœnitentia, &c. Infra: Qui timorem autem accusant, Legem insectantur: quod si Legem, clarum est quod etiam quoque qui Legem dedit:* Hæc ille q. d. Cum Prophetæ & ipse CHRISTUS & Lex Dei in utriusque Testamenti pagina, studuerint homines terroribus ad Pœnitentiam convertere, si quis dicat, Pœnitentiam ex terroribus mortis, inferni, judicij esse aut inutilem, aut malam ad salutem, & Legi contradicit, & spiritui sancto Legislatori, & CHRISTO, ac alijs qui isto medio sunt usi. Quo argumento utitur S. Ioannes Chrysostomus *hom.* 15. ad populum de illa pœna & supplicio loquens, dum ait: *Nisi bonum esset timor, non multos impendisset CHRISTUS sermones & longos, de pœna & supplicio loquens.* Tritum est illud Isa. 26. juxta Septuaginta: *A timore tuo concepimus, & peperimus Spiritum salutis.* Et ut Vulgata habent: *Sicut quæ concepit cum appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis, sic facti sumus à facie tua Dne. concepimus & peperimus spiritum salutis.* Et generali experientiâ S. August. de Catechizandis rudibus *cap.* 5. Dei timore percussus ait: *Rarissime accidit, imo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore percussus.*

Clem. Alexan. l. 2.

S. Ioan. Chrysost. hom. 15. ad pop. Isa. 26. Vers. 18.

S. Aug. de Catech. rudibus cap. 5.

Dixi (*Actu excludens omnem Voluntatem peccandi,*) ad excludendos timores, qui tantum excludunt Voluntatem peccandi velut conditionaliter, Ex. g. Nolo peccare & peccatum detestor, quia ei debita est gehenna: Si vero mors & gehenna mihi non imminerent, à peccatis meis nullatenus abstinerem. O quot sunt, qui his implicitis conditionibus in fictis illis & simulatis conversionibus implicantur: Qui si mors, judicium, & gehenna non essent, imò si judicium Confessionis Sacramentalis evadere possent, in omne genus vitiorum prorumperent, & à malis suis nunquam resilirent. Talis Attritio nec veræ Attritionis, nec veræ Pœnitentiæ nomen meretur, nec ullatenus salutaris est, etsi ex motivo supernaturali proveniat.

Spes veniæ in Attritione necessaria.

Dixi (*cum spe veniæ:*) Ad hoc etiam timor gehennæ incutitur, ut ad Deum peccator convertatur, & in eius misericordia speret: Quantumcumque enim servilis sit timor, si ad Deum peccatorem convertat, ut speret in misericordia eius, salutaris timor est: si autem horrore hominem consumat, aut in desperationis barathrum præcipitet, damnabilis est ad salutem planè impertinens. Vndè est illud Sancti Augustini in illud Psalmus 146. *Beneplacitum est Domino super timentes eum & in eis qui sperant in misericordia ipsius. Ecce (ait) timuit cum Iudas traditor CHRISTI, sed non speravit in misericordia eius. postea enim pœnituit eum quod tradiderit CHRISTUM: Bene quidem timuisti sed si sperasses in misericordia eius quem timuisti. Ille desperando abijt, & laqueo se suspendit:* Hæc S. Augustinus.

S. August. Psal. 145.

Dixi tandem (*cum proposito firmo non peccandi de cætero:*) sicut enim diximus, Actus ille debet omnem peccandi excludere Voluntatem, debet & intendere Dei mandata servare, & omnibus obligationibus satisfacere, ut de Contritione perfectâ monuimus: Hoc enim propositum est de essentia & necessitate veræ Pœnitentiæ. Unde Lactantius *lib.* 6. *Instit. cap.* 15. *Agere Pœnitentiam* (inquit) *nihil est aliud quam profiteri & affirmare se ulterius non peccaturum.* Et *cap.* 24 Explicans vim verbi græci quo Pœnitentiam μετάνοιαν vocant, id est, resipiscentiam, ut ostendat illam non in sola cessatione à peccatis (ut Sectarij affirmant) consistere. *Resipiscet* (inquit) *quasi mentem suam ab insania receperit, quem errati piget, castigat que se ipsum dementia, & confirmat animum suum ad rectius vivendum.* Et S. Greg. *hom.* 34. *Pœnitentiam agere est & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.* Quod ultimum pertinet ad firmum mentis propositum.

Propositũ non peccandi in Attritione necessarium.

Lact. lib. 6 Inst. c. 15.

Idem c. 24

S. Gregor. hom. 34.

COROLLARIUM TOTIUS DOCTRINÆ.

Ex dictis patet minùs bene expendere naturam Attritionis, qui eam à sufficienti medio cum Sacramento ad remissionem peccatorum, excludunt: Est enim medium sufficiens & necessarium cum Sacramento, est etiam dispositivum extra Sacramentum ad illam pœnitentiam, quæ ex perfectâ Dei dilectione procedens, olim peccata remisit, & modò cum Sacramenti voto dimittit: ut autem certa & sancta, ab incertis & profanis separentur, pono sequentes paragraphos.

Attritio veraseu naturale sufficit ad peccati remissionem.

§ I.

Conditiones & qualitates veræ Attritionis ex superiori doctrina desumptæ.

Hæ igitur sunt qualitates & conditiones Attritionis pro-ut ad remissionem peccatorum cum Sacramento concurrit.

Prima, *ut sit verus dolor & detestatio peccati commissi:* Si enim sit tantum dolor vel detestatio pœnarum sive corporalium sive spiritualium, sive temporalium, sivè æternarum, quas quis ob peccata subit aut subire debet, Attritio vera non est, nec vera

Prima Conditio Attritionis vera.

Pœni-

Pœnitentia. Talis fuit Antiochi dolor & detestatio 2. Mach. 9 qui simpliciter causabatur ob pœnas, quibus se sentiebat à Deo percuti.

Secunda Conditio. Secunda, *Vt proveniat ex motivo supernaturali & salutari*, sivè supernaturaliter per fidem supernaturalem cognito & apprehenso. Vide supra in explicatione diffinitionis.

Tertia Conditio. Tertia. *Quod dolor ille & detestatio fit propter Deum*, sive ad placandum Deum ordinetur. Omnia enim motiva supernaturalia & salutaria, quæ in Peccatore timorem & terrorem excitant, quatenus talia, ex se ad Deum reducunt, & ad Deum promovent. *Explico*: Apprehensio Judiciorum, Inferni, Pœnarum, Flagellorum, Vindictæ præsentis vel imminentis, non aliter deserviunt Attritioni, quam ut ostendant Deum justum Judicem & Vindicem peccatorum, quem Peccator offendit, ad quem converti, & cui supplicare debeat, si pœnas vel flagella æterna sive etiam temporalia velit effugere. Undè hujus apprehensionis effectus vocatur, *Timor Domini*, sivè quia à Deo immissus est, sivè quia Peccatorem ad Deum deducit, & Deum justum Judicem animæ manifestat. Quapropter Psal. 118. orat David: *Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui* Et Eccles. 2. *Qui timent Dominum, inquirent quæ benè placita sunt ei* Et *cap. 21. Qui timet Deum, convertetur ad cor suum* Prover. 8 *Timor Domini odit malum*, Eccl. 25. *Timor Dei initium dilectionis ejus, fidei autem initium agglutinandum est ei*. Non enim aliter hæc intelligenda sunt, nisi quia Deus apprehensus lumine fidei, ut justus Judex & Vindex, sive in morte, sivè in judicio, sive in flagellis, causat in nobis timorem & consequenter aversionem à peccatis, quæ sunt materia justitiæ, judicij, & vindictæ: inde regressum ad Deum Patrem misericordiæ cum proposito de cætero non peccandi, ex quibus initium sumit quædam inchoata dilectio.

Psal. 118. Vers. 120. Eccli. 2.

Ibi. cap. 21 Prov. 8. Eccl. 25. Vers. 16.

Quarta Conditio. Et hæc est quarta conditio Attritionis, ut fiat cum fiducia misericordiæ Dei, & proposito non peccandi de cætero, de quibus suprà. Ex quibus omnibus pono unam Regulam generalem.

REGULA GENERALIS.

Nullus dolor aut detestatio peccati, quantumvis gravis, ex quocumque motivo ad remissionem peccatorum etiam cum Sacramento concurrere potest, nisi ex supernaturali motivo procedat, & ad Deum animam convertat, cum fiducia misericordia, & firmo proposito de cætero non peccandi.

§. 2.

Signa quædam undè cognoscitur Attritio esse supernaturalis, sivè ex motivo supernaturali procedere.

QUamvis naturalis deformitas peccati; vel mala quæ ex eo proveniunt, imò naturalis quædam Numinis irati apprehensio, & Synderesis interior possint causare in homine naturalem declinationem, & odium peccati, ut ex Ethnicorum variis exemplis constat: nihilominùs sunt aliqua signa ex quibus homo Christianus potest probabiliter & moraliter cognoscere se supernaturaliter attritum, & cum Sacramento dispositum ad remissionem peccatorum.

Signum primum veræ Attritionis. *Primum*: Si motivum, ratione cujus peccatum detestatur, naturali lumine non sit cognitum, sed purè ex revelatione Fidei supernaturalis dependeat. Talia sunt turpitudo peccati, quatenùs animam, quæ Dei & Spiritûs sancti templum est, violat, maculat, destruit, &c. prout dicit & docet sanctus Paulus 1. ad Corinth. 3. & 6. 2. ad Corinth. 6. vel quatenus Peccatorem reddit servum peccati, mancipium Dæmonis, ad Rom. 6. 2. Pet. 2. vel quatenùs peccatum imprimit Peccatori caracterem bestiæ, apocal 14. Et de hac turpitudine peccati intelligendum est Concil. Tridentinum, dum *sess. 14. cap. 4.* docet Contritionem imperfectam sivè Attritionem nasci *ex turpitudinis peccati consideratione*. Est enim & naturalis turpitudo peccati quatenùs virtuti adversatur, imò & naturæ principiis, verùm quia intra naturæ limites apprehenditur, ad supernaturalem Attritionem & Pœnitentiam improportionata est. Talia iterùm sunt pœnæ & vindictæ à Deo peccatis decretæ, quatenùs fide cognoscuntur. Etsi enim Ethnici ex Lege non scripta, & Scriptura etiam sancta quæ ad aliquorum manus pervenit, sibi finxerint pœnas & loca pœnarum post mortem suis fabulis & fictionibus alterata: nunquam tamen potuerunt absque lumine fidei venire in cognitionem Judiciorum Dei, & æternæ vindictæ, quam peccatoribus infert pro suis delictis Deus. Undè peccator qui ad Deum revertitur metu gehennæ, Purgatorij, metu Judiciorum horrendorum Dei in peccatores, metu Mortis quam Judicium Dei sequitur, censetur moveri motivo supernaturali. Talia tandem sunt: castigationes & flagella temporalia quibus anima eruditur. Etsi enim quis illa naturaliter apprehendere possit, remordente conscientiâ tanquam ab aliquo Numine immissâ ad vindictam suæ nequitiæ. (*Fugit enim Impius nemine persequente*:) Ut de Antiocho 1. Mach. 6. constat. Nec defuere inter Ethnicos in quos conscientia & synderesi *Prov. 28. Vers. 1.*

dereſi

derefis graviſſimè uſque ad necem deſævit, quos ultio ſecreta Numinis ſecuta eſt: ut de Antiocho *in lib. Machab.* conſtat. Hæc tamen differentia eſt inter flagella Dei quatenùs ex motivo Fidei ſupernaturalis æſtimantur, & eadem flagella quatenùs naturali lumine apprehenduntur: Quod, quæ lumine naturali apprehenſa ſunt, animam duntaxat torqueant, & velut ſupplicio condigno afficiant: Quæ verò ex motivo fidei ſupernaturalis æſtimantur, peccatorem ad Deum revocent, & ut à peccatis abſtineat, ac pro illorum remiſſione ad Deum convertatur, excitent, juxta illud: Pſalm. 77. *Cum occideret eos quærebant eum, & revertebantur & diluculo veniebant ad eum.* Et Oſeæ 6. *in tribulatione ſua mane conſurgent ad me: Venite & revertamur ad Dominum: quia ipſe cœpit, & ſanabit nos; percutiet, & curabit nos.* Et hoc eſt *Secundum ſignum Attritionis ſupernaturalis*: ſi ex motivis illis peccator verè revertatur ad Dominum, & ultimatum oculum in Deum referat: Omnis enim ſupernaturalis & ſalutaris Pœnitudo & Pœnitentia ſive ſit Contritio ſive Attritio, eſt propter Deum & reſpicit Deum offenſum, quamvis diverſimodè, Contritio quidem oculo amoris, Attritio oculo timoris. Pro quo advertendum eſt: Triplex nos poſſe diſtinguere objectum in Pœnitentia quæ ſupernaturalis eſt virtus. *Primum eſt*, peccatum quatenùs eſt actus obliquus contra aliquam Legem. *Secundum eſt*: Lex contra quam peccatum eſt. *Tertium eſt*: Deus Legiſlator, qui in tranſgreſſione Legis à ſe latæ offenditur & quaſi deſpicitur ac contemnitur. Quæ omnia comprehenduntur in eo quod Attritio dicatur deteſtatio & odium peccati commiſſi contra Legem Dei, odium enim pro proximo objecto habet peccatum, pro ſecundo. Legem contra quam eſt peccatum pro tertio vero Deum cujus Lex & Juſtitia per prævaricationem cenſetur læſa, ita ut primum ſit materiale. *Quod*, ſecundum formale, *Quo*, tertium finale *Cui*, Unde omnis Pœnitentia ſupernaturalis debet eſſe de peccato quatenus eſt offenſa Dei, Contritio quidem quatenus eſt offenſa Dei ſuper omnia diligendi & dilecti: Attritio vero quatenus eſt offenſa Dei juſtiſſimi & æquiſſimi ac tremendi Judicis, cuius juſtitiæ medijs congruis ſatisfaciendum eſt. Et hoc eſt quod Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. de Juſtif. cap 6 docet converſos etiam pœnarum timore incipere Deum *diligere tanquam omnis Iuſtitiæ Fontem*, utique qui peccatores juſtificet, & juſtos conſervet, & omnia inordinata juſtitiæ decore reſtituat, & ordinet.

Pſalm. 77. verſ 14. Oſeæ 6. n. 1

Signum ſecundum vera Attritionis.

Triplex objectum in Attritione

Tertium ſignum : Si omnem peccandi Voluntatem per peccati deteſtationem excludat: Qui enim naturali tantum dolore vel deteſtatione peccati affliguntur ſive atteruntur, numquam univerſaliter omne peccatum deteſtantur, ſivè omnem peccandi Voluntatem excludunt. *Ratio eſt*: Quia naturalis Attritio ſivè pœnitentia ità determinata eſt ad ſingulare objectum, ut ad alia ſe non extendat. *Explico*: Antiochus in libris Machabæorum, ità flagellum ſibi infligi ob mala facta in Hieruſalem apprehendit, ut infinita alia peccata, injuſtitias, voluptates, ebrietates non apprehenderit: Sic contingit ut quis homicidium commiſſum apprehendat naturaliter & deteſtetur, ut de aliis etiam graviſſimis nec cogitet, nec doleat; utique quòd ſpecialem cauſam habeat homicidii apprehendendi & deteſtandi, ob infamiam, damna Familiæ illatæ, ſupplicium ſibi imminens, &c. Qui verò Attritionem ſupernaturalem habet, etſi de uno peccato magis apprehenſo graviùs doleat, ità tamen ad Judicem ſuum deprecandum convertitur, ut de omnibus doleat & omnia deteſtetur, omnemquè peccandi Voluntatem excludat, quæ in Pœnitentibus benè expendenda ſunt. Sunt enim qui ob detrimenta temporalia in fama, in bonis, in corpore proprio amariſſimè lugent, & peccatum aliquod ſuum quod illis cauſam dediſſe videtur, agnoſcunt, à quo ob dicta detrimenta avertuntur: Si autem penitiùs inſpicias, plura & fortè majora deprehendes, de quibus non cogitant, nec avertuntur, quia cauſam iſtis malis ſe dediſſe non apprehendunt. Alii ſunt: Qui ità de peccato, ut eſt cauſa flagelli vel vindictæ imminentis affliguntur, ut ſublato vel abeunte flagello, nil minùs quàm de priſtina mala vita emendanda cogitent: Quod ſignum eſt manifeſtum numquàm abſolutè Voluntatem peccandi excluſiſſe, ſed tantùm conditionatè ſuppoſito flagello.

Tertium ſignum vera Attritionis

1. Machab. 6

Signa Attritionis naturalis.

Quartum ſignum Attritionis ſupernaturalis, eſt ſpes veniæ & miſericordiæ Dei: Hæc enim eſt effectus virtutis Theologicæ & ſupernaturalis, neque naturalibus viribus poteſt concipi. Ubi itaque hæc ſigna occurrunt, moraliter homo conjicere poteſt ſe habere Attritionem ſupernaturalem.

Quartum ſignum vera Attritionis.

Dico *moraliter*: Poſſet enim ſimilitudine actuum interdùm decipi, quia interdùm ex habitu aliquo naturaliter acquiſito, ſimiles ſupernaturalibus naſcuntur. Qui tamen iſta ſigna habet, cenſetur certò moraliter Attritus & ſufficienter ex hoc capite diſpoſitus ad remiſſionem peccati in hoc Sacramento & Judicio.

§ 3.

De vera diſtinctione inter Contritionem perfectam & Attritionem.

EX ſupradictis conſtat Contritionem non aliter diſtingui ab Attritione, quà perfectione Actus & Motivi: Quia nimirùm Contritio eſt ſummus dolor ſupernaturalis & deteſtatio peccati propter

Diſtinctio vera inter Contritionem & Attritionem

Deum summe dilectum, cum proposito non peccandi de cætero Attritio autem, quamvis appretiativè sit etiam proportionaliter summus dolor sive detestatio peccati, cum omnem voluntatem peccandi excludat, sit deinde propter Deum offensum sive offensam divinam cum spe veniæ & proposito non peccandi de cætero: Inhoc tamen differt, quod non ab amore Dei, sed à turpitudine peccati, vel à timore & metu Judicij & pœnarum oriatur, nec sit propter Deum summè dilectum, sed potiùs propter Deum justum Judicem, cujus judicia sunt summè formidanda.

Attritio Contritione facilior.

Censetur autem ex hoc facilior Attritio Contritione: Quia nostra servilis natura magis continetur & urgetur pœnis, quam amore feratur. Censetur & imperfectior, quia à timore procedit & tantum ad amorem disponit: Contritio autem perfecta summo Dei super omnia amore informatur, qui & cognitione & exercitio in natura his terrenis implicata, difficillimus est. Dicitur itaque Attritio, imperfecta Contritio, sive etiam imperfecta Pœnitentia, non defectu detestationis & aversionis à peccato, cum qui est attritus teneatur ab omni peccato plenariè & totaliter esse aversus, nec ratione conversionis ad Deum, cum similiter in Deum totaliter converti debeat cum spe veniæ & firmo proposito illum de cætero non offendendi seu servandi omnia mandata eius: Sed imperfecta dicitur, quia à timore procedit, & ad amorem Dei perfectum in quo consistit perfectio Contritionis, non pertingit, sed dumtaxat ad illum viam parat & disponit Unde & vocatur *Initialis* & dispositivus ad charitatem, comparaturque ab Augustino Tract. 9: in Epistolam Joannis, setæ sive acui introducenti linum, quando aliquid suitur.

Cur Attritio dicatur Contritio imperfecta.

Dices: Scriptura Ezech. 18. & alibi promittit remissionem peccatorũ omni peccatori verè se avertẽti à vijs suis pessimis, & ad Deum converso: atqui hoc præstat Attritio ergo etiam extra Sacramentum, Attritioni debetur remissio peccatorum, *Respondeo*, Distinguendo majorem: Duplex enim est Conversio: alia perfecta, quæ amore Dei super omnia informatur tanquam complemento veræ justitiæ, & primi mandati, quod est *Diliges Dominũ Deum tuũ ex toto corde tuo*, &c. alia est conversio *Inchoativa* tantùm & *Imperfecta*, quâ etsi quis ab omni peccato avertatur, & ad Deum convertatur, necdum tamen ad Deum verè pertingit, quia solo amore Dei super omnia ad illum pervenitur. Undè vera est quidem Conversio totalitate recessus à malo, sed nõ perfecta & totalis totalitate accessus ad Deum, qui needũ affectu amoris & toto corde ad Deum accessit: huic autem soli perfectæ conversioni remissio peccatorum attribuitur. Quod explicatur per particulas passim adiunctas (*toto corde*) Ioelis 2: *Convertemini ad me in toto corde vestro*, &c. Et Iosue 22. pro conversione Israelitarum requiritur ut diligant Dominum Deum, *In omni corde & in omni anima*. Et cap. 24. monentur ut timeant Dominum, & serviant ei *perfecto corde atque verissimo*. Quæ omnia indicant Dei amorem super omnia, in quo consistit totalitas cordis, perfectio, & veritas.

Conversio ad Deum duplex:

Matth. 22. vers. 37.

Ioel. 2. vers. 12.

Iosue 22. vers. 5.

Ibid. 24. vers. 14.

Dignitas Attritionis:

Ex dictis patet quanta sit dignitas Attritionis, quantum à scopo aberrent qui eam putant quamcumque nudam detestationem peccati, velut terminative propter pœnas. Continet enim in se veram cordis conversionem ad Deum, & aversionem omnimodam à peccatis, etsi imperfectiori motivo, nihilque aliud ei deest, quam actus amoris Dei super omnia, ad quem tamen disponit, imò inchoative se habet, dum homo proponit de cætero non peccare & mandata Dei observare. Hæc latius deduxi de Attritione ob parvam æstimationem quam video homines habere de Attritione, quasi omnibus pro libitu semper ad manum esset, & ob quæstiones quæ incipiunt moveri super eius virtute in ordine ad peccatorum remissionem cum Sacramento obtinendam Est sane donum Dei sanctum, & supernaturalis Actus ad quem concurrunt Fides, Spes, & inchoata quædam Charitas. Sed alia restant non minoris momenti latiùs examinanda.

QUÆSTIO V.

An dolor de peccatis in Contritione, sive etiam Attritione, requirat aliquam sensibilitatem, intensionem, sive vehementiam & durationem.

CONCLUSIO I.

Pœnitens debet esse sui doloris sive pœnitentia conscius Ratio est, Quia actus ille doloris & detestationis, est actus humanus, omnis autem actus humanus debet fieri cũ advertentia. Undè qui conteritur vel atteritur, debet scire & advertere se saltem aversam Voluntatem habere à peccato, sive nolle (si fieri possit) se illud fecisse, sibique verè displicere quod fecerit. Hic est dolor essentialiter ad pœnitentiam veram sive Contritionem, sive Attritionem requisitus, nimirũ detestatio & displicentia interna peccati cõtra Legem Dei commissi, quæ ex nolleitate sive Voluntatis aversione procedit.

Pœnitens debet esse detestationis peccati conscius.

CONCLUSIO II.

Non est necesse ut dolor ille ad corporeos sensus se extendat, sive ut sensibilis sit & per actus sensibiles manifestetur, utpote, per cordis sensibilem motum, lacrymas, suspiria, singultus, &c. Ratio: est quia hæc per se ad naturã doloris non pertinent, imò frequenter nec in nostra potestate sũt, nec ad perfectionẽ spectant,

ctant. Contingit enim Pœnitentem premere altum corde dolorem & absque similibus signis plus & vehementius dolere, quam illi qui ex dispositione complexionis ad singultus & lacrymas faciliores sunt, ut evenit in melancholicis & mulieribus, quæ ex levi causa in lacrymis & singultibus etiam usque ad turbationem cerebri, tabescunt, & ut plurimum majoris doloris & meriti est, velle flere & non posse, quam fletibus abundare. Vt benè docet *Gerson serm. de Pœnitentia in Cœna Domini lit.* D.

Petes: An sufficiat Pœnitenti velle dolere, quamvis non doleat, sivè dolere se non dolere? De posteriori affirmat *Gerson supra*, quem plures sequuntur. *Resp.* Nihilominus illud, *Non dolere*, dupliciter intelligi posse. Primò. Absolute, ut excludit omnem de peccato dolorem secundo. Secundum quid, vt tantùm excludit doloris qualitatem, sensibilitatem, sivè intensionem. *Dico* itaque primo. Si illud, *Non dolere*, absolutè sumatur, vt excludit omnem de peccato dolorē: Non sufficere *Velle dolere*, si à parte rei verè non doleat; Neque *Dolere se non dolere*, in eodem sensu *Ratio est*: Quia ad veram Pœnitentiam necessario & essentialiter requiritur aliquis dolor. *Dico* secūdo. Si illud, *Non dolere*, accipiatur secundùm quid vt excludit tantum aliquam doloris qualitatem sensibilitatem sive intentionem: tunc sufficere *Velle dolere* seu *dolere se non dolere* ad veram Pœnitentiam. *Ratio est*: Quia supponitur *vere dolere*, & ampliùs detestari duritiam cordis, & difficultatem complexionis, aut imperfectionem debitæ apprehensionis, ex eo quod vehementiam doloris proportionatam peccatis, non sentiat. Qui actus sunt multum meritorii, & frequenter magis meritorij, quàm illi doloris affectus qui ex naturali complexione facile fluunt. Quinimò addò: In illis actibus *Velle dolere* & non posse, sive *dolere se non dolere*, contineri virtute perfectissimum dolorem, quo non modo Voluntas à peccato avertitur; sed etiam in se ipsam insurgit, & si fieri posset, omnem vehementiam parata esset exercere, ut pro peccatis commissis seipsam doloribus excruciaret & de ipsa pœnas sumeret Et enim homini sic affecto gravis pœna *velle dolere*, & non posse sentire dolorem, sive percipere se dolere. Unde experimur tales Personas summe affligi, & tristari de ista indolentia, sive potiùs imperceptibilitate doloris: quam tristitiam & afflictionem certum est non terminari tantum ad istam imperceptibilitatem doloris, sed maxime & primario ad peccata super quibus, & de quibus dolor à Pœnitente desideratur. Quapropter advertat Confessarius, ut timoratas illas & scrupulosas conscientias, quæ nunquam videntur sibi satis dolere, aut quæ aliquos contrarios motus, & imaginationis altetationes, putant se non verè dolere, potiùs instruat & solentur, quam earum dictis & phantasijs credat, & condescendat: ipsis enim convenit hoc malagma & doctrina: ut scilicet, sufficiat illis *velle dolere*, etsi non percipiat dolorem ob scrupulos, & aliàs turbationes: sufficit etiam *Dolere se non dolere*, hoc est, se dolorem non percipere: imò cum sit ipsa major pæna, ipsis frequenter magis meritorium est: Et hoc solùm quod advertant se velle dolere, & dolere quod non percipiant dolorem, satis est juxta primam Conclusionem, ut Pœnitens dicatur sui doloris & detestationis conscius, ad actum humanum & virtuosum, sivè etiam religiosum.

Dupliciter dicitur Pœnitens velle dolere.

An sufficit ut velle dolere.

Quando sufficiat velle dolere & qualiter.

Nota.

CONCLUSIO III.

MOde verus sit dolor & detestatio peccati ad Contritionem vel Attritionem requisita: nulla illius requiritur intensio, vehementia aut duratio. Ratio est: Quia ut supponitur, verus est dolor & detestatio peccati in substantia, & ad essentiam Actus requisita; intensio verò, vehementia aut duratio, accidentalia sunt & accidentales perfectiones. Vndè S. *Cyprianus* Serm. de Cœna Domini: *In eodem* (ait) *articulo temporis cum iam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia expirantis emerserit, Pœnitentiam clementissimi Dei benignitas non aspernatur: Nec serum est, quod verum, Nec irremissibile quod voluntarium: Et quacumque necessitas cogat ad pœnitudinem: Nec quantitas criminis, Nec brevitas temporis; Nec horæ extremitas, Nec vitæ enormitas, si vera Contritio, si pura fuerit Voluntatum mutatio, excludit à venia* Hæc S. Cyprianus. In quibus verbis attendendæ sunt particulæ. *Nec serum est, quod verum, Nec irremissibile quod voluntarium.* Item: *Si vera Contritio; si pura fuerit Voluntatum mutatio.* Quod enim patres aliqui exaggerant brevem illam in fine vitæ Pœnitentiam invalidam vel insufficientem esse, hoc ita intelligendum est: Quià sæpè non est vera; aut non est voluntaria; utpotè, quæ solo metu mortis habetur, ità ut si liceret ulterius vivere, homo non pœniteret. *Demum*: Quia aut non est vera Contritio, utpotè (absque Sacramento) non proveniens ex amore Dei super omnia, aut cum Sacramento non est vera Attritio omnem peccandi Voluntatem simpliciter excludens, cum spe veniæ & proposito firmo non peccandi de cætero, si vita prolongaretur. Aliàs; si sit vera & voluntaria conversio, verusque dolor perveniens ad rationem Contritionis perfectæ, vel saltem supernaturalis Attritionis cum Sacramento, dicendum est cum S. Chrysostomo lib. de Rep. lapsi: *Quantulumcumque & quamlibet brevi tempore gestam Deus non respuit Pœnitentiam: sed suscipit etiam eam ipsam nec patitur quamvis & exiguam conversionis perire mercedem, &c.*

Non requiritur aliqua intensio in dolore.

S. Cypr. Serm. de Cœna Domini.

S. Chrys. Epistola 1. de Rep. lapsi.

QUÆSTIO VI.

An deteſtatio peccati in Contritione ſicut appretiative, ſic etiam comparative ſumma eſſe debeat?

SEnſus Quæſtionis eſt: An ſicut Pœnitens tenetur appretiative deteſtari peccatum mortale tanquam ſummum malum, utique quod ſit contra Deum, qui eſt infinitum & ſummum bonum; etſi non teneatur intenſiſſime ſive intenſiſſimum actum deteſtationis elicere; ſic etiam teneatur comparative propoſito quolibet malo pœnæ, illud potiùs eligere, quam velle peccare, *Ex.g.* An Petrus teneatur, ſi intellectui ſuo proponatur Mors, Infernus, Jejunium perpetuum, Auſteritas, Status Religionis; vel alia gravis pœnitentia, magis eligere Mortem, Infernum, Jejunium perpetuum, Ingreſſum Religionis, vel aliam quamcumque gravem pœnitentiam quam velle mortaliter peccare?

CONCLUSIO I.

Quam Appretiatio in Contritione requiratur.

T*Enetur Pœnitens ſedato animo judicare melius eſſe & magis homini expedire Mortem, Infernum; & quamcumq; pœnam ſubire, quam Deum per peccatum mortale offendere.* Ratio eſt Quia hoc judicium pertinet ad veritatem æſtimationis & appretiationis, qua tenetur peccatum mortale æſtimare ſummum malum, infinito bono contrarium. In hoc enim conſiſtit deteſtatio ſumma appretiativè; hoc eſt, in appretatione & æſtimatione peccati mortalis vel objecti infinitè mali, ita ut appretiatio reſpiciat ipſum objectum & actum æſtimative, non autem præcisè ipſam deteſtatioonem; Summa enim deteſtatio peccati mortalis nihil eſt aliud, quam omnimoda deteſtatio peccati mortalis, quia judicatur & æſtimatur ſummum malum.

Dixi (*ſedato animo*) cavere enim Pœnitens debet, ne ubi afflictus eſt, & turbatus, vel anxius animus, ſibi judicium tale proponat in ſingulari, ſufficit enim quod peccatum mortale in genere apprehendat vel ſciat æſtimari ſummum malum, abſque eo quod illud cum alijs malis, in ſingulari conferat. Unde ponitur.

CONCLUSIO II.

Q*Vocumque malo pœna Animæ vel Corporis, imo quocumque bono in mente propoſito non modo non tenetur Pœnitens alterutrum eligere, ſed tenetur magis propoſitionem illam tanquã impertinentem, & periculoſam rejicere, nil eligendo.* Explico: Proponitur Pœnitenti: Si occurreret neceſſitas aut moriendi aut ſcortandi, Malleſne vel eligeres mori potius, quã ſcortari: *Item*: Malleſnè damnari, quam iterum peccare mortaliter: *Item* Si nullum eſſet aliud remedium, quam intrandi Religionem vel perpetuo jejunandi, Malleſne Religionem intrare & jejunare, quam peccare mortaliter: *Item*. Malleſne potius omnia bona temporalia perdere & jacturam eorum facere, quam Fidem Catholicam deſerere; Et id genus infinitæ conditionales & comparativæ poſſunt proponi & frequenter ſcrupuloſis pœnitentibus proponuntur & ab ipſo etiam Tentatore objiciuntur: Quomodò itaque ſe debet gerere in illis pœnitens? *Reſpondeo ex Concluſione, primo*, Non teneri aliquid horum eligere, ſed debere repudiare, tanquam impertinentia, nimirum ſibi ipſi & Satanæ reſpondendo: Nulla eſt, nec erit Deo proprio, unquam talis neceſſitas, cum infinita alia media habeat Deus, quibus me à peccato eripiat; & quandò talis neceſſitas vel conditio occurreret: Deus qui non permittit hominem tentari ultrà quàm poteſt, tunc mihi ſufficientem daret gratiam & fortitudinem ad illud eligendum quod ipſi gratiùs & mihi ſalutarius eſſet: Sicque omnes ſimiles & propoſitiones cum ſuo Tentatore facile exſibilabit & contemnet *Ratio eſt*: Quia verè ſunt ad electionem impertinentes, cùm nec abſolute ſubſiſtant, & impertinens ſit eligere quod non ſubſiſtit, nec unquam fortè ſubſiſtet. Nugax eſt enim electio eius quod non eſt: Et cùm gratia Dei ad ſalutarem electionem requiratur, eſt nugacem facere Deum & Gratiam eius, velle illum adhibere ad nugas & fictas propoſitionum ideas. Non deſunt tamen animæ his plurimum vexatæ uſque ad phreneſes & cerebri exinanitiones ac fatuitates, ubi impingunt in Confeſſarios timidos & ſcrupuloſos.

Qualiter ſe debeat Pœnitens gerere in Comparatione malorum propoſitorum.

Reſpondeo ſecundo, Teneri huiuſmodi propoſitiones reſpuere & exſpuere, quia periculoſæ ſunt. Cùm enim mala pœnæ non modò æternæ, ſed etiam temporalis plus ſoleant movere Imaginationem, utpote magis ſenſibilia, quàm mala culpæ: aut periclitari facient Voluntatem, aut turbabunt Imaginationẽ, aut hominem in infinitos ſcrupulos præcipitabunt, & bonũ Animæ impedient. (Excipio animos illos exercitatos & heroicos.) Si etiã delitias & temporalia delectabilia ſibi evitanda in ſingulari proponant: vehementior exurget concupiſcentiæ æſtus cui ſuccũbent. Caveant igitur Confeſſarij à talibus interrogationibus: Caveant Pœnitentes à Satanæ laqueis periculoſiſſimis. Nunquam comparationes faciant, aut electiones, niſi in caſu quo eligendi neceſſitas occurrit, tunc enim Gratia Dei non deerit, & media ad bene eligendum ſubminiſtrabit, ſi caſus & anxietas de facto ſubſiſtant. Advertant itaque: Aliud eſſe, inter omnia mala pœnæ propoſita, judicare peccatum mortale magis abhorrendum eſſe, quod dixi in prima Concluſione pertinere ad veritatem æſtimationis

Notanda pro Confeſſariis & Pœnitentibus.

tionis: Aliud, sibi mala pœna subeunda per electionem applicare, ad evitandum peccatum, ad quod nunquam tenetur homo, nisi casu de facto subsistente & occurrente, & cessantibus etiam de facto alijs medijs: Sicut autem eventus pertinet ad futura contingentia, sicut & electio illuc remittenda est, prout nimirum Deus permiserit, & gratiam tunc dederit.

Nota.

Dices: Video modò ingressum Religionis, vel jejunium mihi fore efficax medium ad evitandum peccatum, ergò teneor eligere, ubi sic mihi proponitur: *Respondeo*, Ingressum Religionis vel jejunium per se non esse medium necessarium, ita ut nullum aliud suppetat, adeoque me non teneri illud eligere: cum ex varijs etiam medijs propositis, non teneat eligere quod melius & efficatius est, sed sufficit mihi eligere, quod suo modo fini & evitationi peccati deservit, etsi non cum tanta efficaciâ. Bene quidem facit qui efficaciora media eligit, sed omnia efficaciora media non sunt per se apta vel opportua cuilibet peccatori. Unde eiusmodi sunt ordinariè consilij, & non præcepti.

QVÆSTIO VII.

An in Contritione vel Attritione dolor & detestatio peccati, debeat exerceri singulariter super peccata singula in individuo?

CONCLVSIO I.

Contritio debet esse de singulis mortalibus collectivè.

D*Olor & detestatio peccati in Contritione sive Attritione debet esse de omnibus & singulis peccatis mortalibus saltem collectivè, ita ut nullum in conscientia peccatum sit quod Pœnitenti non displiceat, sive ad quod saltem virtualiter actus detestationis se non extendat.* Conclusio clara est. Cui enim aliquod peccatum mortale cuius sibi conscius est, non displicet, ille non potest dici à peccato aversus minus contritus, aut attritus: quia saltem in illo interpretativè sibi complacere censetur.

CONCLVSIO II.

Contritio ad singula peccata in particulari non debet reflecti.

N*On est necessarium ut actu doloris sive detestationis super singula particulariter exerceatur.* Ratio est: Quia prætterquam quod hoc sit aliquando impossibile, & ob angustiam temporis, vel alias circumstantias periculosum ex natura virtutis Pœnitentiæ non est requisitum, cùm actu & motivo universali ad omnia peccata etiam oblita vel ignorata, sive occulta virtualiter se extendente, fructuosissime & perfectissimè quis non solum averti possit ab omnibus peccatis, sed etiam summoperè peccatum omne detestari & amore Dei super omnia ad eum totaliter converti.

Petes: Quid sit fructuosius, Singula peccata singulatim in memoriam revocare & super singulos actum doloris & detestationis exercere: An verò actu & motivo generali omnia collectivè detestari, & universaliter de illis dolere.

Aliquando necessarium est ad peccata in specie reflecti.

Respondeo primo, Ubi tempus & ratio circumstantiarum permittit, non modò fructuosum, sed etiam aliquandò necessarium esse super singulis peccatis mortalibus reflecti & singulorum gravitatem sivè malitiam advertere. Ratio petenda est, non solum in ordine ad Confessionem Sacramentalem ratione cuius enumerãda sunt: Sed etiam ratione ipsius actus Contritionis sivè Attritionis, qui cum ea detestari debeat, ita ut ad singula peccata saltem virtualiter detestatio extendatur, vix interdum potest illa detestatio excitari, ut censeatur virtute ad singula pertingere, nisi supponatur Pœnitens illa aliquo modò apprehendere, & ad ea reflecti. Quomodò verò illa apprehendere censeri poterit, nisi ea aliquo modo ad memoriã revocet? *Explico*: In quo enim distinguetur Pœnitentia Petri, & Magdalenæ: Aut Latronis, & Zachæj? Conveniunt enim omnes in universali Pœnitentia, quod avertantur generaliter ab omni peccato mortali, & universaliter illud detestentur & abhorreant: Distinguuntur verò quod Magdalena ad carnis voluptates & delicias ac lapsus reflectatur unde ipsius dolor emergit: Petrus ad negationem, Latro ad homicidia, Zachæus ad injustitias: Ita ut quamuis in ratione virtutis Pœnitentiæ non teneantur ad singulos numero actus reflecti, tenentur tamen quæ occurrere possunt, peccata in specie apprehendere, ut ex eis dolorem eruant. Et quamvis aliqui Doctores censeant de præcepto Contritionis non esse singula peccata memorari, nimirum numeratione numerica: non credo tamen illos negare apprehensionem aliquam generalem, qua malitiarum species & genera ad mentem reducantur, concurrere debere: Cum enim omnis pœnitentia supernaturalis, sit de peccato contra legem Dei commisso; alicujus saltem legis transgressio cuilibet Pœnitenti ad actum Pœnitentiæ occurrat menti necesse est: Alias, malitiam peccati in genere sic apprehensi, sine reflectione ad actum & transgressionem propriam, potest cuilibet Sanctissimus & qui non peccavit, detestari; quia peccatum mortale quomodocumque apprehensum, infinito Bono planè est contrarium.

Idcirco dixi (*aliquando necessarium esse super singulis mortalibus reflecti*) quandò nimirum quis sufficientem extensive dolorem non posset excitare, nisi in singulorum apprehensione: & ita à rememoratis aver-

teretur, ut in alijs ad quæ non reflecteret remaneret complacentia. *Explico* : Ex *Sancto Petro Chrysologo* : Contingit hominem avaritiæ & injustitijs in mercatura & similibus deditum, valdè apprehendere peccata ebrietatis, gulæ luxuriæ, detractionis, &c. & de illis pœnitere ac graviter dolere : quia verò in suis iniustitijs & avaritia immersus est, tantum abest, quòd ab eis avertatur, quinimò vix aliud quidpiam animo ruminet ; Etsi generaliter videatur dolere de omnibus peccatis, certum est tamen quod de suis iustitijs non doleat, quia ad eas non reflectit, imò culpabiliter in illis à Dæmone detinetur : Huic necessarium est ut in singulari aut saltem in specie reflectat super illis injustitijs & avaritia, aliàs Pœnitentia quantumcumque generalis & sub generali motivo facta, verè manca est & mutila, Undè in prima Conclusione dixi (*Teneri hominem saltem collective de omnibus & singulis peccatis mortalibus dolere*) ut nimirum omnia peccata in apprehensione intellectus, quæ dolori præsupponitur, collectivè censeatur comprehendi, & aliquo modò à tali apprehensione attingi & affici. Non enim ad veram Pœnitentiam sufficit Pœnitenti in genere apprehendere quod peccator sit, sed oportet ut apprehendat se propter determinatas transgressiones in aliquo genere vel specie peccatorem esse, etsi numericè peccata non occurrant.

Dixi (*ubi tempus & ratio circumstantiarum permittit*) Contingit enim hominem ita subitis eventibus concuti, ut ad aliqua peccata specialiter vix possit reflecti : Tunc enim apprehensio generalis suorum peccatorum in confuso sufficit, cum dolore & perfecta conversione cordis in Deum. Imò contingit hominem actu amoris Dei super omnia ità fortiter in Deum rapi, ut ad peccata non reflectatur : Tunc verò virtualiter censetur detestari omnia & singula peccata, quamvis non potuerit ad singula reflecti, quia in confuso totum suæ conscientiæ statum pro ut potest, apprehendit & toto, & suppono, corde convertitur ad Dominum: Conversio verò totalis ad Deum, aversionem totalem à peccatis virtute includit.

Respondeo secundo, Ubi quis in memoriam sua peccata reduxit, & quasi recolligit, ac expendit eorum gravitatem, melius & fructuosius est generali motivo omnia collectivè detestari, quam ad singula per actus singulares Contritionis reflecti. *Ratio est*: Quia ad singula sic reflecti per actus particulares nonnunquã periculosum, nonnunquam difficile, nonnunquam impossibile, nonnunquam perdit totam virtutem & saporem Cõtritionis. Periculosũ quidẽ est: Quia dum quis hæret in detestanda malitia unius peccati in individuo, ità uni adhæret, ut ad alia se non extendat, & aliquorum detestationem penitus prætereat ; Nonnunquam etiam difficile est, quia memoria singula repræsentans labilis est, aut ipsum cerebrum quod vehementi plurium actuum imaginatione debilitatur, facile turbatur : Nonnunquam impossibile, propter multitudinem peccatorum, & malitiarum diversarum, vel incapacitatem peccatoris, aut angustiam temporis, vel circumstantiarum occurrentiam : Nonnunquam tandem perdit totam virtutem & saporem Contritionis, quia actibus nimis multiplicatis, animus totus fatigatur, enervatur, & in fastidium dissoluitur. Sit itaque.

Melius est collective peccata detestari, quam ad singula descendere.

REGULA GENERALIS.

AD *veram Contritionem omnino sufficit si Peccator Pœnitens studeat peccata omnia mortalia, quantum potest, mente recolligere ac eorum gravitatem specificam aliquo modo æstimare & apprehendere, ac demum illa collective & in genere detestetur ut Dei offensas in specie sua graves, idq; actu magis universali, ne se nimis per singulares actus discruciet.*

Modus Contritionis generalis.

Petes: An dolor & detestatio peccati, debeat cadere super omnia peccata venialia quæ quis confitetur? *Respondeo primo*, Si Pœnitens sola venialia confitetur, necessarius est omnino dolor & detestatio quæ super aliqua quæ confitetur, cadat, idque sub peccato mortali. *Ratio est*: Quia etsi venialia peccata sint materia voluntaria, eo ipso tamen quo quis vult Sacramentaliter ea confiteri, debet adhibere Contritionem sive Attritionem, quæ est pars sinè qua non subsistit absolutio : adeoque si in eo defectu voluntariè pono Sacramento obicem, Sacrilegium committo, quia meâ culpâ mancum redditur Sacramentum, & invalida datur Absolutio. *Respondeo secundo*, Non esse necessè ut super omnia peccata venialia cadat Contritio sive Attritio. *Ratio est*, Quia cum venialia peccata non dissolvant amicitiam Dei, Consequenter non ponunt obicem Sacramento cum unum absque altero possit remitti.

QUÆSTIO VIII.

Quo tempore teneatur Peccator Contritionem sive etiam Attritionem exercere, ad hoc ut ad Tribunal sive hoc Sacramentum censeatur concurrere?

CONCLUSIO I.

AD *hoc ut contritio vel Attritio ad hoc Tribunal concurrere censeatur, necessarium est ut aliquo instanti temporis vel natura, Confessionem quæ Sacramentalis est, antecedat.* Ratio est: Quia Confessio Sacramentalis procedit à peccati dolore & detestatione, est enim Accusatio dolorosa de peccatis contra Deum commissis in ordine ad absolutionem : ergò ut *dolorosa* illa debet hanc tempore aut natura

Contritio debet natura præcedere Contritionem.

natura aliquo modo præcedere, ficuti caufa præcedit effectum.

Dixi (*aliquo inftanti temporis vel naturæ*) fieri enim poteft, ut quis fimul confidendo dolorem excitet & excitando dolorem, confiteatur, ita ut & dolor & Confeffio fimul exiftant, ac Reus narrando peccata ad deteftationem moveatur, & deteftando eadem Sacerdoti enarret. Porrò dum ita fimul concurrunt, deteftatio natura præcedit narrationem five accufationem, ut cenfeatur narratio Sacramentalis: Eo enim ipfo quo quis narrando peccata ad deteftationem movetur, ipfa deteftatio, narrationem, quæ perdurare fupponitur, quafi antevertens, elevat illam, ut *Sacramentalis* fit, & ad Tribunal hoc concurrat, Nihil enim obftat in re morali ut pofterior actus phyficè, retrotrahatur moraliter, & priorem afficiat ac elevet, ut ftatim dicetur.

Modi quibus Contritio retrotrahitur ad Confeffionem prius factam.

Dixi (*Confeffionem quò Sacramentalis eft, antecedat*) Contingit enim frequentius ut Confeffio quatenus eft fimplex quædam narratio, omnem dolorem antecedat, ut verò Sacramentalis fit, & ad Sacramentum concurrat, per fubfequentem dolorem elevatur & actus Sacramentalis fit. *Explico*: Idiota aliquis venit & velut hiftoricè narrat Confeffario peccata fua abfque ullo dolore de illis, ignorans fe ad aliud teneri: Confeffarius id advertens illum monet, & movet ad cognofcendam peccati malitiam & offenfam Dei, & tandem commovet ad Contritionem vel Attritionem peccatorum jam narratorum, five Confefforum in ordine ad abfolutionem: Talis Contritio five Attritio fic poft materialem & quafi hiftoricam Confeffionem, excitata retrotrahitur, ac Confeffionem hiftoricè factam, quæ virtualiter cenfetur remanere, elevat ut jam fiat Sacramentalis & abfolutioni peccata prænarrata Sacramentaliter fubjiciat, cenfeturque dolor five Contritio natura præcedere Confeffionem in quantum fit Sacramentalis, & per fubfequentem dolorem ad Sacramentalem actum & Abfolutionem elevatur. *Similiter*; Joannes oblivione, inadvertentia, diftractione, imò malitia peccata fua Sacerdoti confeffus eft abfque dolore & deteftatione illorum, & fine propofito emendationis; fub orationibus verò ante abfolutionem, imò fub ipfa abfolutione reflectitur & conteritur de confeffis cum firmo propofito non peccandi de cætero: Hæc Contritio five dolor retrotrahitur ad Confeffionem prius factam abfque dolore, & elevat illam ut jam virtute præfentis Contritionis vel Attritionis, Sacramentalis fiat, & Pœnitentem ad Abfolutionis effectû fufficienter hic & nunc difponat: quia efficientiâ morali Contritio naturâ præcedere cenfetur Accufationem præteritam, quatenus per illam jam Sacramentalis fit, quæ priùs purè narrativa erat. Ex quo fit.

CONCLVSIO II.

O*Mnis dolor & Contritio, five Attritio excitata ufque ad ultimum inftans pronuntiationis verborum* Abfolvo te, *eft fufficiens ad elevandam Confeffionem prius Confeffario in hoc Tribunali actualiter factam, ut fiat Sacramentalis, & ut Pænitens effectum Sacramenti confequatur.* Ratio ex dictis fumenda eft: Quia ifta Contritio five dolor moraliter retrotrahitur ad Confeffionem jam factam, & illam quafi repetit & reproducit, ita ut virtualiter in genere caufæ moralis, illam præfentem faciat.

CONCLVSIO III.

N*On eft neceffe ut Contritio five dolor & deteftatio peccatorum formaliter duret tempore Confeffionis & Abfolutionis, fed fufficit ut virtualiter permanere & durare cenfeatur in ordine ad Confeffionem & Abfolutionem.* Explico: Joannes aliquo tempore, ut porè, una aut altera hora antequàm ad Confeffarium accederet, fe præparavit per examen confcientiæ, & dolorem de peccatis, ea intentione ut ad hoc Tribunal & Sacramentum accederet; non eft neceffe ut iterùm formaliter in fe excitet iftum dolorem dum accedit, fed fufficit ut nullum contrarium actum exercuerit, fed in virtute doloris & deteftationis prius excitatæ, accedere poteft, & confiteri. Ratio eft communis omnibus Sacramentis: Dolor enim & deteftatio priùs factâ in ordine ad hoc Sacramentum, cenfetur virtualiter & moraliter operari, cùm fupponatur facta in ordine ad hoc Tribunal & Sacramentum fubeundum.

DUATA NOTABILIA.

Moralis inter capedo inter Contritionem & confeffionem quæ fufficiat?

P*Etes primò*: Quantùm temporis poffit intercedere inter dolorem five deteftationem peccatorum, & actualem Confeffionem ad hoc ut virtualiter cenfeatur permanere? *Refpondeo primò*: Id prudenti judicio morali æftimandum effe & ex moralibus circumftantiis: *Explico*: Joannes fub noctem antequam fe quieti tradat, examinat confcientiam & excitat in fe debitum dolorem peccatorum ea intentione; ut citò media nocte aut fummo manè furgat, & occurrenti Sacerdoti confiteri poffit: Ubi manè confitetur, cenfetur (fi nocte mentem non mutaverit) præcedens illa deteftatio & Contritio virtualiter in Confeffione permanere; quia in ordine ad illam eft excitata, & aliàs fupponitur Voluntas integra permanfiffe. *Similiter*: Manè quis fe per examen & deteftationem peccatorum præparavit ad hoc Sacramentum; interim non poteft habere locum vel aliis occupationibus impeditur, ita ut non poffit ante undecimam five non nifi meridiem confi-

teri: ubi tunc confitetur (si interim, ut supra dixi, mentem non mutaverit, nec in alia mortalia est lapsus) censetur detestatio & Contritio mane excitata, virtute permanere eadem ratione qua supra.

Respondeo secundo. Quandò moraliter sive ob nimiam intercapedinem temporis sive ob mutationem animi, sive ob multiplicata peccata, detestatio sive Contritio in ordine ad Confessionem faciendam, censetur interrupta, tunc saltem in genere est repetenda opportuno tempore sive ante Confessionem, sive in ipsa Confessione, sive ante Absolutionem, ut superiùs declaratum est: Tunc verò censetur nimia intercapedo temporis ut prior detestatio non videatur dicere ordinem ad Confessionem subsequentem; Quando morali æstimatione nil remanet prioris intentionis in cuius virtute censeatur quis agere, utpotè, quando animus omnino a priori intentione fuit distractus, & aliis mancipatus, nec reverà ullum remanserit in illo signum ad Confessionem subsequentem. *Explico*: Ioannes aliquo pio motu ductus, examinat conscientiam suam & detestatur peccata, proponens prima opportunitate confiteri, interim communiter absque alio speciali conatu ad alia convertitur, & ei opportunitas cōtingit post plures dies: Illa detestatio præcedens non videtur sufficiens fuisse ad sequentem Confessionem post plures dies factam: quia nullus est virtualis motus moraliter in Joanne in ordine ad illam Confessionem permanens, sed tantum per accidens, quia enim opportunitas in singulari proposita non fuit, sed tantum in genere, illa ei contingere per accidens censetur & non ex proposito, sicut contingere solet eis qui in Contritione votum sive propositum confitendi habuerunt, tempus autem non determinarunt; si post multos dies occasio confitendi occurrit, Contritionem aliquo actu revocare tenentur.

Unde dixi notanter (*Quando morali æstimatione nil remanet prioris intentionis*) in nonnullis enim multa temporis intercapedo non impedit quin censeatur Contritio sive peccati detestatio pluribus diebus virtute permanere. *Explico*: Joannes ut Confessionem generalem faceret, examine conscientiæ facto, elicit actum Contritionis sive Attritionis supernaturalis: interim ob causas, plures dies insumit de judicio Confessarij singulis diebus Confessionem prosequendo, antequam illam compleat & Absolutio ei impendatur, etiamsi in ista Confessione octo dies impenderet, prima Contritio sive detestatio censetur perdurare virtute si illam (ut supra dixi) non revocaverit. *Ratio est*: Quia actus aliqui perseverant.

Similiter: Petrus volens Jubilæum lucrari, antequam opera & jejunia per hebdomadam perficiat, examinat conscientiam & Contritionem elicit cum intentione ut in Sabbatho vel Dominica, quando communicaturus est, Confessionem faciat; interim per hebdomadam templa visitat, jejunat, operibus requisitis vacat: ratione horum operum, quæ sunt prioris intentionis moralia signa, censetur detestatio peccati in ordine ad propositam Confessionem in Sabbatho vel Dominica faciendam, perdurare.

Respondeo tertio. Quando multùm temporis intercessit inter conceptum dolorem de peccatis, & eorundem Confessionem, securiùs est, imò quandoque necessarium in genere & universali priorem Contritionem sive detestationem renovare & quasi reproducere, quod in momento fieri potest. *Ratio est*: Quia illa temporis intercapedo frequenter mentem alterat, & distractio mentis ad alia, facile circa priorem detestationem aliquid immutare potest, imo aliquod impedimentum immittere. *Renovanda interdū Contritio.*

Ex quo etiam *infero*: Consultum esse omnibus Confessarijs, si per se Pœnitentes illud non faciunt, exigere à peccatoribus immediate ante Absolutionem, protestationem qua testentur se de omnibus confessis vel oblitis vere & ex animo propter Deum dolere, & firmiter proponere vitæ emendationem. *Consilium pro Confessarijs.*

Petes secundo An, qui ante Absolutionem dolorem de peccatis confessis non habuit, teneatur Confessionem repetere? *Ratio dubitandi est*: Quia talis Confessio etsi in Sacramento sit facta, vere Sacramentalis non fuit, cum non fuerit dolorosa accusatio in ordine ad Ecclesiæ claves requisita. *Resp.* Si vere sibi sit in singulari conscius de Confessione aliquorum peccatorum mortalium omisso voluntario dolore & detestatione legitima facta, teneri iterum illa confiteri; nisi Confessionem illam alio modo supplere possit. *Ratio est* quæ supra, Quia verè Confessio illa Sacramentalis non fuit, sed purè narrativa. *Confessio defectu Contritionis quandoque repetenda.*

Dixi (*si sibi vere conscius sit*) ob timores & scrupulos generales quibus timoratæ Animæ ut plurimum infestantur, quasi verum dolorem de peccatis in præteritis Confessionibus non habuerint: quæ si in singulari de eiusmodi errore non sunt sibi consciæ, non debent facile permitti scrupulosè reiterare priores Confessiones. *Nota contra scrupulosos.*

Dixi (*de Confessione aliquorum peccatorum mortalium*) quia venialia non sunt repetenda, etsi defuerit in Confessione dolor, cùm sint materia voluntaria & liberà.

Dixi (*nisi Confessionem illam alio modo supplere possit*) Poterit autem supplere, si Confessarium cui illegitimam illam Confessionem fecerat, accedat: & si Confessarius aliquo modo recordetur peccatorum

vel statum illius, nullâ factâ repetitione singulari, narrato priori defectu doloris dicat se jam demùm cum animi dolore clavibus supponere peccata quæ priùs illi confessus fuerat, & sic Pœnitentiam & Absolutionem ab illo accipere poterit.

TITVLVS III.

De firmo proposito non peccandi de cætero.

QVÆSTIO I.

In quo consistat firmum propositum de cætero non peccandi?

CONCLVSIO VNICA.

Firmum propositum non peccandi de cætero consistit in actu Voluntatis absolutè cum Dei gratia proponendis deinceps abstinere ab omni mortali peccato, non tantum prius commisso, sed etiam alio quovis nunquam à Pœnitente admisso. In hoc enim consistit propriè emenda vitæ, nimirùm, abstinere à commissis, præcavere omnia in quæ Pœnitens quovis modo labi posset: Hæc autem emenda est fundamentum firmi propositi in hoc Sacramento; Ex quo.

Infero primò, Ad firmum propositum pertinere actum Voluntatis quo quis tenetur proponere, sive velle satisfacere omnibus obligationibus ad quas sub peccato mortali tenetur: ut ad restitutiones faciendas, Pœnitentias adimplendas, & alia quæ vel ex natura peccatorum vel ex justa & legitima impositione Judicis oriuntur. *Ratio est*: Quia tenetur, ut dixi, proponere non offendere Deum mortaliter, omissio autem prædictarum obligationum est offensa Dei mortalis, nisi parvitas materiæ excuset. *Obligationum satisfactio cadit sub propositum.*

Infero secundo, Non teneri singulariter formare propositum super singulis peccatis, etiam commissis evitandis, sed sufficere si in genere proponat firmiter abstinere ab omni mortali peccato, sive priùs aliquando fuerit commissum, sive non. *Ratio est*: Quia illud universale propositum est sufficientissimum ad emendationem vitæ, quæ, ut suprà dixi, est totius propositi fundamentum. *Propositũ in genere sufficit.*

Infero tertio, Firmum propositum servandi omnia mandata Dei esse sufficiens in vera Contritione. *Ratio est*: Quia qui proponit servare omnia mandata, consequenter proponit à peccatis omnibus abstinere: Contrariorum enim eadem est disciplina.

QVÆSTIO II.

An ad firmum propositum requiratur necessario voluntas vitandi omnia pericula & occasiones peccatorum.

Hic distinguendum est inter pericula & occasiones peccandi: Alia enim sunt pericula & occasiones propinquæ: Alia pericula & occasiones remotæ.

Pericula & occasiones remota dicuntur quæ etsi soleant ad peccatum impellere, & de facto frequenter impellant, nihilominus homo facilè illa pericula vitare, & non obstantibus occasionibus, peccato resistere sive peccatum effugere potest. *Pericula* verò & *occasiones propinqua* dicuntur, quæ ita ad peccatum impellunt, vel peccandi materiam præbent, ut consideratis circumstantijs homo illis occurrentibus peccatum aut vix vitare possit, aut soleat. *Quid sit occasiones propinqua, quid remota:*

CONCLVSIO I.

Non tenetur Pœnitens ad firmum propositum proponere omnes occasiones peccatorum remotas sive remota pericula vitare. Ratio est: Quia occasiones remotæ & pericula remota non sunt peccata, & malum sive peccatum quod ex illis evenire potest, facile evitatur. Unde tales occasiones possunt interdum esse seges meritoriæ pugnæ. *Remota occasiones non cadunt necessario sub propositum.*

CONCLVSIO II.

Tenetur Pœnitens firmiter proponere vitare omnes occasiones proximas, & pericula propinqua peccati mortalis, in quantum sibi moraliter possibile est. Ratio est clara: Quia proximum periculum sive occasio peccandi, æquiparatur ipsi peccato, & qui periculo & proximæ occasioni peccandi mortaliter se exponit, interpretativè censetur se peccato mortali exponere, juxta illud Ecclesiastici cap 3. *Qui amat periculum in illo peribit*. Unde præcipit CHRISTUS Matth. 18. *Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscide eum & projice abs te: Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum & projice abs te.* Quòd verò periculum & occasio proxima apud Deum æquiparetur peccato ipsi, colligitur ex verbis sequentibus: *Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum, &c.* Quasi supponat quòd si non absciderit manus vel pedes quæ scandalum ponunt, & occasionem proximam ruinæ subministrant, ei imputandam illam negligentiam vitandæ occasionis ad gehennam ignis æterni. *Propinqua occasiones necessario sub propositum cadunt.* *Ecclesi. vers. 27. Matth. 18 vers 8. Ib. vers. 8.*

Dixi (*in quantum sibi moraliter possibile est*) Contingit enim aliquando peccatorem detineri tantâ necessitate in statu ubi sunt

Quid agendum quando moraliter occasiones sunt inevitabiles.

Proximæ occasiones ad peccandum, ut rationabiliter non possit statum mutare, aut à loco vel officio in quo hujusmodi peccandi occasiones sunt, recedere: Tunc sufficit illi ad obtinendam absolutionem, firmiter & efficacirer proponere adhibere omnia remedia possibilia ad vitandum peccatum & occasionibus resistendum, quæ sibi suggerentur vel per se inveniet. *Ratio est*: Quia, ut supponitur, etsi vix & raro, ipsum tamen peccatum non obstantibus occasiooibus proximis, verè à parte rei evitabile est, & periculum ratione impossibilitatis moralis illud evitandi, non censetur voluntarium Poterit ergò, non obstantibus illis occasionibus, pleuè peccatum detestari, & firmiter proponere extrema etiam media tentare ad illud euitandum, & consequenter perfectum actum Contritionis siue Attritionis exercere, sufficientem ad Absolutiooem.

Nota.

Explico: Mercator est iam involutus varijs Contractibus Societatis in quibus est continuum periculum committendi graues iniustitias, à quibus Contractibus & Societatibus non potest se extricare vel discedere sine iactura proxima suorum bonorum & familiæ, imò sine iactura famæ: sufficit ad firmum propositum, vt efficaciter proponat adhibere omnia media & remedia possibilia ad vitandum peccatum: nec tenetur discedere à Societate vel Contractibus: Quia censetur talis discessus moraliter impossibilis. Idem dic de Filia-Familias quæ cecidit cum Parente vel Fratre cui cohabitat, & ab illis continuè sollicitatur, à quibus tamen non potest sine iactura famæ, vel grandi malo recedere: Non tenetur recedere, sed sufficit remedia adhibere, sivè proponere firmiter omnem mouere lapidem ad vitandum peccatum. Idem dic de Ancilla quæ sine grandi iactura non potest recedere à domo in qua ab Hero sollicitatur. Et in cap. *Consultationi tuæ De frigidis & malef.* permittuntur coniugati impedimeoto dirimente Matrimonium ratione impotentiæ, laborantes, simul habitare tanquam Frater & Soror ad euitandam propriam infamiam & scandalum, non obstante periculo tactuum impudicorum, qui in illis sunt peccata mortalia.

Nota.

Nota.

Aduertendum tamen est: Impossibilitatem illam moralem periculum vel occasiones vitandi, debere esse veram & non fictam, iustam & non palliatam, siue quæsitam. Item propositum de adhibendis remedijs ad peccatum vitandum, debere esse firmum & efficax, ità ut vere adhibeantur, quamuis contingat demùm aliquandò personam labi.

Dices, Nulla iactura bonorum temporalium etiam famæ, potest æquiparari peccato mo tali; ergò nec periculum iacturæ bonorum temporalium etiam famæ, periculo peccati mortalis, & consequenter periculum peccati mortalis omnibus periculis præferendum est. *Respondeo primò*, Totum argumentum benè probare quoad consilium quo omnia temporalia, ob periculum peccati mortalis, contemnanda sunt: Non tamen quoad præceptum: Etsi enim præceptum extet omnia temporalia contemni debere ad vitandum peccatum mortale, nullum tamen præceptum est, omnia contemni debere ad vitandum periculum peccati mortalis, cùm ipsamet pericula etiam heroicus animus vincere possit & sæpè vincat, ac peccatum de facto evadat. *Respondeo secundo*. Hominem in periculo peccati mortalis constitutum non jam eligere periculum, sed pati, adeoque periculum non esse ipsi voluntarium: Cùm verò medium vincendi periculum non unicum sit, sed multiplex; posse interdùm ex necessitate unum medium amplecti etsi fortè difficilius, altero relicto ob ejus moralem impossibilitatem: Ità in præsenti: Cùm periculum immiuens sive proximum peccati mortalis instat, duo autem media offeruntur: Aut fugere omninò: Aut viriliter adhibitis remedijs, pugnare: Alterum difficilius quidem quod est pugnare: Alterum faciliùs, sed ob gravem jacturam famæ, bonorum, &c. moraliter quasi impossibile; Poterit quis quandoque in gratia Dei confisus, eligere pugnam in periculo difficiliore magis, quam fugam cum cèrta jactura quæ apprehenditur moraliter insupportabilis. Et hoc modo intelligo illud (quod ab aliquibus citatur) ex S. Basilij Constit. Monasticis. *Qui urgenti aliqua causa & necessitate periculo se obiicit, vel permittit se esse in illo, cùm tamen aliàs nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud subire, & ideo magis providebit Deus, ne in illo pereat.* *S. Basil. Constit. Monast. c. 4.*

QUÆSTIO III.

An ad firmum propositum requiratur credulitas sive existimatio, quod quis deinceps non relabetur?

Conclusio I.

Ad firm. propositum non est necessaria certitudo futuri.

N*On est necessarium ad firmum propositum ut Pœnitens credat vel existimet se in peccata mortalia, vel aliquod genus pecatorum relapsurũ.* Ratio est: Quia firmum propositum tantùm dicit actum præsentem Voluntatis nolentis relabi, seu proponentis congruis mediis præcavere lapsum. Existimatio autem & crudelitas quòd quis de facto non relabetur, cùm sit actus Intellectus circa futurum contingens, non plùs potest habere certitudinis, quàm ipsum contingens futurum, quod cùm planè sit contingens & mutabilitatem conditionis humanæ, ac corruptam libertatem sequatur, ità ut fieri & non fieri ex natura sua æqualiter possit,

nulla

nulla existimatio firma aut credulitas de illa rationabiliter generari potest, unde nec cogendi, nec admittendi sunt Pœnitentes ad promittendum quod non relabentur. Et Confessarij qui hoc faciunt vel permittunt, laqueos pedibus insipientium parant, & ipsi insipientes sunt. Quinimò consolandi sunt Pœnitentes qui timore recidendi, nimis concutiuntur, existimantes se idcirco verum propositum non habere, cum tamen ex eorum voluntaria detestatione peccati, certum sit firmum in illis propositum esse & fuisse, quamvis violentia tentationis, vel nimiâ fragilitate interdum relabantur. Vnde fit.

CONCLUSIO II.

Qualiter simul stent propositum & credulitas futuri casus.

Poteſt ſtare in eodem Pœnitente firmum propoſitum deprecavendo etiam ſingulari peccato mortali, cum exiſtimatione & credulitate quod de facto in illud relabetur.* Explico: Poteſt Ioannes firmiter proponere ſe vitaturum omnibus modis Fornicationis peccatum, & tamen omninò ſibi perſuadere & exiſtimare, ſi occaſionibus conſuetis involvatur quod de facto in illud ipſum Fornicationis peccatum quod vitare proponit, cadet. *Ratio eſt:* Quia firmum propoſitum innititur præſenti Voluntati quà à tali peccato averſus eſt, & quod cum Dei gratia quam ſperat affuturam, vult omninò vitare: Perſuaſio autem illa & exiſtimatio, quod non obſtante hac Voluntate peccabit, innititur expertæ ſuæ fragilitati & importunitati, ac violentiæ occaſionum occurrentium; ita ut ſuis viribus omnino diffidat, & quantum eſt ex parte ſua omnino credat ſe lapſurum, etſi à tali caſu hic & nunc abhorreat. Conſtat autem iſta duo non eſſe incompoſſibilia, cum & in diverſis potentijs, nimirum, Voluntate & intellectu exiſtant, & circa diverſa objecta verſentur, unum circa præſens objectum Voluntatis, alterum circa fragilitatem, & incentiva occaſionum.

CONSILIUM PRO TENTATIS ET SCRUPULOSIS.

EX quo infero tentatos & ſcrupuloſos quibus vel Dæmon, vel phantaſia propria ingerit hanc perſuaſionem ut quantumvis deteſtentur peccata & proponant illa vitare, nihilominus illos de facto relapſuros non debere hujuſmodi ſuggeſtiones curare, ſed illas debere contemnere, & quantumvis experti fuerint multiplices caſus, debere nihilominus ſperare quod cum adjutorio & gratia Dei quæ hominibus bonæ Voluntatis nunquam deeſt, modò operam adhibeant, ſe & poſſe vitam emendare, & ſpeciali Dei diſpoſitione de facto emendaturos. Unde & ſimilibus afflictis cum magno fructu animarum aliquando conſului, ut in tentationibus in quibus eis ſuggeritur perſuaſivè: *Tu cades ſine dubio, nec occurrentibus talibus occaſionibus ullatenus reſiſtere poteris; quantumvis tibi modo diſpliceant:* Conſului, inquam, ut non argumentarentur nec poſitivè reſiſterent, ſed cum humilitate & ſuæ infirmitatis agnitione ſuggerenti acquieſcerent hoc modo: *Verum eſt quod, quantum eſt ex me & mea fragilitate, occurrente tali occaſione certo in peccatum reinciderem, & ſine dubio offenderem: ſed ſpero quod Deus vel occaſiones divertet aut ſubtrahet, vel me in iſto momento ſingulari gratiâ & fortitudine præveniet: In ipſo itaque confido, non in me aut meis viribus.* Hoc modo, ut in pluribus ſum expertus, Dæmon ſatigatus abſcedit, & Anima quieta remanet, nec poteſt argumentationibus Dæmonum conturbari. Cum verò quis argumentis Dæmonis vult reſpondere, agens agendo repatitur, & Dæmon argumenta multiplicans animam aut in puſillanimitatem, aut in diffidentiam Dei, & deſperationem præcipitat. *Nota.*

CONCLUSIO III.

AD *firmum ègitur propoſitum ſufficit, ut homo verè à peccato averſus ſit, illudq; verè deteſtetur.* Cæterum ſperet ſe divina protectione & adjutorio, adhibitis congruis medijs, poſſe peccatum ſuperare, etſi contrarium lapſus præcedentes & occaſiones de facto ſuadere videantur. Hæc concluſio infertur ex ſuperioribus: firmum enim propoſitum non alicui credulitati, ſed ſpei in ſolo Deo & præſenti diſplicentiæ quam habet de peccato, innititur.

QUÆSTIO IV.

An ad veram Contritionem ſive Attritionem requiratur formale propoſitum de cætero non peccandi, & ſervandi mandata?

CONCLUSIO UNICA.

AD *veram Contritionem ſive Attritionem ſufficit virtuale propoſitum de cætero non peccandi, & mandata ſervandi, nec formale neceſſarium eſt.* Ratio eſt: Quia ex nullo capite requiritur propoſitum non peccandi niſi ad perfectam à peccatis averſionem & deteſtationem, cum animi ad Deum converſione: atqui tale propoſitum ſufficienter continetur in ipſa perfecta abominatione & peccati deteſtatione, imo & in amore Dei ſuper omnia, quamvis formaliter non exprimatur, ergò ſufficit virtuale propoſitum. *Explico:* Joannes in ultimo ſpiritu conſtitutus non cogitans de vita prolonganda, peccata omnia plenè & perfectè deteſtatur propter Dei amorem, ad cujus miſericordiam ſe convertit: certum eſt illum juſtificari: atqui in illo nullum eſt propoſitum formale emendandi deinceps vitam, tum;

Virtuale propoſitum ad Contritionem ſufficit.

cum, ut supponitur, certo, credat & sentiat se non supervicturum, ergò ad perfectam Contritionem sive Attritionem non requiritur propositum formale. Censetur verò virtuale: Quia qui perfecto corde à peccato avertitur, & ad Deum convertitur, censetur virtualiter amplius nolle peccatum committere, aut Deum offendere. Et hi casus frequenter occurrunt: ut cum quis angustia temporis premitur vel vehementia doloris absorbitur, imò intenso quandoque actu amoris Dei super omnia elevatur.

Petes: Unde sciet Confessarius Pœnitentem firmum propositum habere, maximè cum frequenter contingat aliquos cum summo dolore & detestatione peccati confiteri, & nihilominus sæpius in peccata confessa relabi? *Resp.* Id prudenti iudicio examinandum & æstimandum esse. Signa vero firmi propositi, non obstantibus relapsibus, sunt hæc.

Signa firmi propositi.

Primum, Si pœnitens vere conetur vitare occasiones & adhibere remedia quæ ei à Confessario imponuntur, etsi absq; effectu desiderato, ob nimiam fragilitatem.

Secundum, Si ubi reincidit, vere affligatur vehementes repugnantias sentiat ob relapsus.

Tertium, Si usquequaque sollicitus sit consulere expertos & probos viros, remedia quærere, & adhibere.

Quartum, Si non ita frequenter nec continue cadat, sed emenda aliqua, etsi non totalis, sequatur.

Alia sunt personalia signa quæ providus Confessarius advertere potest circa eos qui ei frequenter confitentur, generalibus autem terminis explicari non possunt.

TITVLVS IV.

De actu Rei sive Peccatoris qui est Confessio.

DE institutione, necessitate, secreto huius Tribunalis & alijs pertinentibus ad hanc materiam sufficienter egimus toto fere Tract. 1. specialiter Tit. 1. q. 1. 12. & 14. quæ etsi generaliter Tribunal hoc contingant, quia tamen institutio & necessitas huius actus, qui est Confessio ex ijsdem Principijs probanda est, inutiliter hic repeterentur, proinde Lectorem ad dictum Tractatum & Quæstiones citatas remitto: hicque Instituto nostro satisfactum abunde credo si pauca adijciam.

QUÆSTIO I.

Quid sit Confessio Sacramentalis.

CONCLVSIO VNICA.

Quid Confessio Sacramentalis.

COnfessio Sacramentalis nihil est aliud, quam Legitima manifestatio peccatorum à Pœnitente coram Sacerdote sensibilibus signis secreto facta in ordine ad obtinendam eorum remissionem per sententiam absolutionis.

Dixi (*Legitima manifestatio peccatorum*) id est, quæ legitimis qualitatibus & conditionibus est vestita, de quibus infra.

Dixi (*à Pœnitente*) Illius est enim suum peccatum manifestare, qui cordis proprij scrutator est, & qui solus accusante & testificante Conscientia, illa novit. Vide supra Tract. 1 tit 1. q. 9.

Dixi (*coram Sacerdote*) solus enim Sacerdos in hoc Tribunali Iudex est, & potestatem habet remittendi peccata

Dixi (*sensibilibus signis*) tum quia signa sensibilia ad Sacramentationem pertinent, tum quia ad manifestationem legitimam signa sensibilia necessario requiruntur, cum ordinarie nil sit homini in intellectu, quin præfuerit in sensu.

Addidi (*secreto*, sive auricularitet facta) arbitror enim ita de necessitate Confessionis Sacramentalis esse ut secreto fiat, ut nec Ecclesia dispensare possit ut publice fiat. Vide quæ diximus Tract. 1. Tit. 1. quæst. 14.

Dixi (*in ordine ad obtinendam peccatorum remissionem & absolutionem*) hic est enim finis illius actus per se intentus.

QUÆSTIO II.

An Confessio sensibilibus signis facta, fuerit omni tempore necessaria, & in usu?

QUæstio agit dumtaxat de tempore Novæ Legis. Super quo advertendum tamen est in Veteri Lege nonnulla inveniri vestigia etiam externæ Confessionis: ut Num. 5. *Vir sive mulier cum fecerint ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere, & per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum* Quod de externa aliqua Confessione intelligit Petrus Galatinus lib. 10. c. 3. probans ex testimonijs Rabbinorum Confessionem externam fuisse apud Iudæos antiquitùs usurpatam, explicatis etiam in singulari, peccatis, quæ enumerantur Levit. 6. ubi & modus quo de illis in oblatione Sacrificij coram Sacerdote solebant se accusare, exprimitur, positis tribus circumstantijs. Prima, Quod ista Confessio fieret coram Sacerdote: debebat enim offerre arie-

Num. 5. Vers. 6-7.

Similitudo Confessionis in Lege veteri.

arietem Sacerdoti, *Juxta*(inquit)*æstimationem mensuramq; delicti*, Undè colligitur Sacerdoti dedisse cognitionem qualitatis & quantitatis peccati pro quo sacrificium offerrebat. Secunda, Quod delictum ipsum Sacerdoti aperiret, ibi enim enumerantur peccata pro quibus Sacrificia ista offerri debebant. Tertia, Quod veniam mediante Sacerdote postularet :*Qui*(inquit) *rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro singulis quæ faciendo peccavit.* Vbi iterum expendi illud(*pro singulis quæ faciendo peccavit*)& adverte singularem & individuam fuisse Confessionem. Et hanc confessionem dicit Genebrardus in Psal, 31. vocatam fuisse *Confessionem verborum*, quia conceptis verbis, ac more solemni fiebat, Confessionem etiam externam faciebant Ioanni Baptistæ illi, de quibus Matth. 3. *Tunc exibat ad eum Ierosolyma; & omnis Iudæa, & omnis Regio circa Iordanem,& Baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.* Verum de his Confessionibus non est loci præsentis agere, quia nec Sacramentales erant, nec Iudiciales, nec Sacerdotes aut quicumque alij potestatem habebant remittendi peccata.

Levit. 6. vers. 7.

Matth. 3. vers. 5. 6.

CONCLVSIO I.

Confessio Sacramentalis in Lege Nova necessaria.

C*Onfessio sensibilibus signis Sacerdoti de peccatis mortalibus facta, post Legis Novæ sufficientem promulgationem, fuit omni tempore necessaria, in re vel in voto, ad remissionem peccatorum obtinendam.* Patet ex ijs quæ diximus Tract 1.tit.1.q.1.& 12. de necessitate subeundi hoc Pœnitentiæ Tribunal : omnia enim concludunt singulariter de Confessione. Vnde ex dictis ibidem sic concludo: Ex institutione divina post Legem Evangelij promulgatam, nemo potest remissionem peccati mortalis obtinere, nisi per Potestatem Clavium Sacerdotibus in Judicio Sacramentali concessam, de qua Io. 20 *Quorũ remiseritis peccata remittuntur eis, & quorũ retinueritis, retenta sunt* . atqui Sacerdotes nõ possunt alicuius peccata judicialiter remittere aut retinere nisi ipsis manifestentur, ergo ad remissionem peccata debent Sacerdotibus manifestari: Modus autem manifestandi alius fingi non potest, nisi cõfitendo sive se accusando de peccato suo coram Sacerdote. Et hæc est Confessio Sacramentalis de qua supra.

Ioan. 20. vers. 23.

CONCLUSIO II.

Confessio Sacramentalis à tempore Apostolorum usurpata.

C*Onfessio Sacramentalis Sacerdoti facienda, fuit ab initio Novæ Legis Fidelibus omnibus demandata, & ab illis usurpata.*

Probatur primò ex Scripturis supposità interpretatione Sanctorum Patrum. *Iacobi 5. Confitemini alterutrum peccata vestra* Quam Scripturam de Confessione Sacramentali intelligunt communiter antiqui Patres *Orig hom 2. in Levit. Chrysost lib. 3. de Sacerdotio. S Aug. hom. 12. Ex 50* & alij. Sicque declarari potest ex verbis præcedentibus.

Iac. 5. vers. 16.

Infirmatur quis in vobis inducat Præsbyteros Ecclesiæ & orent super eũ ungueutes eum oleo in nomine Domini, & oratio Fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. Subdit, *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra , & orate pro invicem ut salvemini*, Ex quibus verbis sic argumentor: Oratio, Unctio, Sanitas infirmi , Remissio peccatorum attribuitur Sacerdoti sive Præsbytero Ecclesiæ, ergo & salus ex Confessione & Oratione ut illatio insinuat: Ut quid enim particula illa causalis, *ergo*, in verbis illis, *Confitemini*, inquit, *ergo peccata vestra* , &c. Nisi ut copulet hunc versum præcedenti & ex præcedenti illum inferat? ut sit sensus: Si quis infirmus est, advocet Præsbyteros Ecclesiæ, ut per Sacram Unctionem, & Orationem Fidei, hoc est, à CHRISTO institutam infirmi allevientur & sanentur ab infirmitate, & per eandem Unctionem à Præsbyteris cum Oratione factam, remittantur peccata; Quod ut certius fiat, cum Præsbyteri sint præsentes, subdit : *Confitemini ergo peccata vestra*, nimirum, Præsbyteris præsentibus, *& orate pro invicem*, id est, curate ut Sacerdotes orent pro vobis, ut *salvemini*. Ista enim causalis (*ergo*) videtur aliquam importare velut admonitionem, qua Apostolus suadet recursum ad Præsbyteros Ecclesiæ, non modo in infirmitate, sed multo magis tempore sanitatis: Eo ferè modo quo *Ecclesiasticus cap.* 17 Ubi peccatores ad Pœnitentiam, & ad veram in Deum conversionem cohortatus est, subdit. *In partes*(ait)*vade sæculi sancti cum vivis & dantibus confessionem Deo: Non demoreris in errore impiorum , ante mortem confitere; A mortuo quasi nihil perit Confessio: Confiteberis vivens vivus & sanus confiteberis,* &c. Similiter etiam Jacobus ita suadet infirmo remissionem accipere per Unctionem Sacerdotis, ut amplius persuadeat illam delictorum Confessionem à Sacerdote requirendam. Nec huic expositioni obstat terminus ille vagus, indefinitus(*alterutrum*) definitur enim satis ex præcedentibus, cum locutus fuerit de præsbyteris Ecclesiæ: sicut cum subnectit *& orate pro invicem ut salvemini*, sive ut Græca habent, *ut sanemini*, non est sensus, quasi infirmus debeat orare pro Præsbyteris Ecclesiæ, sed illud, *invicẽ*, indicat Præsbyteros Ecclesiæ orare debere pro infirmis: ut quod sibi fieri volunt in infirmitate sua, hoc infirmis præstent. Igitur illud(*alterutrum*) accommodè intelligendum est, id est, peccatores confiteantur Præsbyteris Potestatem habentibus : sicut 1. Pet. 4. *Vnusquisq; sicut accipit Gratiam, in alterutrum illam administrantes , sicut boni dispensatores multiformis Gratiæ Dei.* Non ita intelligendum est, quasi quilibet cuilibet in Gratijs illis gratis datis ministret, sed qui eas receperunt, eis qui illis carent, & unus quidem juxta Gratiã unam, alius juxta aliam . *Non enim* (ut alibi S. Paulus) *omnes Prophetæ, non omnes*

Iac. 5. vers. 14.

Eccl. 17. vers. 25. 26. 27.

1. Pet. 4. vers. 10.

1. Cor. 12. vers. 29.

Doctores, non omnes linguis loquuntur, &c. Et in prioribus verbis, *Hospitales invicem*: Non est intelligendum quod pauper hospitio recipiat divitem, sicut dives & qui hospitium habet, pauperi aut non habenti hospitium, præstet: Ita igitur *confitemini alterutrum*, id est, peccatores Ecclesiæ Præsbyteris Potestatem absolvendi habentibus.

1. Pet. 4. vers. 9.

Alius locus ad probandam confessiooem Sacramentalem ejusque usum accommodus est. 1. Joannis 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus ut remittat nobis peccata nostra & emundet nos ab omni iniquitate.* Quo loco promittitur ex justitia & fidelitate remissio peccatorum, confessioni peccatorum: Nusquam verò in scriptura Deus se obligavit promissiune sive obligatione justitiæ & fidelitatis, dare remissionem peccatori annuotianti sive confitenti peccata sua, nisi cum, Joannis 20. promisit & dedit Potestatem Apostolis, & per eos Sacerdotibus dimittendi peccata cum dixit: *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. Ex quo legitime infertur, locum illum intelligi debere de confessione peccatorum Sacerdotibus facienda.

1. Joan. 1. vers. 9.

Ioan. 20. vers. 21.

Tertius locus est Actor. 19. Ubi cum Dæmonium habens insurrexisset in Exorcistas Iudæos qui nomen IESV & Pauli dolose & fraudulenter usurpabant, conterritis omnibus & Judæis Gentilibus: *Multiq;* (ait Textus) *credentium veniebant confitentes & annunciantes actus suas.* Ubi Textus Syriacus habet: *Multi autem ex eis qui crediderant, veniebant & renunciabãt offensas suas, confitebanturq; quod fecerant.* In quibus verbis advertendum est, quod ex omnibus qui territi fuerant, soli ex credentibus venerunt confitentes suas offensas; quod indicat confessionem fuisse Sacramentalem, cujus soli baptizati sive fideles capaces sunt. Effectus etiam sive satisfactio statim subjungitur: *Multi autem qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus & computatis pretijs illorum, invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* Expediens sine dubio judicaverat S. Paulus ut peccatum Magiæ quod apud illos nimis commune & publicum erat, hac satisfactione publica elueretur & eradicaretur. Auditos ergò in confessione (veniebant enim ad Paulum & Discipulos qui Sacerdotes erant absolvit, & ad tollendum publicum scandalum, exemplarem hanc satisfactionem Ephesijs fidelibus imposuit. Ita interpretatus est hunc locum Oecumenius, & post eum Gagneus, & alij plures

Act. 19 vers. 18 Text. Syriac.

Act. 19.

Usus Sacramentalis Confessionis antiquissimus.

Usus tandem hujus Sacramentalis confessionis antiquissimâ Traditione ab Apostolorũ temporibus comprobatur: *Clemens Romanus* qui floriut anno Christi 80. *Epist. 1. Si forte* (ait) *alicuius cor, vel livor, vel infidelitas vel aliquod malum latenter irrepserit non erubescat qui animæ suæ curam gerit, confiteri huic qui præest, ut ab ipso per Verbum Dei, & consilium salubra curetur, qua possit integra Fide & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere.* In quibus verbis nota totius Sacramenti seriem. Confiteri enim ei qui præest quodcumque malum quod latenter in cor irrepserit, indicat primo, Confessionem fuisse de omni & occultissimo peccato mortali: Secundo, eam fuisse factam Sacerdoti Iurisdictionem Pastoralem vel quasi Pastoralem habenti; utique ei qui Ecclesiæ præerat. Verbum etiam Absolutionis clare legitur *Vt ab ipso* (inquit) *per verbum Dei & consilium salubre curetur* Duo enim officia sunt Sacerdotis in hoc Sacramento, Alterum, ut per formam Sacramentalem quod vocat, *Verbum Dei*, absolvat *ut Iudex*, Alterum, ut Pœnitentem salutari consilio instruat ad emendam, ut *Consiliarius & Medicus*. Satisfactio tandem & effectus huius Sacramenti exprimitur: *Quo possit integra Fide & operibus bonis, pœnas æterni ignis effugere.* Commutatur enim pœna æterna in temporalem, cui satisfacit Pœnitens operibus bonis.

Clem. Rom. Ep. 1.

S. Dionysius Areopagita qui clarissimus in Ecclesia erat anno CHRISTI 100. Epistola octava, quæ est ad Demophilũ graviter cum arguit *Quod* (inquit) *procidentem Sacerdoti impium atq; peccatorum contra Disciplinæ ordinem calce abieceris & repuleris. Cum ille quidem* (*quod oportuit verecunde fatetur se ad peccatorum remedia quærenda. venisse*, *Neq;* (inquit) *exhorruisti insuper & Sacerdotem optimum lacerare convitijs qui Pœnitentem atq; impium iustificaßet. Ac tandem exi, inquiens Sacerdoti, Cum similibus tuis contra fas omne irrupisti in adyta, & Sancta-Sanctorum prophanare ausus es.* In quibus verbis (dum *Impium & peccatorem* audis *procidentem Sacerdoti & verecunde peccata confitentem ut remedia quæreret*) apertè Confessionem Sacramentalem legis (cum audis *Sacerdotem optimum peccatores iustificaßa*) Absolutionem Sacramentalẽ habes: demum locum ubi judicium celebrabatur: *In adytis* utique *& Sancto-Sanctorum.* Similia lege apud Tertulianum lib. de Pœnit. cap. 8 Ubi agens de Exomologesi sive Confessione peccatorum, Ceremonias etiam Confessionis Sacramentalis exprimit Nimirum: *ingemiscere, lachrymari, Præsbyteris advolvi aris Dei adgeniculari*, &c. Verum hæc pro ratione nostri Instituti plus satis. Alia videantur apud Doctores Cõtroversias scribentes.

S. Dyonis. Areop.

Tertul. lib de Pœnit. cap. 8.

QVÆSTIO III.

Quæ signa externa ad Confessionem Sacramentalem peccatorum sint sufficientia?

CONCLUSIO I.

Qualitates sufficientia signa ad Confessionem.

Illa signa externa ad confessionem Sacramentalem simpliciter & per se sufficientia sunt, quæ

Confessario sufficientem peccatorum mortalium, quorum Pœnitens sibi conscius est, notitiam ingerere possunt in ordine ad Absolutionẽ. Ratio est: Quia non alia ratione probari potest Confessio Sacramentalis necessaria, *nisi quia* (vt inquit Concilium Trident. sess 14. cap. 5.) *Sacerdotes Iudicium hoc incognita causa, exercere non possunt*, siue quia, vt judicent de peccatis, peccatorum notitiam habere debent, ergò signa quæ in Confessario sufficientem notitiam peccatorum causant, consequenter ad Confessionem Sacramentalem sufficientia sunt cùm per signa omninò præstentur quæ aliàs per vocabula expressa, & oris Confessionem præstarentur, siuè ad quæ est à CHRISTO instituta Confessio.

Concil. Trid. sess. 14. c. 5.

Dixi (*simpliciter & per se*) ratione enim alicuius circumstantiæ aut præcepti, posset aliundè Confesio per signa aut prohiberi, aut etiam invalida esse, ut ratione scandali, contemptus, superstitionis, periculi, &c. Sicut in vita Sancti Francisci legitur de quodam Fratre qui sub prætextu silentij nolebat nisi signis confiteri, cujus improbitatem & proximam ruinam prædixit Sanctus.

Conclusio II.

Confessio oris extra casum, necessaria ex præcepto.

Confessio oris in Ecclesia usurpata, ita obligat, ut non liceat absque peccato mortali aliter confiteri, nisi causa aliqua iusta id postulante. Ratio sumenda est ex communi Traditione & sensu ac usu Ecclesiæ, quam ex libertate & proprio sensu transgredi temerarium esset, in re de se periculosa & gravi. Periculosa, tum propter signorum & nutuum incertitudinem ex parte Confessarij, qui unum pro alio facile capere potest, tum propter eorumdem insufficientiam ad species, circumstantis & numeros peccatorum exprimendos: Gravis autem materia est, cum ex parte Pœnitentis nulla sit actio magis necessaria, utpote, quæ non tantum peccatorum, sed etiam doloris necessarij sive Contritionis expressiva sit in ordine ad Absolutionem Sacramentalem. Et in hoc sensu intelligendum est Concilium Florentinum, dum materiam Sacramenti dicit esse *Confessionem oris*; Quia nimirum ista & certius exprimit Pœnitentis statum, & de Contritione & detestatione peccatorum testificatur.

Dixi (*nisi causa aliqua iusta id postulante*) Causa autem justa reputabitur, quæ vel necesitate, vel Pœnitentis utilitate inducitur: ut in muto, vel lingua impedito, aut qui idioma non novit quod Confessarius callcat, denique in omni qui verbo non pôtest peccata sua exprimere. *Item*: Cum Sacerdos est surdus vel auditu diminuto, ita ut Pœnitens non posit nisi aut cum periculo Infamiæ, aut cum magna incommoditate, verbo confiteri. *Item*: Ob nimiam Confusionem & verecundiam. *Item*: Ob infirmitatem periculosam, vel supervenientem. *Item*: Vt Pœnitens possit expresius scripto sua peccata explicare. In his & similibus causis iuxta rationem necessitatis vel vtilitatis, tum signis, tum nutibus, tum scripturâ Confessio Sacramentalis legitimè fieri potest.

De nutibus sufficientibus ad Confessionem.

Aduerte tamen primo: Pœnitentem, vbi signis vel nutibus vtitur, debere vti signis & nutibus quos constet sufficientes, vt Confessarius in notitiam peccatorum veniat, alioquin exponit se periculo inualidæ Confessionis.

De scriptura.

Aduerte secundo: Quòd vbi Pœnitens non potest verbo, si sine graui detrimento vel periculo possit confiteri scripto, debere præferre scripturam omni alteri signo vel nutui. *Ratio est*: Quia quantùm fieri potest, Sacramentalia signa etiam quæ ex parte materiæ sunt, debent esse certa, ità vt extra casus perplexos, dubietas auferatur: scriptura autem inter signa certissimum locum obtinet, sub ipsa viua voce confitentis

Scriptura requirit præsentem.

Aduerte tertio. Eum qui per scripturam confitetur, debere esse præsentem & aliquo signo, verbo, vel nutu indicare, ità vt Confessarius percipere possit, hanc scripturam ordinari ad accusationem & confessionem dolorosam suorum peccatorum eorumque Absolutionem. *Ratio est*: Quia scriptura est Instrumentum mortuum quod non nisi aliquo actu pœnitentis vivificari, aut ad finem absolutionis ordinari potest. Vndè est illud Decretum Clementis VIII. declarantis: *Non licere absenti confiteri per litteras, & per litteras absolutionem obtinere*: Cujus totũ fundamentum est tum Confessarij, tum Pœnitentis ab invicem corporalis & moralis absentia; ità ut nec Sacerdos sibi præsentem Pœnitentem habeat quem absolvat: nec Pœnitens censeatur Sacerdoti præsens, ut de præsenti sua dispositione, dolore, & Confessione hic & nunc Sacerdotem certiorem reddere possit; & actu præsenti suam scripturam in ordine ad absolutionem velut vivificare. Unde Epistola receptâ in qua Pœnitens sua peccata confessus est & aperuit; si Sacerdos ad Pœnitentem accederet, & Pœnitens verbo, nutu, vel signo testificaretur, se de peccatis quæ in Epistola scripsit, Pœnitere & ab illis absolutionem expostulare: Nullâ aliâ declaratione factâ, posset Sacerdos sic Pœnitenti præsens, illum absoluere, nec teneretur Pœnitens aliter ista peccata confiteri, Ex dictis patet resolutio sequentium dubiorum.

Cle. VIII.

DUBIUM I.

Qualiter Confessarius debeat aut possit se gerere circa mutum, sive loquela impeditum?

RESPONDEO primo: Si possit Confessarius nutus & signa certa peccati, & peccatorum detestationem per similia signa & nutus intelligere, eum liberè posse & debere muto absolutionē impertiri. *Ratio est*: Quia, ut superius dixi, illa sunt sufficientia ad Sacramentalem Confessionem.

Respondeo secundo: Si signa & nutus Sacerdoti tantum sint probabilia etiam cum formidine de opposito, tunc absolutionem dabit muto concepta conditione (si sis dispositus) *Ratio est*: Quia ista probabilitas est verè dubia, etsi in meliorem partem inclinet. Et in Sacramentorum administratione, quantum fieri potest, seriò procedendum est, nulla autem major securitas ex parte Confessarij hic suaderi potest, nisi ut utatur conditionali mente concepta. Idem dicendum de illo qui ita confusæ & impeditæ loquelæ est, ut muto comparari possit.

Respondeo tertio: Si mutus vel loquela impeditus potest scribere, multò convenientius est ut scribat. *Ratio est*: Quia, ut superiùs dixi, inter signa post vocem vivam & articulatam, scriptura primum locum tenet.

DUBIUM II.

An mutus & loquela impeditus si edere possit signa, sive nutus aut etiam scribere, teneatur scripto vel nutibus confiteri?

RATIO dubitandi est: Quia scriptura est publicum instrumentum quod ad alienas manus pervenire potest, nemo autem tenetur publicè confiteri *Similiter*; Nutus & signa facile notari ab aliquo possunt cum eo sæpe pertingat oculus, quo non potest auditus.

Respondeo primo: Si velit mutus aut loquela impeditus gaudere beneficio Sacramentalis absolutionis, ipsum teneri omni modo possibili sive per nutus, sive per scripturam peccata sua Sacerdoti aperire. *Ratio sæpe dicta est*: Quia Confessarius non potest incognita causa, dare sententiam.

Respondeo secundo. Si potest mutus aut loquela impeditus scribere, aut nutus & signa certa alicujus peccati edere in particulari, cesset que periculum publicationis aut revelationis peccatorum, nec gravis aliqua difficultas timeatur, illum teneri tum Jure Ecclesiastico semel in anno, tum quoties vult communicare, & in articulo mortis, ac generaliter ubi urget præceptum Confessionis (si copiam Confessarij qui eum intelligere possit, habeat) per nutus & signa, vel etiam per scripturam confiteri. *Ratio est*: Quia etsi Confessio sit ei aliquo modo incommoda & difficilis, est tamen possibilis, & difficultas gratia beneficij & absolutionis benè compensatur.

Dixi tamen (*esset periculum publicationis aut revelationis*) ubi enim esset periculum aliquod probabile revelationis, non teneretur confiteri: ut si esset periculum ne Confessarius scripturam penes se retineret, aut secum auferret, aut ne manibus proprijs, aut Confessarij quovis modo elaberetur: *Item* Si signa edere deberet videntibus alijs: cessat verò periculum, si Sacerdos lectâ in præsentia Pœnitentis scripturâ, eo ipso totaliter chartam comminuat & laceret, aut lacerandam Pœnitenti statim reddat. *Item*: In muto signis utente, si in privato loco ubi nemo videre aut advertere possit ipse mutus suis nutibus coram ipso Sacerdote confiteatur.

Dixi etiam (*si non sit alia gravis difficultas*) Lex enim Ecclesiastica potissimum in gravi difficultate non obligat; communis autem difficultas confitendi per nutus aut signa sive etiam scripturam ratione impotentiæ continuæ, jam assuetis non videtur gravis, cum Confessio illa censeatur permissa in impotentium favorem, ne tam necessario Sacramento priventur.

Respondeo tertio. Si mutus aut loquelâ impeditus, possit saltem signum certum dare suæ Contritionis sive Attritionis, explicando in genere se actualiter peccasse, meo judicio (ubi urget præceptum Confessionis) tenetur illo modo confiteri: etsi enim nullum in singulari peccatum à Sacerdote intelligi possit, numericum tamen omninò supponere potest & debet. Qui enim dat certum signum se actualiter peccasse, etiam certum signum se aliquo singulari actu peccasse, censetur dare. Qui enim peccat, aliquo singulari actu peccat, etsi species ignoretur; & aliàs suppono signum & nutus indicate debitum animi dolorem, & ordinari à pœnitente ad Absolutionem à Sacerdote impetrandam. Sicut passim docent de subitò obmutescentibus, de quibus infrà.

DUBIUM. III.

QVid agendum ubi Pœnitens non habet alium Confessarium, quam surdum?

RESPONDEO primo: Si Confessarius sit capax ad intelligenda aliqua signa vel nutus, posse in necessitate illi per nutus & signa confiteri, imò per scripturam si nullum sit periculū publicationis, ut supra dictum est.

Respondeo secundo: Si Pœnitens speret se opportunè posse reperire Confessarium alium qui integro sit auditu, ipsum posse se gerere etiam, tempore præcepti, quasi non habeat

habeat copiam Confessarij, & differre Confessionem in aliud tempus, quo occurrere possit Confessarius non surdus. *Ratio est:* Quia reuera Confessarius omninò surdus, vix est idoneus reputandus hic & nunc, & non sine grauissima difficultate ei potest fieri Confessio.

Petes primo: Quæ est minor difficultas aut major necessitas in Pœnitente muto (quem asseruimus teneri ubi urget præceptum confiteri per signa & nutus) quam in Pœnitente loquente respectu Confessarij surdi, quem excusamus ab impletione præcepti, cum tamen Pœnitens loquens æquè ac mutus possit per signa aut scripturam manifestare sua peccata surdo Confessario?

Respondeo primo: Majorem esse necessitatem in Pœnitente muto aut loquela impedito, quam in Pœnitente loquente respectu Confessarij surdi: Qui enim mutus est & loquela impeditus, censetur continuo & quasi perpetuo impeditus & mutus: Si enim esset privatio vel impedimentum loquelæ tantùm ad tempus, ita ut speraretur brevi sanitas, utique eâdem ratione mutus & loquelâ impeditus, posset differre Confessionem in aliud tempus, non obstante præcepto, & se habere vt excusatū ratione præsentis difficultatis, Aliud porrò est de Pœnitente loquente respectu Confessarij surdi, hoc enim impedimentum venit ab extrâ & est merè transitorium, cum alium Confessarium non surdum possit postea adire & ei confiteri, ut supponitur. Si enim non esset spes quod posset alium Confessarium reperire, utpotè, Quia est in periculo morris, aut inter Infideles à quibus non sperat se liberandum brevi, cessante (ut dixi supra) periculo revelationis, aut alia difficultate majori, etiam Pœnitens loquens teneretur surdo Confessario signis aut etiam scriptura confiteri, ubi urget præceptum ratione superius explicata. Cum enim in favorem Pœnitentis ob difficultatem Contritionis censeatur permissum ut (ob tantum bonum à quo dependet frequenter tota salus) possit nutibus signis, aut per scripturam confiteri, non videtur æstimanda incommoditas & difficultas quæ ordinariæ nascitur ex huiusmodi Confessionibus, ubi maiora (ut sæpe iam repetitum est) pericula desunt. Undo à Patribus vocatur *Pœnitentia laboriosa.*

Petes secundo, An qui potest nutibus & scripturâ confiteri, teneatur scripturam præferre nutibus tanquam certiorem?

An præferenda scriptura nutibus,

Respondeo, Si potest nutis æquè certò confiteri, non teneri scripturam adhibere. *Ratio est*: Quia scriptura majoribus periculis & difficultatibus est exposita, nec tenetur modum persectiorem aut certiorem confitendi eligere, sed satis est quod sufficientem adhibeat: Sicut Pœnitens qui labilis est memoriæ, aut qui perfectius & magis distincte sua peccata per scriptum aperiret, nequaquam tenetur scribere, sed sufficit ut ex memoria & ore proferat, etsi, ut suppono, imperfectius ea manifeltet, quia utitur modo sufficienti.

Petes tertio, Quid si non possit omnia peccata aperire nutibus, possit verò scriptura omnia manifestare?

Respondeo, In illo casu non teneri ad integritatem materialem Confessionis, sed sufficere integritatem formalem, ut quæ nutibus potest, aperiat, Rationem adferemus infra, ubi agemus de causis excusantibus ab integritate materiali Confessionis, ne cōgamur inutiliter eadem repetere.

Dubium. IV.

Qualiter possit confiteri pœnitens ignoti idiomatis, & quomodo Confessarius se cum illo gerere debeat?

RESPONDEO *primo*, Si non habeat vel non speret opportune se posse reperire Confessarium qui suum idioma intelligat, æquiparandum esse muto, & ubi mutus nutibus & signis potest aut tenetur confiteri, sic ille Pœnitens qui est ignoti idiomatis.

Ratio clara est: Quia is qui non potest idiomate cognito, & mihi intelligibili loqui respectu mei æquiparatur muto, cum animi sensa significare non possit. Posito itaque quod sic permancat, medij mutorum pro animæ salute & obligatione præcepti uti poterit, & tenebitur prout & mutus.

Dico (*posito quod sic permaneat*) potest enim quærere sui idiomatis Confessariorum, & differre Confessionem, si sit spes talem inveniendi, ut suprà diximus de eo qui incidit in Confessarium surdum.

Respondeo itaque secundo, Confessarium si intelligere possit peccata illius qui est ignoti idiomatis ex ipsius signis & nutibus, posse, imò debere ipsum absolvere saltem tempore præcepti etiam extra articulum mortis. *Ratio est*: Quia quando Pœnitens potest aut debet sic confiteri, censetur correlatiuè Confessarius posse aut debere illum audire, & si est dispositus, absoluere, quæ omnia in hoc casu contingunt.

Ex quo infero: Pastores qui in suis Pastoratibus interdum habent aliquos famulos Dominorum aut Rusticorum ignoti idiomatis, curare debere, vt (si commodè reperiantur in locis vicinis aut non itâ vicinis Sacerdotes qui idioma illud calleant) ad illos dicti famuli mittantur: Si autem non inueniantur Sacerdotes qui idioma calleant, debere illis suadere vt verbis vel nutibus aliqua saltem peccata (quandò urget præceptum) aperiant, & sic illos absoluere, ne defectu huius Sacramenti pereant.

Consilium utile.

DUBIUM V.

An quando idioma ignotum est Confessario, possit aut teneatur Pœnitens per Interpretem confiteri?

Respondeo secundo, Nullo Jure divino vel humano, tenetur peccator præcepto Confessionis per Interpretem faciendæ. *Ratio est*: Quia nullum est præceptum de Confessione publica facienda: Confessio autem quæ per Interpretem fit, vere ex natura sua publica est, etsi ex probitate Interpretis jure secreti naturalis, maneat occulta: Neque enim credo jure præciso Sacramenti Interpretem teneri ad Secretum; cum Interpres quovismodo assumptus, non sit Minister Sacramenti, nec ad illum Sacramentum aliquo modo pertineat. Addo, hanc esse huius Sacramenti naturam, ut, quãtum est ex se, inter Mysteria & Secreta soli Deo, & eius Ministris ad hoc legitime ordinatis, in interiori foro reservetur. Vide quæ diximus Tract. 1. Tit. 1. quæst. 14.

Dixi notanter (*præcepto Confessionis*) alio enim titulo Pœnitens obligari potest, ut in periculo sive articulo mortis, quandò dubitaret de sufficienti contritione vel peccatorum dolore. Illa enim obligatio non tam ex præcepto Confessionis, quam ex lege charitatis erga se ipsum proveniret quia quis in tali articulo existens tenetur, quo securiori modo potest, suam procurare salutem.

Respondeo secundo, Potest quis rationabili causa vel necessitate urgente per Interpretem confiteri, & à Sacerdote huiusmodi Confessione per Interpretem facta, valide absolvi. *Ratio sumenda est ex supradictis*: Quia pœnitens hoc modo dat veram notitiam suorum peccatorum Confessario in ordine ad obtinendam Absolutionem.

Dixi (*Per Interpretem præsentem*) debet enim Interpres dare testimonium actuum præsentium pœnitent s, quod non potest nisi sit actu illi præsens, cum Pœnitens possit Voluntatem ac propositum mutare in absentia Interpretis Unde cum actus Pœnitentis mediante Interprete, ut hic & nunc exercetur aut durare censetur, innotescere debeat Confessario, sicut Interpres Confessario præsens esse debet, sic & Interpres Pœnitenti.

Dixi (*rationabili causa vel necessitate urgente*) Cùm enim hoc Tribunal ex natura sua sit secretum & secretò exerceri debeat, non potest quis pro, ut vult, & quandò vult, etiam quantùm est ex parte sua, hanc secreti conditionem transgredi: Confiteri autem per Interpretem est contra secretum huius fori & Tribunalis, in quo non censetur dispensare voluisse Legislator CHRISTUS, nisi in casu necessitatis, vel ubi multùm rationabilis urget causa, ut in articulo vel periculo mortis, aut quando Confessio multum esset ère salutis, sive quando ex Confessione hic & nunc facta, dependeret salus Pœnitentis.

Dices: Cum quis per Interpretem confiteatur, Interpres æquali cum Sacerdote secreto tenetur: ergo Confessio est æquè secreta sive per Interpretem fiat, sive absque Interprete. *Resp. negando assumptum*. Cum enim Interpres per se non pertineat, imò nec concurrat ad Sacramentum, sed tantùm indirectè & ut est quasi vox Pœnitentis, Jure Sacramenti ad Secretum non tenetur, sed dumtaxat Juræ Naturæ; tum ex justitia, quia in se suscipit obligationem tacendi eo ipso quo interpretari consentit; tum charitatis, quia vitia proximi tacere tenetur. *Addo* Confessionem per Interpretem varia incurrere pericula, quæ si fiat Confessario, non incurruntur: Confessarius enim in ordinatione sui Sacerdotij accepit gratiam singularem ad administrationem huius Sacramenti, & consequenter ad observantiam Secreti, quæ est non modica huius Sacramenti obligatio: Interpres autem nullam similem gratiam accepit, sed in Jure pure naturali remanet. De quibus latius Tit. de Sigillo.

DUBIUM VI.

An necessarium sit explicare in Confessione peccata quorum notitiam habet Confessarius extra Sacramentum, aut alias etiam habuit per Confessionem invalide factam.

Ratio dubitandi est: Quia ad hoc tantum ex sua prima institutione, Confessio necessaria est ut per eam Confessarius notitiam peccatorum acquirat; supponitur autem priùs acquisivisse.

Respondeo primo, Etsi Confessarius prius extra Sacramentum peccatorum Pœnitentis notitiam habuerit, aut per alias Confessiones invalidas, Pœnitentem si absolvi velit, teneri Confiteri etiam illa peccata, quorum (ut supponitur) Confessarius notitiam habet. *Ratio est*: Quia Confessio Sacramentalis peccatorum, non est nuda narratio ad præstandam notitiam, sed est accusatio dolorosa sive narratio qua se accusat peccator, & ostendit seu manifestat se contra se de offensa Dei accusare, in ordine ut Absolutionem obtineat Ad quod notitia prior in Confessario est impertinens aut saltem insufficiens. Quandò enim Confessarius novit peccata, aut quia vidit, aut quia narrari extra Confessionem audivit, non aliter novit, quam quicumque Laicus aut Fœmina, qui similiter vidisset aut audivisset: Et si novit ex Confessionibus invalide factis, insufficienter novit, cum in ordine ad Absolutionem non noverit, quæ ob defectū valide dari non poterat, unde non novit

novit ut est vera & dolorosa accusatio verè Pœnitentis in ordine ad Absolutionem obtinendam, qualis debet esse Confessio Sacramentalis.

Respondeo secundo, Supposita notitia Sacerdotis aut extra Sacramentum, aut in Sacramento invalido: non tenetur Pœnitens ad longum peccata sua enarrare, sed paucis verbis sub compendio potest simplicem notitiam naturalem sive acquisitam, peccatorum suorum(quæ supponitur in Confessario præfuisse) Sacramentalem facere, utpotè, verè & dolorosè se accusando in Sacramento de ijs quæ Sacerdos novit Pœnitentem commisisse, & sub quibus modis novit: virtualiter & velut in compendio illa exprimendo, & si quæ novit, superaddendo. *Explico*: Sacerdos Confessarius interfuit ebrietatibus, commessationibus, impudicitijs, litigijs sui Pœnitentis: Pœnitens igitur quando in confessione pervenit ad ista peccata, potest in compēdio dicere: Confiteor & me accuso de ebrietatibus, commessationibus, impudicitijs, &c. quæ tu vidisti me committere, juxta modos & circumstantias tibi notas, superaddendo tamen explicitè si quæ subterfugerant, aut putat subterfugisse notitiam Confessarij.

Item: Pœnitens multo tempore confessus uni eidemque Confessario, confessiones fecit invalidas: movetur autem ut eidem tandem Confessionem generalem validam omnium peccatorum quæ à prima invalida Confessione commisit, faciat: Si Confessarius adhuc aliquo modo recordetur peccatorum & status sui Pœnitentis, sufficit Pœnitenti in compendio dicere: Accuso me de omnibus peccatis quæ tibi sum confessus à prima Confessione invalida tali tempore tibi facta usque ad hanc; superaddendo alia quæ fortè confessus non fuit, & transgressiones factas in tot invalidis Confessionibus, &c.

Dixi (*si Confessarius aliquo modo recordetur peccatorum & status Pœnitentis*. Si enim Confessarius non recordetur, tenebitur Pœnitens sigillatim omnia sua peccata explicare, & repetere. Adverte tamen in casu allato, non esse necessarium ut Confessarius singulariter omniū in individuo peccatorum recordetur, sicut nec cum in ordinarijs Confessionibus absolvit, ut suo loco diximus.

Annotatio super praxi superioris Doctrinæ.

IN duobus tamen præcedentibus casibus quoad praxim, nota Primum modum non esse practicandū, nisi ubi multum rationabilis causa vel necessitas urgeret, nimirū, quando Pœnitens aut ob imperitiam, aut ob angustias temporis, turbationem, aut similes occasiones non posset explicitè sua peccata omnia confiteri. *Ratio est*: Quia prætorquam quod ob priorem notitiam extra sacramentalem iste modus tollat humilem verecundiam quæ in Pœnitente requiritur, periculum est etiam ne tollat dolorosam illam accusationem & detestationem peccati ob familiam illam notitiam externam quam Confessarius habet, sive quia præsens fuit, sive quod interdum complex. Ubi tamen vel necessitas, vel causa multum notabilis, vel imperitia, vel alia similis causa urgeret (supposito debito dolore & vera accusatione) Confessio sic facta valida est, & sufficiens ad Absolutionem obtinendam.

Secundus verò modus frequentior est, & Confessarijs ac Pœnitentibus in praxi suadendus, maximè ubi scrupulosæ, anxiæ, timidæ reperiuntur conscientiæ, & quæ explicata Confessione magis turbantur, quam juvantur. Sufficit enim quod Confessarius suppleat in illis quod defectuosum fuit: & alias labor in confitendo, etsi invalidè, æstimari debet; hicque(ut supponitur) & Pœnitens virtualiter integram Confessionem facit, & Confessarius sufficientem peccatorum notitiam habet, quæ accusationi Sacramentali subjiciuntur.

Dubium. VII.

Quid agendum Confessario cum eo qui in infirmitatem vel phrenesim lapsus, obmutuit, signa tamen Contritionis vel concupitæ Confessionis, in præsentia Sacerdotis ostendit, vel saltem coram aliquo vel aliquibus demonstravit antequam Confessarius adveniret?

RESPONDEO primo, Si pœnitens subitò per infirmitatem, vulnerationem phrenesim aut modis similibus obmutescens, signa certa alicujus certi peccati in præsentia Sacerdotis ostendat, quibus se desiderare Cōfessionem innuat, absolutè & absque ulla conditione absolvendus est. *Ratio est*: Quia hic est certa materia, tum remota, ut peccatum quod signo exprimit, tum proxima ut actus desideratæ Confessionis & Pœnitentiæ quos modo exhibet; ergò illum Sacerdos absolvere tenetur, vel ex justitia si sit Parochus aut Parochi curam gerens, vel ex obligatione charitatis in extrema hac necessitate qualiscumque Sacerdos fuerit.

Respondeo secundo, Si ut supra, obmutescens signa certa Contritionis & desideratæ Confessionis, ostendat in præsentia Sacerdotis, etsi signis nullum particulare seu singulare peccatū, aut species peccati exprimere possit, absolutè similiter & absque conditione absolvendus est. *Ratio est*: Quia hic assignatur materia proxima certa, nimirum actus præsentis doloris & desideratæ Con-

fessionis, qui sine dubio supponitur esse de peccatis in individuo, etsi illa ob infirmitatē & statum præsentem exprimere non possit: nullum enim datur in homine peccatum in genere, quod à parte rei individuum non sit & singulare non supponat.

Dices: Confessarius per hanc Confessionem sive signa Confessionis, non acquirit plùs notitiæ, quam ante: De omni enim homine scitur aliquod in singulari peccatum, quo peccator constituitur.

Respondeo negando assumptum: Duo enim per Confessionem Pœnitentis Absolutionem postulantis Sacerdoti innuuntur: Primum, Quod Pœnitens sit peccator, & ad confessionis perfectionem spectat innuere quod sit in tali specie & individuis actibus peccator, ut fornicator, homicida, &c. Secundum, Ut se accuset cum dolore & detestatione de eo quod sit peccator, & de peccatis in specie & numero commissis.

Dico itaque, utrumque esse de præcepto & ratione perfectæ Confessionis Sacramentalis, ubi adest possibilitas, ubi tamen possibilitas deest, ratione tam necessarij Sacramenti ad remissionem peccatorum sufficere, si Pœnitens quantum potest, se de peccato accuset in ordine ad absolutionem, etsi non possit illud plene exprimere. Novam verò notitiam ex hujusmodi Confessione acquirit Confessarius in ordine ad Absolutionem, quam priùs non habebat: Quia etsi cognosceret prius hominem peccatorem, non tamen cognoscebat in actu secundo, de peccatis dolentem, & de peccatis ut hic & nunc potest, se accusantem, in quibus materia proxima hujus Sacramenti consistit.

Respondeo tertio ad principale dubium: Si ut supra, obmutescens antequam Sacerdos adveniret coram aliquo vel aliquibus signa manifesta doloris & postulatæ Confessionis ostendit, de quibus qui viderunt testimonium reddant, etsi in præsentia Sacerdotis nulla signa edat, absolvendus est. *Ratio est*. Quia testes vel Testis præsens, signorum manifestorum subeunt locum & virtutem Interpretis, ob præsentia signa quæ edidit Pœnitens, in cuius etiam persona & nomine Sacerdoti aperiuntur: Non enim tantum testantur ipsum signa manifesta Pœnitentiæ & postulatæ Confessionis dedisse, sed etiam quantum moraliter cognoscere possumus, illam Voluntatem non revocasse. *Sicuti*: Si dum aliquis Pœnitens confitetur peccata sua Sacerdoti, in deliquium incidat & totaliter obmutescat, Sacerdos interim vinum quærat ut ei subveniat, postea rediēs potest illum absolvere absolutè: moraliter enim supponere debet sic obmutescentes priores actus non revocasse: Ita in hoc casu cum in præsentia Testium quis Confessionem verbis vel signis petijt, & signa Contritionis ostendit, non tantum censetur in persona Testis quasi per interpretem præsentialiter confiteri, sed etiam cum Sacerdos advenit, etsi nullum amplius signum ostendat, censetur Voluntatem per signa priùs testatam, non revocasse: sed in eadem permanere, eoque absolvendus erit. Nec ad hoc propositum aliquid facit Decretum Clementis VIII. de Confessione per internuntium sive per litteras, & absolutione missa ad absentem, in quo aliqui scrupulizant. Hæc enim Confessio est verè præsentis, & absolutio ad præsentem dirigitur, & ut dixi, Testis præsens non tam est Internuntius ad absentem, quam Interpres præsentis, respectu Confessarij etiam hic & nunc similiter præsentis ei cuius Interpres est.

Respondeo quarto, Si Pœnitens ita obmutescat & privetur operatione sensuum, ut aut nulla signa edat, aut admodum incerta & dubia, sub conditione absolvendus erit. Et quidem quandò aliqua signa edit etsi incerta & dubia, res magis clara est & manifesta ex Doctrina communi de Sacramentis ad salutem necessarijs: In quibus, in casu necessitatis, licet pronuntiare formam super materia dubia, quando certior non habetur: sic enim licet uti lixivio, brodio carnis, aut hujusmodi dubia materia in Baptismo, si aqua pura naturalis non habeatur ad manum, concepta saltem conditione mentali. Cum igitur Sacramentum Pænitentiæ sit unum ex maximè necessarijs ad salutem, licebit Confessario circa obmutescentem vel operatione sensuum privatum, qui dubia signa & consequenter dubiam materiam exhibet, saltem conditione vel explicita vel mente concepta pronuntiare formam Absolutionis, nimirùm: *Si dispositus est*, &c. Hoc enim casu Sacramento non fit irreverentia, & alias charitas in tali necessitate urget, ut omnimodo possibili etiam conditionato, utamur pro animæ salute. Neque enim est potior ratio cur adhiberi possit materia dubia in Baptismo, ubi certa deest, quam in Sacramento Pœnitentiæ quod pro peccatis post Baptismum commissis, æque necessarium est in rē vel in voto, sicut Baptismus.

De obmutescente qui nullum signum potest ostendere.

Major vero difficultas est de eo, qui ita obmutescit & omni sensuum motu orbatur, & nullum plane appareat signum, vel nutus quo etiam dubiè apprehendere possit Confessarius ipsum de peccatis pœnitere, vel Confessionem postulare aut desiderare. Et quidem non desunt, qui asserant quemcumque Catholicum qui infirmitate subita ita opprimitur, & motu privatur, ut nulla signa det aut dare possit suæ Pœnitentiæ aut Voluntatis confitendi, posse absolutè absolvi, hoc quidem fundamento: Quià talis ex communi intelligentia peccator est, & in tali necessitate supponi debet tum confiteri velle, tum absolvi, eò quod

vide-

videlicet suam salutem absque dubio desideret: innituntur vero Auctores huius sententiæ, auctoritati S. August. lib. 1. de Adulterinis Conjugijs cap. 27 & 28. Ubi cum docuit Catechumenos quamvis vitæ malæ & adulterinis conjugijs implexos: *Si morbo aut casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen Baptismum vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis quod eorum in fide Christiana iam nota Voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum Voluntas nulla adhuc patuit.* Cuius causam addit cap. 28 *Vt etiam* (inquit) *hoc peccatum* (adulterini scilicet coniugij) *cum cæteris lavacro Regenerationis abluantur. Quis enim novit verum fort asti adulterina catun illecebra vsque ad Baptismũ statuerant detinere.* Cùm (inquã) ità de Baptismo Catechumenorũ conclusisset, de Absolutione sic cõcludit. *Quæ autẽ* (ait) *Baptismatis, eadẽ Reconciliationis est causa, si forte pœnitentẽ finienda vitæ periculũ præoccupauerit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Hæc S. August. In quibus verbis Catechumenum obmutescentem æquiparat Pœnitẽti obmutescenti, & vult, vt sicut Catechumeno obmutescenti nec potenti signa dare, debet conferri Baptismus, ità & Pœnitenti obmutescenti, nec potenti dare signa suæ Cõtritionis, vel pœnitentiæ, sive postulatæ Reconciliationis, Absolutio. Verum sic absolutè explicata istorum assertio, non caret gravissimis difficultatibus ob quas omninò rejiciendam censeo primò: Nulla hic apparet materia in ordine ad hoc Sacramentum, sive ad Absolutionem, etsi enim sciam esse peccatorem & consequenter peccata habere: peccatum tamen non est materia huius Sacramenti nisi in quantum per motum aliquem Pœnitentis & accusationem, ad illud referatur, ut sæpe dictum est. Secundò: Unde mihi constat sic obmutescentem cogitare de sua salute vel peccatis, cum non rarò accidat S. August. teste, *Vt iusto Dei iudicio peccator in morte obliviscatur sui, qui in vita sua oblitus est Dei.* Quinimò sæpe videmus Catholicum etiam plenis sensibus utentem, in morte ad Confessionem peccatorum vix, imo nullatenus aliquando cogi posse. Tertio: Unde mihi constat illum sensuum stuporem, ad Rationis etiam turbationem vel privationem aliquam, non pervenisse. Tandem qua certitudine pronuntiare audebo formam Absolutionis certam & absolutam, in materia omni ex parte incerta.

S. Aug l. 1. de Adult. Conjug c. 27. & 28.

S. August.

S. August.

Nec S. Augustinus suprà, si benè expenditur, istam assertionem docet: Non enim quemlibet fidelem peccatorem in hoc casu respectu Reconciliationis per Pœnitentiam æquiparat Catechumeno respectu Baptismi, sed tantum Fidelem peccatorem, Pœnitentem, seu Pœnitentiam agentem: sic enim loquitur: *Si forte Pœnitentem finienda vitæ periculum præoccupaverit.* Sensus itaque S. August est Catechumenos etiam pravæ vitæ, & adulterinis coniugijs implexos, si morbo opprimantur ut petere Baptisma non possint, sine scrupulo baptizandos esse: Quia eo ipso quo in Catechumenorum numerum sua petitione sunt assumpti, censentur Baptismum petere, nemo enim fit Catechumenus, nisi ad suscipiendum suo tempore Baptismum, supponit autem etiam ipsos per internam pœnitentiam ad gratiam baptismalem dispositos, his verbis cap. 28. Si (inquit) *desperati* (nimirum de sanitate corporali) *intra se pœnitentes iacuerint.* Superaddit verò; *Non tantum Catechumenos, sed etiam Pœnitentes* utique qui Pœnitentias Canonum exercebant, vel in numero Pœnitentium erant, si contingat illos tempore Pœnitentiæ similiter opprimi, debere reconciliari sivè absolvi: Nimirum: Quia eo ipso quo Pœnitentias exercebant, censebantur Recõciliationem petere & Absolutionem à peccatis. Et in hoc verum est quod dicit S. August. *Quæ enim Baptismatis, eadem & Reconciliationis est causa*, nimirum, in Catechumeno respectu Baptismi quem censetur petere, & in Pœnitentiam agente respectu Reconciliationis sive Absolutionis à peccatis, ita ut utrique respectivè si morbo opprimantur (quamvis nec voce nec signis Baptismum aut Absolutionem petere possint) nec Baptismus Catechumeno, nec Absolutio Pœnitentiam agenti deneganda sit. Adverto tamen in utroque quandam supponi mentalem conditionem: Si, nimirum, sint dispositi, hoc enim in Baptismo Catechumenorum qui in peccatis, vivunt, supponit S. Augustinus: *Si* (inquit) *intra se Pœnitentes iacuerint.* Et de Reconciliatione similiter: *Si forte Pœnitentem facienda vitæ periculum præoccupaverit.* Undè sic Pœnitentiam agenti & obmutescenti, sivè oppresso, si hic & nunc ubi opprimitur vel paulo ante signa actualis Pœnitentiæ non dederit, judico omninò Absolutionem saltem sub conditione mente concepta, impertiendam esse. Cum enim ex parte materiæ hic & nunc nulla sit moralis certitudo, sed multa dubietas, non video quomodo certa omninò Absolutio dari possit.

S. August. Sup. c. 28

Sed ad primam partem hujus quartæ responsionis in favorem animarum revertamur in qua dixi: Quod, quandò peccator Catholicus ita opprimitur, ut nullum appareat signum Pœnitentiæ, aut desideratæ sivè postulatæ Confessionis, nihilominùs possit sub conditione absolvi, sivè absolvendum esse. Cui responsioni quamvis nonnulla superius dicta, videantur adversari, illam tamen sic declaro. Etsi namque in tali peccatore sic oppresso nullum mihi signum appareat, quod materiam Confessionis faciat mihi sensibiliter præsentem in ordine ad Absolutionem, nec mihi proinde

indecertò constet Peccatorem sic obmutescentem de peccatis aut salute cogitare; imò nec appareat eum ratione uti: Potest tamen fieri ut non tantum intus de peccatis doleat, confiterique desideret, sed etiam aliqua signa edat per se sensibilia, etsi mihi incognita, ut sunt suspiria, gemitus, aspirationes, oculorum fixi intuitus, aut alij in corpore motus, qui etsi doloris corporalis, aut naturæ patientis sint ordinariè signa, nihilominus ab ipso Peccatore quandoque ordinantur ut internæ Pœnitentiæ nutus. Unde absolvendo eum sub conditione, & muneri ac charitati in hac extrema necessitate satisfacio, & conditio omnem irreverentiam & defectum, qui subesse posset, tollit, & in anxietate tanta animam Deo commendo intentione communi Ministris Ecclesiæ, quæ ut supra dicebat S. August. *Nullum ex hac vita sine arrha sua pacis exire velle præsupponere debet.* Confirmor in hac ignotorum signorum declaratione eò quod mihi semel extremo periculo post Extremam Unctionem laboranti, & per omnia sensuum operatione destituto cōtigit: Sensibus omnibus destitutus eram excepto auditu, Ratione autem & Judicio firmo & recto intus utebar, ita ut cum me deficere & ex medico foris loquente, & ipsius naturæ debilitate perciperem, firmiter me Dei misericordiæ commendabam & pium affectum aliquem foris conabar præstare: Unde mirum est, si forte gemitu aliquo, vel respiratione, vel doloris nutu illud non ostenderim, quamvis adstantes illa non notarent, nisi forte ut erant signa naturæ patientis. Ab illo tempore in animum induxi, quod si quovis modo aliquem Catholicum sic oppressum reperirem, nec signum aliquod mihi intelligibile Pœnitentiæ dare posset, nihilominus sub conditione absolverem, eò quod fortè aliquod signum Pœnitētiæ edat, etsi mihi incognitum Cum (ut dixi) hoc sit charitatis & conditio omnem defectum auferat qui in administratione Sacramenti contingere posset. Hæc latius deduxi ob scrupulos quos nonnulli movent, & ut fundamenta modorum aliquorum qui in praxi inter doctos & prudentes usurpantur, melius intelligantur Porrò similes praxes antiquitus in Ecclesia usurpatas fuisse constat ex Concil. Carthaginensi III. cap. 23. Ubi mandat ut *ægrotantes si pro se respondere nō possunt, cum voluntatis eorum testimoniū sui dixerint, baptizentur. Similiter & de Pœnitentibus agendum est* Et in Concil. Arausicano I. cap. 12 *Subito (ait) obmutescens prout statutum est baptizari aut Pœnitentiam accipere potest, si Voluntatis præteritæ testimoniū aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu.*

S. August. sup.

Antiqua praxis absolvendi obmutescētes vel Sensibus privatos.

Concil. Carthag 3. cap. 24.

Concil. Araus. 1. cap. 12.

Concil. Carthag. 4. cap. 76.

Et in Carthaginensi IV. cap. 76. *Is qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia,* Et Leo I. Epist. 91. ad Theodorum loquens de infirmis obmutescentibus: *Si* (inquit) *aliquā vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant* (nimirum Reconciliationis præsidium) *sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eius Fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & Pœnitentiæ & Reconciliationis beneficium consequantur.* Alia similia multa occurrunt.

Leo I. ep. 91.

Pro quibus tamen omnibus universaliter advertendum est, eum qui per signa aut nutus aut alias absque signis sub conditione absolutus fuerit; si supervivat & ei reddatur sensuum facultas, ut clarius sua peccata singulariter explicare possit, teneri postea explicare Quod & indicant Capita & Canones Conciliorum.

QUÆSTIO IV.

Quæ sint qualitates sive conditiones ad perfectam peccatorum Confessionem in hoc judicio Sacramentali requisitæ?

CONCLUSIO UNICA.

T*Res sunt potissimum conditiones perfectæ confessionis Sacramentalis*, nimirum *ut sit Dolorosa Vera. & Integra.*

Dolorosa dicitur, quæ cum accusatione & dolore de peccatis fit, ad excludendam historicam vel qualemcumque narrationem peccatorum, quâ homo simpliciter sua peccata narrat absque interna sui accusatione: ut cum quis confitetur ut se excuset, vel ut informet Confessarium contra alium, aut ad jactantiam, Confessarij seductionem, aut inductionem ad malum, aut simpliciter ad solum consilium, aut alios hujusmodi fines. Unde sub *dolorosa* comprehenduntur conditiones ab alijs relatæ, nimirum quod sit: *Humilis, Libens, Discreta, Verecunda, Lachrymabilis, Fortis, & Accusans & sic parere parata.* Qui enim dolorosè confitetur, censetur se humiliter, libenter, discretè, verecundè, lachrymabiliter & fortiter cum animi præparatione ad satisfaciendum, accusare. Hæc enim omnia in vero dolore de peccatis continentur. Et nos superiùs agentes de Contritione & Attritione, generaliter docuimus ad veram Contritionem requiri dolorem, qui omne peccatum sive Voluntatem peccandi moraliter, excludat, cum proposito satisfaciendi & servandi omnia mandata. Unde qui ad jactantiam & glorificationem de peccatis, vel ad pravum finem, aut contra Voluntatem, aut sine proposito vero satisfaciendi vel vitam emendandi confiteretur, certum est quod invalidè cōfiteretur, non tam defectu narrationis

Dolorosa Confessio quæ?

pec-

peccatorum, quam defectu accusationis & doloris qui necessario Confessioni conjungi debet.

Vera. *Vera Confessio* dicitur, quæ nihil falsitatis, vel simulationis, sive deceptionis annexum habet.

Integra. *Integra* dicitur, Quæ de omnibus peccatis mortalibus, & eorum necessarijs circumstantijs est.

Omissâ verò, *dolorosâ*, de qua satis superque in Titulo Contritione actum est: Ad duas postremas qualitates, nimirum, *Vera* & *Integra*, sub particularibus Titulis descendo.



TITVLVS V.

De Veritate ad Confessionem requisita.

QUÆSTIO I.

Quot modis contingat falsitatem committi in Confessione Sacramentali?

Conclusio Vnica.

Falsitate in Confessione. T*Tribus ferè modis contingit falsitatem committi in Confessione Sacramentali.* Nimirùm: primò, Quando quis scienter in materia Confessionis affirmat quod falsum est: aut negat quod verum est: Secundò, Quando scienter plura peccata confitetur, quam ipse fecit, aut minorem numerum exprimit, quam ipse commisit. Tertio, Quando dubia ut certa, aut econtrà certa ut dubia confitetur.

QUÆSTIO II.

An omnis falsitas in Confessione commissa sit peccatum mortale aut invalidet Confessionem?

Conclusio I.

Q*Vi scienter & à proposito committit mendacium vel falsitatem in materia gravi & necessaria confessionis Sacramentalis, peccat mortaliter, & confessionem invalidam facit.* Ratio clara est ex ipsis terminis: Ubi enim mendacium vel falsitas in essentialibus & necessarijs Sacramẽti intervenit, aliqua pars essentialis Sacramẽti destruitur, destructa autem parte essentiali: Sacramentum subsistere nõ potest, qui verò sua culpa est causa invaliditatis Sacramenti, mortaliter peccat, ob gravem irreverentiam & injuriam quam Sacramento facit.

Dixi (*qui scienter & à proposito*) qui enim ignorantia aut inadvertentia inculpabili falsitatem vel mendacium committeret, mortaliter non peccaret, communi sensu, tum quod ignorantia aut inadvertentia inculpabilis à peccato mortali in omni materia excuset, tum quod mendacium sic ignoranter aut inadvertenter prolatum, materiale tantum sit, non formale.

Dixi (*in materia gravi vel necessaria Confessionis Sacramentalis*) Censetur autem materia gravis quæ extra Sacramentum est peccatum mortale, ut in mendacio pernicioso, vel falsitate quæ gravem injuriam Tertio facit: Censetur autem materia Confessioni vel Sacramento necessaria, quæ ad essentiam vel necessariò requisitam integritatem ejus pertinet.

Mendaciũ perniciosum in Sacramento. *Ex quibus infero primo*: Peccare mortaliter, etiam in materia quæ alias per se ad Sacramentum non pertinet, eum qui in Confessione mendacium perniciosum diceret. *Ex. g.* Si quis interrogatus à Confessario de aliquo facto Tertij quod ad hanc Confessionem non spectat, illi falsum crimen imponeret, ut frequenter contingit in mulieribus, imò & in viris qui in Confessione sive ad solatium suum, sive ad excusationem litigiorum suorum & causarum, ac inimicitiarum, &c. quas contra proximum habent, gravissima interdum de proximo effutiunt, etiam ad rem nullatenus spectantia, multam tamen injuriam proximo ex natura sua inferentia. Nec desunt qui ut inimicos suos prodant, à proposito veniunt ut detrahant: Quamvis, ut dixi, illa non pertineant ad materiam Confessionis per se. *Ratio est*: Quia cum illa extra Confessionem peccata, mortalia sint, ratione prætensæ aut potiùs fictæ Confessionis non modò non diminuuntur, sed gravissimum etiam augmentum sumunt, tum ob notabilem injuriam quã faciunt Sacramento, quo abutuntur ad suas detractiones: tum quia ratione novi peccati mortalis quod committunt, Confessionem irritam & invalidam reddunt. Et hæ quidem circumstantiæ confitendæ sunt, quia speciem mutant & detractioni Sacrilegium addunt. Videant autem *Nota.* Confessarij prurientes auribus, qui aliquandò occasionem suis curiosis inquisitionibus dant casibus similibus, dum de rebus domesticis ad Confessionem non pertinentibus, interrogant; aut similes fabulatrices non impediunt, in quæ pericula se & Pœnitentes præcipitent.

Quid de confitente peccatum quod nõ fecit. *Infero secundo*: Eum qui deliberatè aliquod peccatum mortale confitetur quod non fecit, peccare mortaliter & invalidam facere Confessionem. *Ratio est*: Quia præter injuriam quam sibi facit dum seipsum de falso crimine infamat apud Sacerdotem, gravem etiam injuriam facit Sacramento & Deo cui in persona Sacerdotis mentitur, & in re gravi Judicium Sacramentale alterat, quocumque tandem fine id præstet.

Dixi (*deliberatè*) Propter scrupulosos, anxios, & qui turbatæ sunt Conscientiæ & qui frequenter se accusant de ijs in quæ

nulla-

nullatenus consenserunt, quod attribuendum est nimiæ turbationi.

Quid de negante peccatum quod fecit. *Infero tertio*: Eum qui in materia huic Confessioni quam facit necessaria, negat scienter se aliquid fecisse quod tamen fecit, mortaliter peccare, & Sacramentum invalidum reddere. Ratio sæpe dicta est, quia ut, supponitur, in materia necessaria deficit, & Judicium in re gravi variat, ac Sacramento magnam irreverentiam irrogat.

Dixi (*in materia huic Confessioni quam facit necessaria*) (tum ob venialia peccata ad quæ confitenda nullatenus tenetur, tum ob peccata mortalia alias legitimè confessa, quæ possit Pœnitens interdum prudenter negare, nisi talem connexionem cum altero peccato necessariò confitendo haberent, ut illud absque huiusmodi peccati venialis aut aliàs confessi mortalis Confessione, benè exprimi non posset: Quod ultimum sic *explico*: Confitetur quis restitutionem injustè ablatorum non fecisse, si interrogetur à Sacerdote de furto præcedenti & qualitate eius, dicere tenebitur quamvis prius confessus fuerit, quia nisi dicat, Confessarius benè intelligere non potest qualitatem & debitū illius restitutionis cuius faciendæ est in mora. Contingit etiam Pœnitentem posse prudenter negare peccatum mortale in hac Confessione, quia ab integritate materiali Confessionis ratione illius peccati, hic & nunc excusatur, utpote, quod sit in præjudicium famæ Tertij, aut quod sine graviori damno non potest huic Confessario explicari, prout alias dictum est & adhuc infra dicemus agentes de Confessionis integritate. Ratio autem horum omnium est: Quia de illis juridice & legitimè non interrogatur: De venialibus quidem, aut alias ritè confessis, quia necessaria materia non sunt, de illo autem peccato quod respectu hujus Confessionis vel Confessarij in grave damnum Tertij vergit, quia rationabiliter & licitè explicari non potest.

Quid de confitente dubia ut certa & econtra. *Infero quarto*: Eum qui quod novit esse dubium, confitetur ut certum, & econtra quod novit certum, confitetur ut dubium, falsitatem committere & in materia necessaria Sacramenti, peccare mortaliter, ac invalidum reddere Sacramentum, *Ratio est*: Quia judicium in re gravi alterat & mendacium committit, cum etsi confiteatur quod fecit, non confitetur tamen prout, sive quo modo fecit; cum certitudo & incertitudo actus, maxime in ratione culpæ sive peccati, existimanda veniant.

Quid de Mendacio levi in Cōfessione. Dixi iterum (*quod novit*) Frequenter enim fit ut quis arbitretur certum quod à parte rei est dubium, aut econtra dubium quod à parte rei est certum, tunc vero ratione scientiæ vel ignorantiæ à prudente Confessario æstimanda sunt, nec facile res judicio Pœnitentis relinquenda ob animi turbationem. Examinari itaque debet Pœnitens de ratione scientiæ vel conscientiæ, & judicium ab ipso Confessario est ferendum super certitudine vel dubietate facti vel malitiæ eius. In his vero omnibus seriò admonendi sunt Pœnitentes, ne sub titulo & prætextu majoris humilitatis, vel ferventioris Pœnitentiæ sive Conscientiæ magis aperiendæ plura dicant, quam à parte rei sint, & (ut ajunt) ne ad majorem securitatem se accusent, & culpam agnoscant ubi culpa non est. In hoc enim Sacramento requiritur sincera & nuda veritas ex qua verum judicium ferri possit de facto vel omissione. Abigenda verò prorsus est omnis cæremonialis exaggeratio etiamsi à corde humili videretur procedere.

CONCLVSIO II.

O*Mne mendacium falsitas in Confessione in materia levi, & non necessaria ad Sacramentum, peccatum tantum veniale est, nec irritum reddit Sacramentum, nisi sit materia tota huius Sacramenti sive confessionis.* Ratio prioris partis est: Quia sicut veniale per se non dissolvit amicitiam Dei, sic non videtur causare gravem irreverentiam, cum nil attingat eorum quæ Sacramento essentialia aut necessaria sunt: idcirco levis culpa judicatur, etsi tamen ob nonnullam Sacramenti irreverentiam gravior sit, quam mendacium extra Sacramentum commissum.

Dixi tamen (*nisi sit materia tota Sacramenti*) ubi enim Pœnitens non confiteretur aliud peccatum, quam illud super quo fundatur falsitas & mendacium, tunc peccaret mortaliter. *Ratio est*: Cum enim super materiam nullam, sive fictam & falsam postularet absolutionem, invalidum & irritum redderet Sacramentum, ac consequenter Sacrilegium in re gravi committeret.

QUÆSTIO III.

An in numero peccatorum mortalium explicando, quilibet excessus sit peccatum mortale.

RAtio dubitandi est: Quia in numero majori, minor numerus includitur, unde qui dicit se decies fornicationem commisisse, si tantum novies fornicatus fuerit, numerus ille continetur in decem, & falsitas illa nihil demit de veritate & integritate Cōfessionis. Aliud est de defectu; Qui enim scienter in numero peccatorum mortalium deficit, contra integritatem Confessionis peccat, & mutilum Sacramentum reddit, unde mortaliter peccare judicatur, qui peccatum unum aut plura mortalia tacet, quæ exprimere debebat.

Conclusio Unica.

De excessu deliberato. QUi ex *scientia & deliberatione plura peccata mortalia etiam intra eandem speciem, confitetur, quam commiserit, etsi tantum unum superaddat, mortaliter peccaret.*

Ratio sumenda est ex Quæstione præcedenti, Illatione secunda. Qui enim confitetur unum peccatum mortale quod non fecit, seipsum injustè infamat in re gravi, Deo mentitur in Tribunali Sacramentali, & judicium in re gravi alterat.

Dixi (*qui ex scientia & deliberatione*, &c.) Qui enim ex probabili & verisimili conjectura id faceret credens se toties peccatum mortale commisisse, à peccato excusaretur quia ex probabili conscientia procederet: Nec teneretur in sequenti Confessione, ubi errorem deprehendisset, excessum illum Confessario aperire: Quia ad rationem necessariam Sacramenti post Absolutionem amplius non pertinet, cum ab omnibus & solis peccatis quæ de facto commiserat, fuerit absolutus: Et error sive falsitas quæ supponitur intervenisse in numero, fuerit tantum materialis (cum ut adnotavi, Pœnitens tunc arbitraretur se toties, ut dixi, peccatum commisisse) nec sola, quæ inde sequitur infamatio apud Sacerdotem ob excessum solius numeri, videtur tanti momenti, ut pœnitens teneatur dictum suū retractare, cum sit jam per alios actus ejusdem speciei infamatus *Ad rationem dubitandi dico*: Culpam non provenire ex defectu integritatis, cum ut bene asseritur, minor numerus continetur in majori; sed oritur ex falsitate & mendacio in re gravi: Unum enim peccatum mortale in individuo per se sumptum, est gravis materia & graviter alterat judicium. Qui igitur scienter dicit se decies fornicatum esse, cum tantum novies fornicatus fuerit, mentitur & fallit in re gravi ad Sacramentum pertinente, cum decima fornicatio sit æquè peccatum mortale, ac cæteræ novem.

Dubium.

De particulis plus, & minus & qualiter illæ utendum. QUid igitur dicendum de ijs qui incertum numerum pro certo exprimunt addendo particulas *plus vel minus*? *Ex. g.* qui ita confitetur, Inebriatus sum decies plùs minùs. Et an particulæ *plus minus* defectum vel excessum in numero suppleant?

Respondeo, has particulas non facilè nec leviter assumendas aut permittendas, nisi concurrentibus sequentibus circumstantijs.

Prima. Quod Pœnitens circa numerum certum exprimendum examine debito præmisso, sit verè anxius & incertus, sive suspensus

Secunda. Quod ex judicio & examine probabiliter credat numerū quem exprimit, aliquo modo, & verisimiliter appropinquare numero certo peccatorum commissorum.

Tertia Quod de facto non sit gravis excessus aut defectus in numero expresso, respectu peccatorum mortalium commissorum, Æstimo autem non esse gravem excessum aut defectum, si in numero rationabili, uno tantum aut altero excedatur, aut deficiatur, imò & tribus in magno numero, ut quadraginta, quinquaginta, &c. Unde etsi postmodum quis advertat in numero sè uno aut altero excessisse, aut defecisse; non tenetur istum excessum aut defectum confiteri quia observatis superioribus conditionibus, moraliter in numero expresso continebantur. Qui enim dicit se decies vel vigesies *plus minus*; aliquod peccatum commisisse, ingerit Confessario moralem apprehensionem ex qua format judicium morale, quod numerus ille vel in uno aut altero deficiat, vel in uno aut altero excedat: Sicque ab omnibus, juxta hoc morale Judicium, absolvit.

Ex dictis *Infero primò*, Perperam agere Pœnitentes, qui absque judicio & examine debito cōsueverunt ferè ad singulos numeros particulas illas, *plus minus*, adhibere, sibi abblandientes quasi per hoc numerum omnium suppleant, quod tamen falsum est: Cum enim suppletio debeat esse moralis, debet ex judicio, & examine morali consurgere & adhiberi. *Nota*

Infero secundò, Si gravis sit excessus vel defectus, utpote, si in decem excederetur vel deficeretur in tribus aut quatuor, tunc esse illa in Confessione altera supplenda. *Ratio est*: Quia moraliter tantus excessus vel defectus in tam parvo numero non apprehenditur, & consequenter judicium in materia notabili, alterat. Unde monendi sunt Pœnitentes, ut debito examine primùm, verisimilem, aut verisimili proximum numerum sibi forment, antequam particulas illas *plus minus* addere possint. Sed de his adhuc infra, ubi agemus de modo peccata explicandi, quando numerus certus determinari non potest.



TITULUS VI.

De Confessionis integritate.

QUÆSTIO I.

Quotuplex sit integritas Confessionis?

Conclusio I.

DUplex assignatur Confessionis integritas, alia *Materialis*, alia *Formalis*.

Materialis integritas vocatur, quæ comprehendit singulariter omnia peccata mortalia necdum legitimè confessa. *Integritas materialis*

Integritas Formalis

Talis integritas in Confessionibus ordinarijs requiritur. *Formalis integritas est.* quæ etsi non comprehendat omnia peccata mortalia necdum legitimè confessa, comprehendit tamen ea quæ hic & nunc, juxta præsentes circumstantias tenetur, aut potest Pœnitens confiteri. Et hæc integritas reperitur in Confessionibus extraordinarijs, quæ fiunt tempore pestis, naufragij, imminentis pugnæ. *Item*, quando sine gravi periculo aut damno proprio, vel Tertij quis non potest omnia integrè confiteri, &c. de quibus suis locis est actum, & demum agendum erit.

CONCLUSIO II.

Triplex alia integritas.

TRiplex iterum notari potest integritas respectu peccatorum quæ Pœnitens confitetur: nimirum *Integritas in qualitate: Integritas in numero: Integritas in circumstantijs explicandis*

QUÆSTIO II.

An ad integritatem materialem necessariò explicanda sint omnia peccata mortalia quoad speciem.

Duplex species in peccatis attendenda.

DUplex hic species peccatorum attendi potest: Alia est *Species Physica*, quæ singulis actibus inest, quatenùs quædam entitates sunt, sive de genere Qualitatis sive de genere Actionis, vel Passionis, &c. Alia est *Species Moralis*, quæ inesse actui vel omissioni consideratur, quatenùs deformitatem habent in genere moris, utpotè, quia contra aliquam legem vel virtutem sunt.

CONCLUSIO I.

SPecies Physica vel quasi Physica peccatorum non sunt per se confitenda ad integritatem etiam materialem Confessionis. Ratio fundamentalis est: Quia entitates illæ quatenùs Physicæ, per se peccata non sunt, sed potiùs indifferentes ad bonitatem vel malitiā moralē: imò unus actus Physicus potest interdū continere plures speciē malitias morales, & econtra plures actus Physici diversi speciē, ad unum actum moralem sive ad unum speciē peccatum, ut plurimùm concurrere possunt & concurrunt. *Ex. g. quoad primum*, Titius uno actu Physico concupivit tres fœminas unam Virginem sive solutam, Maritatam alteram, tertiam Religiosam, hic unicus actus Physicus, tres includit malitias morales speciē distinctas, nimirùm Fornicationem, Adulterium, & Sacrilegium: *Exemplum de secundo*: Quis accessit ad mulierem non suam, & cum ea adulterium commisit, plures hic concurrunt actus, utpote, egressus est domo, intravit per fenestram, mulierem respexit, tetigit, incitavit, omnes illi actus speciē physicā distinguuntur, illi tamen ad Confessionis integritatem sunt impertinentes, quia unam moralem speciem malitiæ cōtrahunt in ipso actu adulterij, posito, nimirùm, quod morali continuatione fuerint ad finalem actionem ordinati, & non interrupti. Item dic de eo, qui venenosas herbas quæsivit, concoxit, distillavit, miscuit poculo, ut inimicum intoxicaret.

CONCLUSIO II.

Morales species peccatorum explicandæ.

OMnes species peccatorum morales, sunt necessariò in Confessione explicandæ ad integritatem materialem Confessionis. Ratio est: Quia hæ species potissimum peccatorem constituunt, & consequenter qualitatem malitiæ & status eius indicant: Qui est Confessionis Sacramentalis finis.

Exempla varia practica ad Confessionem.

Ex quo *infero*: Peccatorem qui mulierem non suam cognovit, debere confiteri: An Soluta, Maritata, Religiosa, Consanguinea, &c. fuerit? *Item*: An ipse sit voto simplici vel solemni Castitatis adstrictus, Maritatus, Consanguineus, vel affinis in gradibus prohibitis? Hæc enim diversas peccati species morales constituunt, utpotè, Fornicationem, Adulterium, Sacrilegium, Incestum, &c. *Item*: Non sufficit Peccatori dicere in Confessione: Ego habui concubitum contra naturam, explicandum enim est, An cum viro sive fœmina? An cum bestia? Alia est enim species Sodomiæ, quæ ordinariè accipitur pro concubitu vel actu contra naturam cum animali rationali: Alia quæ accipitur pro concubitu vel actu cum animali irrationali, quæ vocatur Bestialitas, quamvis non sit necessarium explicare cum qua bestia, quia etsi esset alia species physica in actibus cum bestijs diversæ speciei, unica tamen est species malitiæ moralis quæ vocatur Bestialitas.

Vide ad intelligendas differentias specificas peccatorum, quæ diximus *Tract. 3. toto Tit. 3. De gravitate & malitia peccatorum mortalium, &c.* Et *toto Tit. 4. De unitate ac distinctione specifica ac numerica peccatorum.*

QUÆSTIO III.

An ad integritatem materialem, necessariò explicanda sint omnia peccata mortalia, quoad numerum seu unitates numericas?

CONCLUSIO UNICA.

Numerus peccatorū mortalium explicandus.

OMnia peccata mortalia in Confessione necessariò quoad numerum, sunt explicanda, si rationabiliter, facto morali & diligenti examine, eorum Pœnitens recordari potest.

Ratio fundamentalis iterum petenda est ex ratione Judicij: Non enim idem judicium est ejus, qui decies fornicatus est, aut

qui

qui decem homines occidit, & eius qui tantum semel fornicatus est, vel unum tantum hominem occidit. Ista igitur numeri multiplicatio vel diminutio, sicut notabiliter variat judicium Sacerdotis, sic notabiliter multiplicat vel diminuit malitiam Peccatoris. Et hæc Conclusio est diffinita in *Concil. Florent. in Decreto Eugenij*, & in *Trident. sess. 14. cap.* 5. Ubi & ratio Conclusionis expenditur. *Constat* (inquit) *Sacerdotes judicium incognitâ causâ exercere non potuisse, neque æquitatem quidē illos in pœnis injungendis, servare potuisse si in genere dumtaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent* Hæc ibi notanda est particula, *sigillatim*, quæ numericā explicationem postulat. Et Can. 7. *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium non esse iure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, &c. anathema sit.*

Concil. Trid. sess. 14. c. 5.

Idem Can. 7.

Dixi (*si rationabiliter, facto morali & diligenti examine, eorum Pœnitens recordari potest*) si enim aliquotum singulariter quoad numerū recordari non potest, inter invincibiliter seu inculpabiliter oblita referenda sunt, ad quæ confitenda hic & nunc, stante oblivione, homo non tenetur.

Dubia Incidentalia.

DUBIUM I.

Quanta diligentia adhibenda sit in examine peccatorum, ad hoc ut oblivio censeatur inculpabilis?

Qualis diligentia in examine requiratur

Respondeo, Ea diligentia adhibenda est; quæ moraliter & communiter in re seria ad alicuius memoriam revocandam adhiberi solet. Dico, *moraliter & communiter*, Moraliter quidem, non enim strictissimam diligentiam adhiberi necesse est, utpote, peccata scribendo, notando, &c. Sed sufficit ut reminiscentia moraliter seria quis utatur: undè & addidi (*communiter*) qua, nimirùm, nō tantum sapientes & accurati illi rerum æstimationes utuntur, sed qua homo, etsi alias fragilis & obliviosus, uti in seria consuevit. Unde attendendus est status Pœnitentis & tempus quod à præterita Pœnitentia effluxit: Minus enim diligentiæ requiritur in homine Deum timente, qui frequenter, utpote, singulis hebdomatibus aut quindenis cōfitetur, quam in ijs qui omnibus occasionibus peccandi exponuntur, aut ad plures menses imò ad annum Confessionem differunt. Diligentia itaque moraliter expendenda est iuxta personarum qualitatem, modum vivendi, tempus quo in peccatis fuerunt, &c. Quæ omnia prudentiæ boni viri relinquenda sunt.

Dubium II.

Quid agendum Peccatori qui numerum Peccatorum mortalium certo explicare non potest?

Respondeo, Duos modos illi restare ut debito satisfaciat, & peccata sua debitè exprimat.

Modi explicandi numerum peccatorū.

Prior est: ut ubi non potest certum numerum exprimere, exprimat saltem verisimilem, & qui magis ad certum numerum approximare censeatur, addendo *plus vel minus*, super quo superiori Titulo satis Pœnitentes monuimus, ut non quasi divinando, aut in genere numerum quemcumque etiam majorem sumendo, confiteantur, sed prudenti æstimatione & reminiscentia expendant, quis verò numerus verisimilior à parte rei censeatur, vide ibidem dicta ne toties eadem repetamus.

Secundus modus explicandi peccata.

Posterior modus est: ut cum nec certus, nec verisimilis aliquis numerus peccatorum colligi potest: aperiat pœnitens candidè in qualibet specie peccatorum statum suum, utpotè inclinationes pravas, consuetudines, modos, & frequentias lapsus, durationem temporis, qua in peccatorum commissione, complacentia, vel voluntate permanserit, aut permanere solet, incentiva occurrentia, &c. Ex his enim prudens Confessarius statum & malitiam Peccatoris, meliùs & firmiùs cognoscet, quam ex numero verisimili, quem ab imprudēte, & parum seriò peccata sua perpendente frequenter magis extorquemus, quam bene perpensum accipimus.

Doctrina singularis pro Confessarijs Rusticorum & aliorum qui parvam curam suæ salutis gesserunt.

Qualiter se gerent Cōfessarius cum Rusticis quoad expressionē numeri.

Unde Confessarij Rusticorum & aliorum, qui diutissimè in peccatis perdurantes, vix ullam curam suæ salutis habuerunt, securiùs ad hunc modum posteriorem attendere debent, ubi certius Pœnitentibus numerus peccatorum non occurrit: Certiùs enim in notitiam status peccatoris pervenient examinando illius modum ordinarium vivendi in genere, cum inclinationibus, conversationibus, consuetudinibus, quam Pœnitentem torquendo super expressione numeri, quæ talibus est impossibilis: Si quid enim ad importunitatem Confessarii dicunt, illud divinando absque judicio ullo, & verisimilitudine dicunt; ut qui ordinariè dicere solent, *feci plus centies, plus millies*, Quis enim credat illos numerum talem parvo tempore quo se examinarunt, potuisse memoria percurrere? Id sanè non sic exprimunt, nisi quando vident se numerum comprehendere non posse; tunc enim ut se à vexatione eximant, credunt se bene facere, si quem-

DUBIUM V.

An quando idioma ignotum est Confessario, possit aut teneatur Pœnitens per Interpretem confiteri?

R*Espondeo secundo*, Nullo Jure divino vel humano, tenetur peccator præcepto Confessionis per Interpretem faciendæ. *Ratio est*: Quia nullum est præceptum de Confessione publica facienda: Confessio autem quæ per Interpretem fit, vere ea natura sua publica est, etsi ea probitate Interpretis jure secreti naturalis, maneat occulta: Neque enim credo jure præcisò Sacramenti Interpretem teneri ad Secretum; cum Interpres quovis modo assumptus, non sit Minister Sacramenti, nec ad illum Sacramentum aliquo modo pertineat. Addo, hanc esse huius Sacramenti naturam, ut, quātum est ex se, inter Mysteria & Secreta soli Deo, & eius Ministris ad hoc legitime ordinatis, in interiori foro reservetur. Vide quæ diximus Tract. 1. Tit. 1. quæst. 14.

Dixi notanter (*præcepto Confessionis*) alio enim titulo Pœnitens obligari potest, ut in periculo sive articulo mortis, quandò dubitaret de sufficienti contritione vel peccatorum dolore. Illa enim obligatio non tam ex præcepto Confessionis, quam ex lege charitatis erga se ipsum proveniret quia quis in tali articulo existens tenetur, quo securiori modo potest, suam procurare salutem.

Respondeo secundo, Potest quis rationabili causâ vel necessitate urgente per Interpretem confiteri, & à Sacerdote huiusmodi Confessione per Interpretem factâ, valide absolvi. *Ratio sumenda est ex supradictis*: Quia pœnitens hoc modo dat veram notitiam suorum peccatorum Confessario in ordine ad obtinendam Absolutionem.

Dixi (*Per interpretem præsentem*) debet enim Interpres dare testimonium actuum præsentium pœnitentis, quod non potest nisi sit actu illi præsens, cum Pœnitens posit Voluntatem ac propositum mutare in absentia Interpretis Undè cum actus Pœnitentis mediante Interprete, ut hic & nunc exercetur aut durare censetur, innotescere debeat Confessario, sicut Interpres Confessario præsens esse debet, sic & Interpres Pœnitenti.

Dixi (*rationabili causa vel necessitate urgente*) Cùm enim hoc Tribunal ea natura sua sit secretum & secretò exerceri debeat, non potest quis pro, ut vult, & quandò vult, etiam quantùm est ex parte sua, hanc secreti conditionem transgredi: Confiteri autem per Interpretem est contra secretum huius fori & Tribunalis, in quo non censetur dispensare voluisse Legislator CHRISTUS, nisi in casu necessitatis, vel ubi multùm rationabilis urget causa, ut in articulo vel periculo mortis, aut quando Confessio multum afferet ère salutis, sive quando ea Confessione hic & nunc facta, dependeret salus Pœnitentis.

Dices: Cum quis per Interpretem confiteatur, Interpres æquali cum Sacerdote secreto tenetur: ergo Confessio est æquè secreta sive per Interpretem fiat, sive absque Interprete. *Resp. negando assumptum*. Cum enim Interpres per se non pertineat, imò nec concurrat ad Sacramentum, sed tantùm indirectè & ut est quasi vox Pœnitentis, Jure Sacramenti ad Secretum non tenetur, sed dumtaxat Jure Naturæ; tum ea justitia, quia in se suscipit obligationem tacendi eo ipso quo interpretari consentit; tum charitatis, quia vitia proximi tacere tenetur. *Adde* Confessionem per Interpretem varia incurrere pericula, quæ si fiat Confessario, non incurruntur: Confessarius enim in ordinatione sui Sacerdotii accepit gratiam singularem ad administrationem huius Sacramenti, & consequenter ad observantiam Secreti, quæ est non modica huius Sacramenti obligatio: Interpres autem nullam similem gratiam accepit, sed in Jure pure naturali remanet. De quibus latius Tit. de Sigillo.

DUBIUM VI.

An necessarium sit explicare in Confessione peccata quorum notitiam habet Confessarius extra Sacramentum, aut alias etiam habuit per Confessionem invalide factam.

R*Atio dubitandi est*: Quia ad hoc tantum ea sua prima institutione, Confessio necessaria est ut per eam Confessarius notitiam peccatorum acquirat; supponitur autem priùs acquisivisse.

Respondeo primo, Etsi Confessarius prius extra Sacramentum peccatorum Pœnitentis notitiam habuerit, aut per alias Confessiones invalidas, Pœnitentem si absolvi velit, teneri Confiteri etiam illa peccata, quorum (ut supponitur) Confessarius notitiam habet. *Ratio est*: Quia Confessio Sacramentalis peccatorum, non est nuda narratio ad præstandam notitiam, sed est accusatio dolorosa sive narratio qua se accusat peccator, & ostendit seu manifestat se contra se de offensa Dei accusare, in ordine ut Absolutionem obtineat Ad quod notitia prior in Confessario est impertinens aut saltem insufficiens. Quandò enim Confessarius novit peccata, aut quia vidit, aut quia narrari extra Confessionem audivit, non aliter novit, quam quicumque Laicus aut Fœmina, qui similiter vidisset aut audivisset: Et si novit ex Confessionibus invalide factis, insufficienter novit, cum in ordine ad Absolutionem non noverit, quæ ob defectū valide dari non poterat, unde non novit

novit ut eſt vera & doloroſa accuſatio verè Pœnitentis in ordine ad Abſolutionem obtinendam, qualis debet eſſe Confeſsio Sacramentalis.

Reſpondeo ſecundo, Suppoſita notitia Sacerdotis aut extra Sacramentum, aut in Sacramento invalido: non tenetur Pœnitens ad longum peccata ſua enarrare, ſed paucis verbis ſub compendio poteſt ſimplicem notitiam naturalem ſive acquiſitam, peccatorum ſuorum (quæ ſupponitur in Confeſſario præfuiſſe) Sacramentalem facere, utpotè, verè & doloroſè ſe accuſando in Sacramento de ijs quæ Sacerdos novit Pœnitentem comiſiſſe, & ſub quibus modis novit: virtualiter & velut in compendio illa exprimendo, & ſi quæ novit, ſuperaddendo. *Explico*: Sacerdos Confeſſarius interfuit ebrietatibus, commeſſationibus, impudicitijs, litigijs ſui Pœnitentis: Pœnitens igitur quando in confeſsione pervenit ad iſta peccata, poteſt in compēdio dicere: Confiteor & me accuſo de ebrietatibus, commeſſationibus, impudicitijs, &c. quæ tu vidiſti me committere, juxta modos & circumſtantias tibi notas, ſuperaddendo tamen explicite ſi quæ ſubterfugerant, aut putat ſubterfugiſſe notitiam Confeſſarij.

Item: Pœnitens multo tempore confeſſus uni eidemque Confeſſario, confeſsiones fecit invalidas: movetur autem ut eidem tandem Confeſsionem generalem validam omnium peccatorum quæ à prima invalida Confeſsione commiſit, faciat: Si Confeſſarius adhuc aliquo modo recordetur peccatorum & ſtatus ſui Pœnitentis, ſufficit Pœnitenti in compendio dicere: Accuſo me de omnibus peccatis quæ tibi ſum confeſſus à prima Confeſsione invalida tali tempore tibi facta uſque ad hanc, ſuperaddendo alia quæ fortè confeſſus non fuit, & tranſgreſſiones factas in tot invalidis Confeſſionibus, &c.

Dixi (*ſi Confeſſarius aliquo modo recordetur peccatorum & ſtatus Pœnitentis*. Si enim Confeſſarius non recordetur, tenebitur Pœnitens ſigillatim omnia ſua peccata explicare, & repetere. Adverte tamen in caſu allato, non eſſe neceſſarium ut Confeſſarius ſingulariter omniũ in individuo peccatorum recordetur, ſicut nec cum in ordinarijs Confeſſionibus abſolvit, ut ſuo loco diximus.

Annotatio svper praxi svperioris Doctrinæ.

IN duobus tamen præcedentibus caſibus quoad praxim, nota Primum modum non eſſe practicandũ, niſi ubi multum rationabilis cauſa vel neceſsitas urgeret, nimirũ, quando Pœnitens aut ob imperitiam, aut ob anguſtias temporis, turbationem, aut ſimiles occaſiones non poſſet explicitè ſua peccata omnia confiteri. *Ratio eſt*: Quia præterquam quod ob priorem notitiam extra ſacramentalem iſte modus tollat humilem verecundiam quæ in Pœnitente requiritur, periculum eſt etiam ne tollat doloroſam illam accuſationem & deteſtationem peccati ob ſamiliam illam notitiam externam quam Confeſſarius habet, ſive quia præſens fuit, ſive quod interdum complex. Ubi tamen vel neceſſitas, vel cauſa multum notabilis, vel imperitia, vel alia ſimilis cauſa urgeret (ſuppoſito debito dolore & vera accuſatione) Confeſſio ſic facta valida eſt, & ſufficiens ad Abſolutionem obtinendam.

Secũdus verò modus frequentior eſt, & Confeſſarijs ac Pœnitentibus in praxi ſuadendus, maximè ubi ſcrupuloſæ, anxiæ, timidæ reperiuntur conſcientiæ, & quæ explicata Confeſſione magis turbantur, quam juvantur. Sufficit enim quod Confeſſarius ſuppleat in illis quod defectuoſum fuit: & alias labor in confitendo, etſi invalidè, æſtimari debet; hicque (ut ſupponitur) & Pœnitens virtualiter integram Confeſſionem facit, & Confeſſarius ſufficientem peccatorum notitiam habet, quæ accuſationi Sacramentali ſubjiciuntur.

Dubium. VII.

Quid agendum Confeſſario cum eo qui in infirmitatem vel phreneſim lapſus, obmutuit, ſigna tamen Contritionis vel concupitæ Confeſsionis, in præſentia Sacerdotis oſtendit, vel ſaltem coram aliquo vel aliquibus demonſtravit antequam Confeſſarius adveniret?

R*Eſpondeo primo*, Si pœnitens ſubitò per infirmitatem, vulnerationem phreneſim aut modis ſimilibus obmuteſcens, ſigna certa alicujus certi peccati in præſentia Sacerdotis oſtendat, quibus ſe deſiderare Cõfeſsionem innuat, abſolutè & abſque ulla conditione abſolvendus eſt. *Ratio eſt*: Quia hic eſt certa materia, tum remota, ut peccatum quod ſigno exprimit, tum proxima ut actus deſideratæ Confeſsionis & Pœnitentiæ quos modo exhibet; ergò illum Sacerdos abſolvere tenetur, vel ex juſtitia ſi ſit Parochus aut Parochi curam gerens, vel ex obligatione charitatis in extrema hac neceſſitate qualiſcumque Sacerdos fuerit.

Reſpondeo ſecundo, Si ut ſupra, obmuteſcens ſigna certa Contritionis & deſideratæ Confeſsionis, oſtendat in præſentia Sacerdotis, etſi ſignis nullum particulare ſeu ſingulare peccatũ, aut ſpecies peccati exprimere poſsit, abſolutè ſimiliter & abſque conditione abſolvendus eſt. *Ratio eſt*: Quia hic aſſignatur materia proxima certa, nimirum actus præſentis doloris & deſideratæ Con-

fessionis, qui sine dubio supponitur esse de peccatis in individuo, etsi illa ob infirmitatē & statum præsentem exprimere non possit: nullum enim datur in homine peccatum in genere, quod à parte rei individuum non sit & singulare non supponat.

Dices: Confessarius per hanc Confessionem sive signa Confessionis, non acquirit plùs notitiæ, quam ante: De omni enim homine scitur aliquod in singulari peccatum, quo peccator constituitur.

Respondeo negando assumptum: Duo enim per Confessionem Pœnitentis Absolutionem postulantis Sacerdoti innuuntur: Primum, Quod Pœnitens sit peccator, & ad confessionis perfectionem spectat innuere quod sit in tali specie & individuis actibus peccator, ut fornicator, homicida, &c. Secundum, Ut se accuset cum dolore & detestatione de eo quod sit peccator, & de peccatis in specie & numero commissis.

Dico itaque, utrumque esse de præcepto & ratione perfectæ Confessionis Sacramentalis, ubi adest possibilitas, ubi tamen possibilitas deest, ratione tam necessarij Sacramenti ad remissionem peccatorum sufficere, si Pœnitens quantum potest, se de peccato accuset in ordine ad absolutionem, etsi non possit illud pleue exprimere. Novam verò notitiam ex hujusmodi Confessione acquirit Confessarius in ordine ad Absolutionem, quam priùs non habebat: Quia etsi cognosceret prius hominem peccatorem, non tamen cognoscebat in actu secundo, de peccatis dolentem, & de peccatis ut hic & nunc potest, se accusantem, in quibus materia proxima hujus Sacramenti consistit.

Respondeo tertio ad principale dubium: Si ut supra, obmutescens antequam Sacerdos adveniret coram aliquo vel aliquibus signa manifesta doloris & postulatæ Confessionis ostendit, de quibus qui viderunt testimonium reddant, etsi in præsentia Sacerdotis nulla signa edat, absolvendus est. *Ratio est*. Quia testes vel Testis præsens, signorum manifestorum subeunt locum & virtutem Interpretis, ob præsentia signa quæ edidit Pœnitens, in cujus etiam persona & nomine Sacerdoti aperiuntur: Non enim tantum testantur ipsum signa manifesta Pœnitentiæ & postulatæ Confessionis dedisse, sed etiam quantum moraliter cognoscere possumus, illam Voluntatem non revocasse. *Sicuti*: Si dum aliquis Pœnitens confitetur peccata sua Sacerdoti, in deliquium incidat & totaliter obmutescat, Sacerdos interim vinum quærat ut ei subveniat, postea rediēs potest illum absolvere absolutè: moraliter enim supponere debet sic obmutescentes priores actus non revocasse: Ita in hoc casu cum in præsentia Testium quis Confessionem verbis vel signis petijt, & signa Contritionis ostendit, non tantum censetur in persona Testis quasi per interpretem præsentialiter confiteri, sed etiam cum Sacerdos advenit, etsi nullum amplius signum ostendat, censetur Voluntatem per signa priùs testatam, non revocasse: sed in eadem permanere, eoque absolvendus erit. Nec ad hoc propositum aliquid facit Decretum Clementis VIII. de Confessione per internuntium sive per litteras, & absolutione missa ad absentem, in quo aliqui scrupulizant. Hæc enim Confessio est verè præsentis, & absolutio ad præsentem dirigitur, & ut dixi, Testis præsens non tam est Internuntius ad absentem, quam Interpres præsentis, respectu Confessarij etiam hic & nunc similiter præsentis ei cuius Interpres est.

Respondeo quarto, Si Pœnitens ita obmutescat & privetur operatione sensuum, ut aut nulla signa edat, aut admodum incerta & dubia, sub conditione absolvendus erit. Et quidem quandò aliqua signa edit etsi incerta & dubia, res magis clara est & manifesta ex Doctrina communi de Sacramentis ad salutem necessarijs: In quibus, in casu necessitatis, licet pronuntiare formam super materia dubia, quando certior non habetur: sic enim licet uti lixivio, brodio carnis, aut hujusmodi dubia materia in Baptismo, si aqua pura naturalis non habeatur ad manum, concepta saltem conditione mentali. Cum igitur Sacramentum Pænitentiæ sit unum ex maximè necessarijs ad salutem, licebit Confessario circa obmutescentem vel operatione sensuum privatum, qui dubia signa & consequenter dubiam materiam exhibet, saltem conditione vel explicita vel mente concepta pronuntiare formam Absolutionis, nimirùm: *Si dispositus es*, &c. Hoc enim casu Sacramento non fit irreverentia, & alias charitas in tali necessitate urget, ut omnimodo possibili etiam conditionato, utamur pro animæ salute. Neque enim est potior ratio cur adhiberi possit materia dubia in Baptismo, ubi certa deest, quam in Sacramento Pœnitentiæ quod pro peccatis post Baptismum commissis, æque necessarium est in re vel in voto, sicut Baptismus.

Major vero difficultas est de eo, qui ita obmutescit & omni sensuum motu orbatur, & nullum plane appareat signum, vel nutus quo etiam dubiè apprehendere possit Confessarius ipsum de peccatis pœnitere, vel Confessionem postulare aut desiderare. *De obmutescente qui nullum signum potest ostendere.* Et quidem non desunt, qui asserant quemcumque Catholicum qui infirmitate subita ita opprimitur, & motu privatur, ut nulla signa det aut dare possit suæ Pœnitentiæ aut Voluntatis confitendi, posse absolutè absolvi, hoc quidem fundamento: Quia talis ex communi intelligentia peccator est, & in tali necessitate supponi debet tum confiteri velle, tum absolvi, eò quod vide-

S. Aug l. 1. de Adult. Conjug c. 27. & 28.

videlicet suam salutem absque dubio desideret: innituntur vero Auctores huius sententiæ, auctoritati S. August. lib. 1. de Adulterinis Conjugijs cap. 27 & 28. Ubi cum docuit Catechumenos quamvis vitæ malæ & adulterinis conjugijs implexos: *Si morbo aut casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi tamen Baptismum vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis quod eorum in fide Christiana iam nota Voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum Voluntas nulla adhuc patuit.* Cuius causam addit cap. 28 *Vt etiam* (inquit) *hoc peccatum* (adulterini scilicet coniugij) *cum cæteris lavacro Regenerationis abluantur. Quis enim novit vtrum fortassis adulterinæ carnis illecebra vsque ad Baptismũ statuerant desinere.* Cùm (inquã) ità de Baptismo Catechumenorũ conclusisset, de Absolutione sic cõcludit.

S. August.

Quæ autẽ (ait) *Baptismatis, eadẽ Reconciliationis est causa, si forte pœnitentẽ finienda vitæ periculũ præoccupauerit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Hæc S. August. In quibus verbis Catechumenum obmutescentem æquiparat Pœnitẽti obmutescenti, & vult, vt sicut Catechumeno obmutescenti nec potenti signa dare, debet conferri Baptismus, ità & Pœnitenti obmutescenti, nec potenti dare signa suæ Cõtritionis, vel pœnitentiæ, sive postulatæ Reconciliationis, Absolutio. Verum sic absolutè explicata istorum assertio, non caret gravissimis difficultatibus ob quas omninò rejiciendam censeo primò: Nulla hic apparet materia in ordine ad hoc Sacramentum, sive ad Absolutionem, etsi enim sciam esse peccatorem & consequenter peccata habere: peccatum tamen non est materia huius Sacramenti nisi in quantum per motum aliquem Pœnitentis & accusationem, ad illud referatur, ut sæpe dictum est. Secundò: Unde mihi constat sic obmutescentem cogitare de sua salute vel peccatis, cum non rarò accidat S. August. teste, *Vt iusto Dei iudicio peccator in morte obliviscatur sui, qui in vita sua oblitus est Dei.* Quinimò sæpe videmus Catholicum etiam plenis sensibus utentem, in morte ad Confessionem peccatorum vix, imo nullatenus aliquando cogi posse. Tertio: Unde mihi constat illum sensuum stuporem, ad Rationis etiam turbationem vel privationem aliquam, non pervenisse. Tandem qua certitudine pronuntiare audebo formam Absolutionis certam & absolutam, in materia omni ex parte incerta.

S. August.

Nec S. Augustinus suprà, si benè expenditur, istam assertionem docet: Non enim quemlibet fidelem peccatorem in hoc casu respectu Reconciliationis per Pœnitentiam æquiparat Catechumeno respectu Baptismi, sed tantum Fidelem peccatorem, Pœnitentem, seu Pœnitentiam agentem: sic enim loquitur: *Si forte Pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit.* Sensus itaque S. August est Catechumenos etiam pravæ vitæ, & adulterinis coniugijs implexos, si morbo opprimantur ut petere Baptisma non possint, sine scrupulo baptizandos esse: Quia eo ipso quo in Catechumenorum numerum sua petitione sunt assumpti, censentur Baptismum petere, nemo enim fit Catechumenus, nisi ad suscipiendum suo tempore Baptismum, supponit autem etiam ipsos per internam pœnitentiam ad gratiam baptismalem dispositos, his verbis cap. 28. Si (inquit) *desperati* (nimirum de sanitate corporali) *intra se pœnitentes jacuerint.* Superaddit verò; *Non tantum Catechumenos, sed etiam Pœnitentes* utique qui Pœnitentias Canonum exercebant, vel in numero Pœnitentium erant, si contingat illos tempore Pœnitentiæ similiter opprimi, debere reconciliari sivè absolvi: Nimirum; Quia eo ipso quo Pœnitentias exercebant, censebantur Recõciliationem petere & Absolutionem à peccatis. Et in hoc verum est quod dicit S. August. *Quæ enim Baptismatis, eadem & Reconciliationis est causa,* nimirum, in Catechumeno respectu Baptismi quem censetur petere, & in Pœnitentiam agente respectu Reconciliationis sive Absolutionis à peccatis, ita ut utrique respectivè si morbo opprimantur (quamvis nec voce nec signis Baptismum aut Absolutionem petere possint) nec Baptismus Catechumeno, nec Absolutio Pœnitentiam agenti deneganda sit. Adverto tamen in utroque quandam supponi mentalem conditionem: Si, nimirum, sint dispositi, hoc enim in Baptismo Catechumenorum qui in peccatis, vivunt, supponit S. Augustinus: *Si* (inquit) *intra se Pœnitentes jacuerint.* Et de Reconciliatione similiter: *Si forte Pœnitentem faciendæ vitæ periculum præoccupaverit.* Undè sic Pœnitentiam agenti & obmutescenti, sivè oppresso, si hic & nunc ubi opprimitur vel paulo-ante signa actualis Pœnitentiæ non dederit, judico omninò Absolutionem saltem sub conditione mente concepta, impertiendam esse. Cum enim ex parte materiæ hic & nunc nulla sit moralis certitudo, sed multa dubietas, non video quo modo certa omninò Ablolutio dari possit.

S. August. Sup. c. 28

Sed ad primam partem hujus quartæ responsionis in favorem animarum revertamur in qua dixi: Quod, quandò peccator Catholicus ita opprimitur, ut nullum appareat signum Pœnitentiæ, aut desideratæ sivè postulatæ Confessionis, nihilominùs possit sub conditione absolvi, sivè absolvendum esse. Cui responsioni quamvis nonnulla superius dicta, videantur adversari, illam tamen sic declaro. Etsi namque in tali peccatore sic oppresso nullum mihi signum appareat, quod materiam Confessionis faciat mihi sensibiliter præsentem in ordine ad Absolutionem, nec mihi pro-

inde

inde certò constet Peccatorem sic obmutescentem de peccatis aut salute cogitare; imò nec appareat cum ratione uti: Potest tamen fieri ut non tantum intus de peccatis doleat, confiterique desideret, sed etiam aliqua signa edat per se sensibilia, etsi mihi incognita, ut sunt suspiria, gemitus, aspirationes, oculorum fixi intuitus, aut alij in corpore motus, qui etsi doloris corporalis, aut naturæ patientis sint ordinariè signa, nihilominus ab ipso Peccatore quandoque ordinantur ut internæ Pœnitentiæ nutus. Unde absolvendo eum sub conditione, & muneri ac charitati in hac extrema necessitate satisfacio, & conditio omnem irreverentiam & defectum, qui subesse posset, tollit, & in anxietate tanta animam Deo commendo intentione communi Ministris Ecclesiæ, quæ ut supra dicebat S. August. *Nullum ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle præsupponere debet.* Confirmor in hac ignotorum signorum declaratione eò quod mihi semel extremo periculo post Extremam Unctionem laboranti, & per omnia sensuum operatione destituto cōtigit: Sensibus omnibus destitutus eram excepto auditu, Ratione autem & Judicio firmo & recto intus utebar, ita ut eum me deficere & ex medico foris loquente, & ipsius naturæ debilitate perciperem, firmiter me Dei misericordiæ commendabam & pium affectum aliquem foris conabar præstare: Unde mirum est, si forte gemitu aliquo, vel respiratione, vel doloris nutu illud non ostenderim, quamvis adstantes illa non notarent, nisi forte ut erant signa naturæ patientis. Ab illo tempore in animum induxi, quod si quovis modo aliquem Catholicum sic oppressum reperirem, nec signum aliquod mihi intelligibile Pœnitentiæ dare posset, nihilominus sub conditione absolverem, eò quod fortè aliquod signum Pœnitētiæ edat, etsi mihi incognitum Cum (ut dixi) hoc sit charitatis & conditio omnem defectum auferat qui in administratione Sacramenti contingere posset. Hæc latius deduxi ob scrupulos quos nonnulli movent, & ut fundamenta modorum aliquorum qui in praxi inter doctos & prudentes usurpantur, melius intelligantur Porrò similes praxes antiquitus in Ecclesia usurpatas fuisse constat ex Concil. Carthaginensi III. cap. 23. Ubi mandat ut *ægrotantes si pro se respondere nō possunt, cum voluntatis eorum testimoniū sui dixerint, baptizentur. Similiter & de Pœnitentibus agendum est* Et in Concil. Arausicano I. cap. 12 *Subito (ait) obmutescens prout statutum est baptizari aut Pœnitentiam accipere potest, si Voluntatis præteritæ testimoniū aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu.*

S. August. sup.

Antiqua praxis absolvendi obmutescētes vel Sensibus privatos.

Concil. Cartag 3. cap. 34. Concil. Arausi. 1. cap. 12.

Et in Carthaginensi IV. cap. 76. *Is qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam. Et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia*, Et Leo I. Epist. 91. ad Theodorum loquens de infirmis obmutescentibus: *Si* (inquit) *aliquâ Vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant* (nimirum Reconciliationis præsidium) *sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis Fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & Pœnitentiæ & Reconciliationis beneficium consequantur.* Alia similia multa occurrunt.

Concil. Cartag 4. cap. 76.

Leo I. ep. 91.

Pro quibus tamen omnibus universaliter advertendum est, eum qui per signa aut nutus aut alias absque signis sub conditione absolutus fuerit; si supervivat & ei reddatur sensuum facultas, ut clarius sua peccata singulariter explicare possit, teneri postea explicare Quod & indicant Capita & Canones Conciliorum.

QUÆSTIO IV.

Quæ sint qualitates sive conditiones ad perfectam peccatorum Confessionem in hoc judicio Sacramentali requisitæ?

CONCLUSIO UNICA.

TRes sunt potissimum conditiones perfectæ confessionis Sacramentalis, nimirum *ut sit Dolorosa Vera & Integra.*

Dolorosa dicitur, quæ cum accusatione & dolore de peccatis fit, ad excludendam historicam vel qualemcumque narrationem peccatorum, quâ homo simpliciter sua peccata narrat absque interna sui accusatione: ut cum quis confitetur ut se excuset, vel ut informet Confessarium contra alium, aut ad jactantiam, Confessarij seductionem, aut inductionem ad malum, aut simpliciter ad solum consilium, aut alios hujusmodi fines. Unde sub *dolorosa* comprehenduntur conditiones ab alijs relatæ, nimirum quod sit: *Humilis, Libens, Discreta, Verecunda, Lachrymabilis, Fortis, & Accusans & sati parere parata.* Qui enim dolorosè confitetur, censetur se humiliter, libenter, discretè, verecundè, lachrymabiliter & fortiter cum animi præparatione ad satisfaciendum, accusare. Hæc enim omnia in vero dolore de peccatis continentur. Et nos superiùs agentes de Contritione & Attritione, generaliter docuimus ad veram Contritionem requiri dolorem, qui omne peccatum sive Voluntatem peccandi moraliter, excludat, cum proposito satisfaciendi & servandi omnia mandata. Unde qui ad jactantiam & glorificationem de peccatis, vel ad pravum finem, aut contra Voluntatem, aut sine proposito vero satisfaciendi vel vitam emendandi confiteretur, certum est quod invalidè cōfiteretur, non tam defectu narrationis

Dolorosa Confessio quæ?

pec-

peccatorum, quam defectu accusationis & doloris qui necessario Confessioni conjungi debet.

Vera. *Vera Confessio* dicitur, quæ nihil falsitatis, vel simulationis, sive deceptionis annexum habet.

Integra. *Integra* dicitur, Quæ de omnibus peccatis mortalibus, & eorum necessarijs circumstantijs est.

Omissâ verò, *dolorosâ*, de qua satis superque in Titulo Contritione actum est: Ad duas postremas qualitates, nimirum, *Vera* & *Integra*, sub particularibus Titulis descendo.

TITVLVS V.

De Veritate ad Confessionem requisita.

QUÆSTIO I.

Quot modis contingat falsitatem committi in Confessione Sacramentali?

Conclusio Vnica.

Falsitates in Confessione. **T**Ribus ferè modis contingit falsitatem committi in Confessione Sacramentali. Nimirùm: primò, Quando quis scienter in materia Confessionis affirmat quod falsum est: aut negat quòd verum est: Secundò, Quando scienter plura peccata confitetur, quàm ipse fecit, aut minorem numerum exprimit, quam ipse commisit. Tertiò, Quando dubia ut certa, aut econtrà certa ut dubia confitetur.

QUÆSTIO II.

An omnis falsitas in Confessione commissa sit peccatum mortale aut invalidet Confessionem?

Conclusio I.

QVi scienter & à proposito committit mendacium vel falsitatem in materia gravi & necessaria confessionis Sacramentalis, peccat mortaliter, & confessionem invalidam facit. Ratio clara est ex ipsis terminis: Ubi enim mendacium vel falsitas in essentialibus & necessarijs Sacramēti intervenit, aliqua pars essentialis Sacramēti destruitur, destructa autem parte essentiali: Sacramentum subsistere nō potest, qui verò sua culpa est causa invaliditatis Sacramenti, mortaliter peccat, ob gravem irreverentiam & injuriam quam Sacramento facit.

Dixi (*qui scienter & à proposito*) qui enim ignorantia aut inadvertentia inculpabili falsitatem vel mendacium committeret, mortaliter non peccatet, communi sensu, tum quod ignorantia aut inadvertentia inculpabilis à peccato mortali in omni materia excuset, tum quod mendacium sic ignoranter aut inadvertenter prolatum, materiale tantum sit, non formale.

Dixi (*in materia gravi vel necessaria Confessionis Sacramentalis*) Censetur autem materia gravis quæ extra Sacramentum est peccatum mortale, ut in mendacio pernicioso, vel falsitate quæ gravem injuriam Tertio facit: Censetur autem materia Confessioni vel Sacramento necessaria, quæ ad essentiam vel necessariò requisitam integritatem ejus pertinet.

Ex quibus infero primo: Peccare mortaliter, etiam in materia quæ alias per se ad Sacramentum non pertinet, eum qui in Confessione mendacium perniciosum diceret. *Ex. g.* Si quis interrogatus à Confessario de aliquo facto Tertij quod ad hanc Confessionem non spectat, illi falsum crimen imponeret, ut frequenter contingit in mulieribus, imò & in viris qui in Confessione sive ad solatium suum, sive ad excusationem litigiorum suorum & causarum, ac inimicitiarum, &c. quas contra proximum habent, gravissimâ interdum de proximo effutiunt, etiam ad rem nullatenus spectantia, multam tamen injuriam proximo ex naturà sua inferentia. Nec desunt qui ut inimicos suos prodant, à proposito veniunt ut detrahant: Quamvis, ut dixi, illa non pertineant ad materiam Confessionis per se. *Ratio est*: Quia cum illa extra Confessionem peccata, mortalia sint, ratione prætensæ aut potiùs fictæ Confessionis non modò non diminuuntur, sed gravissimum etiam augmentum sumunt, tum ob notabilem injuriam quā faciunt Sacramento, quo abutuntur ad suas detractiones: tum quia ratione novi peccati mortalis quod committunt, Confessionem irritam & invalidam reddunt. Et hæ quidem circumstantiæ confitendæ sunt, quia speciem mutant & detractioni Sacrilegium addunt. Videant autem Confessarij prurientes auribus, qui aliquandò occasionem suis curiosis inquisitionibus dant casibus similibus, dum de rebus domesticis ad Confessionem non pertinentibus; interrogant; aut similes fabulatrices non impediunt, in quæ pericula se & Pœnitentes præcipitent.

Mendacium perniciosum in Sacramento. Nota.

Infero secundo: Eum qui deliberatè aliquod peccatum mortale confitetur quod non fecit, peccare mortaliter & invalidam facere Confessionem. *Ratio est*: Quia præter injuriam quam sibi facit dum seipsum de falso crimine infamat apud Sacerdotem, gravem etiam injuriam facit Sacramento & Deo cui in persona Sacerdotis mentitur, & in re gravi Judicium Sacramentale alterat; quocumque tandem fine id præster.

Quid de confitente peccatum quod non fecit.

Dixi (*deliberate*) Propter scrupulosos, anxios, & qui turbatæ sunt Conscientiæ & qui frequenter se accusant de ijs in quæ huius-

nullatenus consenserunt, quod attribuendum est nimiae turbationi.

Quid de negante peccatum quod fecit. *Infero tertio*: Eum qui in materia huic Confessioni quam facit necessaria, negat scienter se aliquid fecisse quod tamen fecit, mortaliter peccare, & Sacramentum invalidum reddere. Ratio saepe dicta est, quia ut, supponitur, in materia necessaria deficit, & Judicium in re gravi variat, ac Sacramento magnam irreverentiam irrogat.

Dixi (*in materia huic Confessioni quam facit necessaria* (tum ob venialia peccata ad quae confitenda nullatenus tenetur, tum ob peccata mortalia alias legitimè confessa, quae posset Poenitens interdum prudenter negare, nisi talem connexionem cum altero peccato necessariò confitendo haberent, ut illud absque huiusmodi peccati venialis aut aliàs confessi mortalis Confessione, benè exprimi non posset: Quod ultimum sic *explico*: Confitetur quis restitutionem injustè ablatorum non fecisse, si interrogetur à Sacerdote de furto praecedenti & qualitate eius, dicere tenebitur quamvis prius confessus fuerit, quia nisi dicat, Confessarius benè intelligere non potest qualitatem & debitū illius restitutionis cuius faciendae est in mora. Contingit etiam Poenitentem posse prudenter negare peccatum mortale in hac Confessione, quia ab integritate materiali Confessionis ratione illius peccati, hic & nunc excusatur, utpote, quod sit in praejudicium famae Tertij, aut quod sine graviori damno non potest huic Confessario explicari, prout alias dictum est & adhuc infra dicemus agentes de Confessionis integritate. Ratio autem horum omnium est: Quia de illis juridice & legitimè non interrogatur: De venialibus quidem, aut alias ritè confessis, quia necessaria materia non sunt, de illo autem peccato quod respectu hujus Confessionis vel Confessarij in grave damnum Tertij vergit, quia rationabiliter & licitè explicari non potest.

Quid de confitente dubia ut certa & econtra. *Infero quarto*: Eum qui quod novit esse dubium, confitetur ut certum, & econtra quod novit certum, confitetur ut dubium, falsitatem committere & in materia necessaria Sacramenti, peccare mortaliter, & invalidum reddere Sacramentum, *Ratio est*: Quia judicium in re gravi alterat & mendacium committit, cum etsi confiteatur quod fecit, non confitetur tamen prout, sive quo modo fecit; cum certitudo & incertitudo actus, maxime in ratione culpae sive peccati, existimanda veniant.

Quid de Mendacio levi in Cōfessione. Dixi iterum (*quod novit*) Frequenter enim fit ut quis arbitretur certum quod à parte rei est dubium, aut econtra dubium quod à parte rei est certum, tunc vero ratione scientiae vel ignorantiae à prudente Confessario aestimanda sunt, nec facile res judicio Poenitentis relinquenda ob animi turbationem. Examinari itaque debet Poenitens de ratione scientiae vel conscientiae, & judicium ab ipso Confessario est ferendum super certitudine vel dubietate facti vel malitiae eius. In his vero omnibus seriò admonendi sunt Poenitentes, ne sub titulo & praetextu majoris humilitatis, vel ferventioris Poenitentiae sive Conscientiae magis aperiendae plura dicant, quam à parte rei sint, & (ut ajunt) ne ad majorem securitatem se accusent, & culpam agnoscant ubi culpa non est. In hoc enim Sacramento requiritur sincera & nuda veritas ex qua verum judicium ferri possit de facto vel omissione. Abigenda verò prorsus est omnis caeremonialis exaggeratio etiamsi à corde humili videretur procedere.

CONCLUSIO II.

O*mne mendacium falsitas in Confessione in materia levi, & non necessaria ad Sacramētum, peccatum tantum veniale est, nec irritum reddit Sacramentum, nisi sit materia tota huius Sacramenti sive confessionis.* Ratio prioris partis est: Quia sicut veniale per se non dissolvit amicitiam Dei, sic non videtur causare gravem irreverentiam, cum nil attingat eorum quae Sacramento essentialia aut necessaria sunt: idcirco levis culpa judicatur, etsi tamen ob nonnullam Sacramenti irreverentiam gravior sit, quam mendacium extra Sacramentum commissum.

Dixi tamen (*nisi sit materia tota Sacramenti*) ubi enim Poenitens non confiteretur aliud peccatum, quam illud super quo fundatur falsitas & mendacium, tunc peccaret mortaliter. *Ratio est*: Cum enim super materiam nullam, sive fictam & falsam postularet absolutionem, invalidum & irritum redderet Sacramentum, ac consequenter Sacrilegium in re gravi committeret.

QUAESTIO III.

An in numero peccatorum mortalium explicando, quilibet excessus sit peccatum mortale.

Ratio dubitandi est: Quia in numero majori, minor numerus includitur, unde qui dicit se decies fornicationem commisisse, si tantum novies fornicatus fuerit, numerus ille continetur in decem, & falsitas illa nihil demit de veritate & integritate Cōfessionis. Aliud est de defectu; Qui enim scienter in numero peccatorum mortalium deficit, contra integritatem Confessionis peccat, & mutilum Sacramentum reddit, unde mortaliter peccare judicatur, qui peccatum unum aut plura mortalia tacet, quae exprimere debebat,

Con-

Conclusio Vnica.

De excessu deliberato

QVi ex *scientia & deliberatione plura peccata mortalia etiam intra eandem speciem, confitetur, quam commiserit, etsi tantum unum superaddèrit, mortaliter peccaret.*

Ratio sumenda est ex Quæstione præcedenti; Illatione secunda. Qui enim confitetur unum peccatum mortale quod non fecit, seipsum injustè infamat in re gravi, Deo mentitur in Tribunali Sacramentali, & judicium in re gravi alterat.

Dixi (*qui ex scientia & deliberatione*, &c.) Qui enim ex probabili & verisimili conjectura id faceret credens se toties peccatum mortale commisisse, à peccato excusaretur quia ex probabili conscientia procederet: Nec teneretur in sequenti Confessione, ubi errorem deprehendisset, excessum illum Confessario aperire: Quia ad rationem necessariam Sacramenti post Absolutionem amplius non pertinet, cum ab omnibus & solis peccatis quæ de facto commiserat, fuerit absolutus: Et error sive falsitas quæ supponitur intervenisse in numero, fuerit tantum materialis (cum ut adnotavi, Pœnitens tunc arbitraretur se toties, ut dixi, peccatum commisisse) nec sola, quæ inde sequitur infamatio apud Sacerdotem ob excessum solius numeri, videtur tanti momenti, ut pœnitens teneatur dictum suũ retractare, cum sit jam per alios actus ejusdem speciei infamatus. *Ad rationem dubitandi dico*: Culpam non provenire ex defectu integritatis, cum ut bene asseritur, minor numerus contineatur in majori; sed oritur ex falsitate & mendacio in re gravi: Unum enim peccatum mortale in individuo per se sumptum, est gravis materia & graviter alterat judicium Qui igitur scienter dicit se decies fornicatum esse, cum tantum novies fornicatus fuerit, mentitur & fallit in re gravi ad Sacramentum pertinente, cum decima fornicatio sit æquè peccatum mortale, ac cæteræ novem.

Dubium.

De particulis plus & minus & qualiter illis utendum.

QUid igitur dicendum de ijs qui incertum numerum pro certo exprimunt addendo particulas *plus vel minus*? *Ex. g.* qui ita confitetur, Inebriatus sum decies plùs minùs. Et an particulæ *plus minus* defectum vel excessum in numero suppleant?

Respondeo, has particulas non facile nec leviter assumendas aut permittendas, nisi concurrentibus sequentibus circumstantijs.

Prima. Quod Pœnitens circa numerum certum exprimendum examine debito præmisso, sit verè anxius & incertus, sive suspensus

Secunda. Quod ex judicio & examine probabiliter credat numerũ quem exprimit, aliquo modo, & verisimiliter appropinquare numero certo peccatorum commissorum.

Tertia Quod de facto non sit gravis excessus aut defectus in numero expresso, respectu peccatorum mortalium commissorum. Æstimo autem non esse gravem excessum aut defectum, si in numero rationabili, uno tantum aut altero excedatur, aut deficiatur, imò & tribus in magno numero, ut quadraginta, quinquaginta, &c. Unde etsi postmodum quis advertat in numero se uno aut altero excessisse, aut defecisse; non tenetur istum excessum aut defectum confiteri quia observatis superioribus conditionibus, moraliter in numero expresso continebantur. Qui enim dicit se decies vel vigesies *plùs minùs*; aliquod peccatum commisisse, ingerit Confessario moralem apprehensionem ex qua format judicium morale, quod numerus ille vel in uno aut altero deficiat, vel in uño aut altero excedat: Sicque ab omnibus, juxta hoc morale Judicium, absolvit.

Ex dictis *Infero primo*, Perperam agere Pœnitentes, qui absque judicio & examine debito cõsueverunt ferè ad singulos numeros particulas illas, *plus minus*, adhibere, sibi abblandientes quasi per hoc numerum omnium suppleant, quod tamen falsum est: Cum enim suppletio debeat esse moralis, debet ex judicio, & examine morali consurgere & adhiberi. Nota.

Infero secundo, Si gravis sit excessus vel defectus, utpote, si in decem excederetur vel deficeretur in tribus aut quatuor, tunc esse illa in Confessione altera supplenda. *Ratio est*: Quia moraliter tantus excessus vel defectus in tam parvo numero non apprehenditur, & consequenter judicium in materia notabili, alterat. Unde monendi sunt Pœnitentes, ut debito examine primùm, versimilem, aut verisimili proximum numerum sibi forment, antequam particulas illas *plus minus* addere possint. Sed de his adhuc infra, ubi agemus de modo peccata explicandi, quando numerus certus determinari non potest.



TITVLVS VI.

De Confessionis integritate.

QUÆSTIO I.

Quotuplex sit integritas Confessionis?

Conclusio I.

DUplex assignatur Confessionis integritas, alia *Materialis*, alia *Formalis*. *Integritas materialis*

Materialis integritas vocatur, quæ comprehendit singulariter omnia peccata mortalia necdum legitimè confessa.

qui decem homines occidit, & eius qui tantum semel fornicatus est, vel unum tantum hominem occidit. Ista igitur numeri multiplicatio vel diminutio, sicut notabiliter variat judicium Sacerdotis, sic notabiliter multiplicat vel diminuit malitiam Peccatoris. Et hæc Conclusio est diffinita in *Concil. Florent. in Decreto Eugenij*, & in *Trident. sess. 14. cap. 5.* Ubi & ratio Conclusionis expenditur. *Constat* (inquit) *Sacerdotes judicium incognitâ causa exercere non potuisse, neque aquitatem quidé illos in pœnis injungendis, servare potuisse si in genere dumtaxat, & non potius in specie ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Hæc ibi notanda est particula, *sigillatim*, quæ numericā explicationem postulat. Et Can. 7. *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, &c. Anathema sit.*

Concil. Trid. sess. 14. c. 5.

Idem Can 7.

Dixi (*si rationabiliter, facto morali & diligenti examine, eorum Pœnitens recordari potest*) si enim aliquorum singulariter quoad numerū recordari non potest, inter invincibiliter seu inculpabiliter oblita referenda sunt, ad quæ confitenda hic & nunc, stante oblivione, homo non tenetur.

DUBIA INCIDENTALIA.

DUBIUM I.

Quanta diligentia adhibenda sit in examine peccatorum, ad hoc ut oblivio censeatur inculpabilis?

Qualis diligentia in examine requiratur

RESpondeo, Ea diligentia adhibenda est: quæ moraliter & communiter in re seria ad alicuius memoriam revocandam adhiberi solet. Dico, *moraliter & communiter*, Moraliter quidem, non enim strictissimam diligentiam adhiberi necesse est, utpote, peccata scribendo, notando, &c. Sed sufficit ut reminiscentia moraliter seria quis utatur: unde & addidi (*communiter*) qua, nimirùm, nō tantum sapientes & accurati illi rerum æstimationes utuntur, sed qua homo, etsi alias fragilis & obliviosus, uti in seria consuevit. Unde attendeodus est status Pœnitentis & tempus quod à præterita Pœnitentia effluxit: Minus enim diligentiæ requiritur in homine Deum timente, qui frequenter, utpotè, singulis hebdomatibus aut quindenis cōfitetur, quam in ijs qui omnibus occasionibus peccandi exponuntur, aut ad plures menses imò ad annum Confessionem differunt. Diligentia itaque moraliter expendenda est iuxta personarum qualitatem, modum vivendi, tempus quo in peccatis fuerunt, &c. Quæ omnia prudentiæ boni viri relinquenda sunt.

DUBIUM II.

Quid agendum Peccatori qui numerum Peccatorum mortalium certo explicare non potest?

RESpondeo, Duos modos illi restare ut debito satisfaciat, & peccata sua debitè exprimat.

Modus explicandi numerum peccatorū.

Prior est: ut ubi non potest certum numerum exprimere, exprimat saltem verisimilem, & qui magis ad certum numerum approximare censeatur, addendo *plus vel minus*, super quo superiori Titulo satis Pœnitentes monuimus, ut non quasi divinando, aut in genere numerum quemcumque etiam majorem sumendo, confiteantur, sed prudenti æstimatione & reminiscentia expendant, quis verò numerus verisimilior à parte rei censeatur, vide ibidem dicta ne toties eadem repetamus.

Secundus modus exprimendi peccata.

Posterior modus est: ut cum nec certus, nec verisimilis aliquis numerus peccatorum colligi potest: aperiat pœnitens candidè in qualibet specie peccatorum statum suum, utpotè inclinationes pravas, consuetudines, modos, & frequentias lapsus, durationem temporis, qua in peccatorum comunissione, complacentia, vel voluntate permanserit, aut permanere solet, incentiva occurrentia, &c. Ex his enim prudens Confessarius statum & malitiam Peccatoris, meliùs & firmiùs cognoscet, quam ex numero verisimili, quem als imprudentè, & parum seriò peccata sua perpendente frequenter magis extorquemus, quam bene perpensum accipimus.

Doctrina singularis pro Confessarijs Rusticorum & aliorum qui parvam curam suæ salutis gesserunt.

Qualiter se gerat Confessarius Rusticorum quoad expressionē numeri.

VNde Confessarij Rusticorum & aliorum, qui diutissimè in peccatis perdurantes, vix ullam curam suæ salutis habuerunt, securiùs ad hunc modum posteriorem attendere debent, ubi certus Pœnitentibus numerus peccatorum non occurrit: Certiùs enim in notitiam status peccatoris pervenient examinando illius modum ordinarium vivendi in genere, cum inclinationibus, conversationibus, consuetudinibus, quam Pœnitentem torquendo super expressione numeri, quæ talibus est impossibilis: Si quid enim ad importunitatem Confessarii dicunt, illud divinando absque judicio ullo, & verisimilitudine dicunt; ut qui ordinariè dicere solent, *feci plus centies, plus millies*, Quis enim credat illos numerum talem parvo tempore quo se examinarunt, potuisse memoriā percurrere? Id sanè non sic exprimunt, nisi, quando vident se numerum comprehendere non posse; tunc enim ut se à vexatione eximant, credunt se bene facere, si quem-

quemcumque excessivum numerum exprimant: ex quo nulla alia certitudo Confessario advenire potest, audito hujusmodi certo numero, nisi quod frequentissimè Peccator lapsus fuerit, ita ut cum dicit *centies vel plus centies*, hoc est frequentissimè, cum dicit *plus quàm millies*, hoc est toties quoties, & ferè continuè.

Meliùs itaque faciet Confessarius si tales Pœnitentes inducat ut simpliciter aperiant statum, modum vivendi, consuetudines, conversationes, inclinationem, occurrentias & incentiva, ut ex illis prudenter colligat constitutionem & malitias quibus hujusmodi Peccatores gravantur: hoc enim certiorem ingerit notitiam Confessario, ad absolutionem eis dandã, admonendum & movendum Pœnitentes ad contritionem. Igitur cum ab hujusmodi Rusticis Confessarij semel petierint numerũ, si videant illos tergiversari, aut potiùs conjicere, quam ex prudenti æstimatione numerũ aliquem proponere; non sint importuni, sed de statu & modis (ut dixi) inquirant, & sibi judiciũ de Peccatoris qualitate forment, Pœnitentemque de pravitate sui status informent. Cætera quæ ad unitatem numericam peccatorum cognoscendam pertinent, videantur toto *Tit. 4. Tract. 3.*

QUÆSTIO IV.

An omnes Circumstantiæ necessariò sint confitendæ ad integritatem Confessionis?

CONCLUSIO UNICA.

Quæ circumstantia confitendæ. OMnes & sola circumstantia *Mutantes speciem & mixta, necessariò sunt confitendæ.* Quæ autem sint illæ quæ mutant speciem, aut quæ inter Mixtas debent reputari; qualiter etiam de purè aggravantibus judicandum sit in ordine ad Confessionem, & omnia quæ ad expressionem circumstantiarum pertinent, latissimè tradidimus *Tract. 3. Tit. 3. Quæst. 4* per totam. Ad omnimodam autem intelligentiã peccatorum & integram eorum Confessionem tota doctrina *Tract. 3.* hic est repetenda, cum omnibus Regulis adjunctis, ad quas Lectorem remitto.

QUÆSTIO V.

An ad integritatem Confessionis, peccata dubia sint necessariò confitenda?

HIc communis torrens Doctorum asserentium communiter in Confessione, *Dubia ut dubia, ad eius integritatem necessariò esse confitenda*, non parvos nisi scrupulos movit, ob tam latam & indistinctam propositionem, quæ etsi ab aliquibus sub nonnullis distinctionibus fuerit tradita, mihi tamen numquam satisfecit, quod nescio an incapacitati meæ fortè sit tribuendum Excusent itaque me Doctores, si hic meum sensum & fundamenta proponens, fortè à communi aliorum judicio discedo: spero tamen quod potiùs à modo dicendi, quam à judicio communi recedam.

Antequam igitur rem attingam hic repetendæ sunt distinctiones Dubij.

Primò itaque, in materia peccati potest intervenire duplex Dubium: Nimirum Dubium Facti, & Dubium Juris. *Dubium facti est*, cum quis dubitat, An idipsum de quo dubitat, fuerit factum? sive, An illud commiserit, vel omiserit? ut: cum quis dubitat, An inebriatus fuerit? An furtum commiserit? An omiserit audire Missam in Dominica? *dubium Iuris est*, Quando constat quidem de facto, dubitatur tamen: An factum illud sit aliquo Jure prohibitum? sive etiam, An sit prohibitum sub peccato mortali? *Divisiones dubij. Dubium facti. Dubium Iuris.*

Secundò, Dividitur Dubium Juris, in Dubium Antecedens sive Concomitans factum, & in Dubium Consequens factum. *Dubium Antecedens* dicitur, quo quis antequã aliquid operetur vel omittat, dubitat an sit prohibitum, vel an sub peccato mortali sit prohibitum? Et consequenter *Concomitans* dicitur, quando quis eo ipso quo operatur, dubitat. *Dubium Consequens est*: Quando quis ante, vel dum operatur, nullo dubio movetur de operis malitia: post factum verò dubitatio insurgit: An id quod fecit, prohibitum esset sub peccato mortali, an non? Rursùs Dubium Juris dividi potest: In *Dubium de re* sive peccato, & in *Dubium de obligatione* rem sive peccatum *confitendi*. Aliud est enim dubitare: An commiserim peccatum, vel an peccatum quod commisi, fuerit mortale: Aliud dubitare: An in hujusmodi dubio obliget confiteri: Quæ omnia diligenter sunt expendenda, ut quis plenam resolutionem dare possit. *Dubium antecedens. Dubium concomitans. Dubium consequens. Dubium de re. Dubium de obligatione.*

CONCLUSIO I.

PEccata verè dubia per se, quatenus sunt dubia, non sunt materia Confessionis. Ratio fundamentalis est: Quia, ut talia, non sunt verè peccata, nec judiciũ ullum fundare possunt: Cum enim primò omnium constare debeat Judici An sit, sive Esse, antequam procedere possit in Judicio: Peccatum ut dubium est, animum suspensum tenet ad esse vel non esse: Et hinc factum reor quod *Concilium Tridentinum* tota *sess.* 14. cum de mortali & veniali peccato egerit in ordine ad Confessionem, nullam tamen fecerit mentionem de peccatis dubijs: Utique, quia illa, quatenùs dubia sunt, per se non sunt materia Judicij, & consequenter nec Confessionis. Dico (*per se*) quia ratione alicujus periculi & circumstantiæ quæ ponitur certò inesse, possunt fieri materia ut postea dicam. *Dubia ut Dubia non sunt materia Confessionis.*

CON-

CONCLVSIO II.

Cum Dubio antecedente operans peccat mortaliter.

QVi ante factum vere dubitat an quod facturus est, sive quod faciendum vel omittendum proponitur, sit peccatum mortale, si sic dubius operetur, peccat mortaliter. Ratio sumenda est non ex ratione dubij per se, sed ratione periculi peccati mortalis cui se exponit: in actu enim tali, virtualiter hæc propositio includitur: Etiamsi esset peccatum mortale, tamen volo facere vel omittere.

Dixi (*qui vere dubitat*) propter timores, anxietates, scrupulos, dubia speculativa, quæ sæpe hominem etiam nolentem affligunt. De quibus latè egimus Tract. 3. Tit. 2. Q. 7. per regulas 8.

Addidi (*si sic dubius operetur*) si enim dubium antequam operetur, rationabiliter deponat quoad praxim, jam quod dubium erat, quoad operantem transit in absolutum. Qui itaque dubius operatus est, ut supra dicitur, tenetur confiteri, non tam dubium peccatum, quam certum & determinatum periculum cui se exposuit. Unde, posito quod actio ipsa per se non fuerit revera peccatum mortale, quia tamen sic in dubio operatus est, mortaliter peccavit & de peccato certo & determinato se accusare debet, non de dubio quà dubium est, nisi in quantum certæ actioni & peccato causam dedit. Idem judicandū de eo qui concomitanter dubitat.

CONCLUSIO III.

Quid de eo qui post factum dubitat.

QVi post factum dubitat, an fuerit peccatum mortale, si nec ante factum, nec concomitanter in ipso actu dubitaverit, sed omnino crediderit se licite operari, vel se non nisi venialiter peccare, non tenetur tale Dubium confiteri, nisi de ignorantia crassa convincatur. Ratio totius Conclusionis sumenda est ex generalibus Regulis de actu malo deliberato, Qui enim antequam agat & in ipsa actione non movetur aliqua suspicione mali saltem mortalis, non censetur malum sufficienter advertere, ut judicetur deliberatè peccasse: & si quod sit peccatum, ad summum veniale erit ratione inculpatæ inadvertentiæ. Unde dixi (*nisi de ignorantia crassa convincatur*) si enim ignorantia crassa sit, consequenter inadvertentia illa culpabilis erit, & in materia mortali, peccatum mortale. Pœnitens itaque non de dubio postea insurgente, tenetur se in Confessione accusare, sed de crassa & vincibili ignorantia ac inadvertentia culpabili, qua tenebatur dum operaretur, prospicere. Explico. Rusticus aliquis in hostili aliqua incursione & fuga abduxit bovem & occidit, credens esse suum: postea insurgit ei dubium practicum & verum, An vere bos occisus, fuerit suus? Non tenetur hoc dubium confiteri. Quia cum simpliciter crediderit esse suum, occidendo bovem non peccavit, & dubium postea exurgens, actum priorem nō potest reddere peccaminosum: Quinimò, dato quod nun fuerit suus bos, non peccavit occidendo sive abducendo: Tenebitur tamen postea sciens non esse suum, restituere, non quia peccavit; sed quia re aliena usus est in sui commodum, & in proximi damnum, quod ex æquo & bono resarcire tenebitur.

CONCLVSIO IV.

Quid de eo qui de toto facto dubitet.

QVi simpliciter & vere dubitat de toto facto eiusq; substantia, sive: An vere fecerit, vel factum fuerit id de quo dubitat: etsi aliàs illud peccatum esset, non tenetur etiam sub dubio confiteri. Ratio est: Quia in omni scientia reali & judicio, primò supponendum est: *Quod res sit, & quod factum sit.* Cùm igitur, ut supponimus, dubitet Pœnitens, An sit factum? sivè, An à se factum? Sicut ipse judicium aliquod formare non potest, sic minùs Confessarius qui non nisi ex relatis à Pœnitente, judicare potest. *Explico exemplo*: Joannes verè dubitat: An alienum retineat? An hæreditas ad quam pervenit, justè à Parentibus acquisita fuerit? An inebriatus fuerit? An inebrietate hominem occiderit? Quamdiu illi non constat vel apparet probabiliter se alienum retinere, se malè acquisitorum esse hæredem, se inebriatum esse: Non tenetur etiam sub dubio, illa confiteri. *Ratio est*: Quia non sunt materia Judicii, cùm non constet esse. Eo enim ipso, quo te verè nescire asseveraveris, quam scientiam sivè ad judicandum, sivè ad absolvendum, Confessario ingeres? Et in hoc applicanda est certissima Regula Juris: *In dubiis meliorem esse conditionem possidentis*, Nemo enim spoliandus est innocentiâ & justitiâ, quam possidet, quamdiu non probatur nocens. Nec Lex aliquem virga suæ animadversionis ferire censetur, nisi & factum sit manifestum; & contra Legem peccatum esse judicetur. Et in hoc fundatur Regula inter Confessarios communiter recepta, qua prudenter suis Pœnitentibus consulunt ne se de aliquo peccato accusent, nisi certò affirmare possint se commisisse: Quæ nimirùm intelligenda est de Confessione facti in se, sivè in substantia sua, de quo primùm in omni judicio constare debet, ut super illud judicium fundetur. Aliud enim esse de modo, obligatione, & circumstantiis facti, docebimus.

Explicatio axiomatis in dubiis, &c.

Resolutio doctrinalis per modum Regulæ.

QUicumque igitur, dubitat de toto facto, vel substantia facti, ità ut vere dubitet: An actus peccaminosus sit factus? vel sit factus, An per ipsum sit factus, vel eum aliquo modo afficiat sive ad eum pertineat? quamdiu vere & rationabiliter dubitat, non tenetur confiteri. Tenetur tamen diligenter inquirere qualiter hoc ad illum pertinere possit.

posſit, aut de facto pertineat, ut cognita veritate pro ſua conſcientia opportunè poſſit diſponere. Ita in exemplis allatis: Si dubito, teneor inquirere: An vere inebriatus fuerim? An in ebrietate adulterium commiſerim vel alium percuſſerim? An bona quæ habeo, juſte poſſideam, &c. Quamdiu fere ſtat dubium, *Melior eſt conditio poſſidentis*: & debeo ſtare pro mea innocentia, nec debeo confiteri. Ubi tamen alteram partem contra me contingit dubium probabiliùs inclinare, tunc demum debeo & teneor illud ſupponere clavibus, quia *Conditio poſſidentis tranſit in juſtitiam Legis*. Unde ſi quandoque Doctores dicant talia eſſe confitenda intelligendi ſunt non tam de Confeſſione ad judicium & abſolutionem, quam ad conſilium à Confeſſario capiendū, quod & ipſum conſilij eſt, & non præcepti, nec neceſſitatis.

CONCLUSIO V.

Quid de eo qui eſt certius de actu, & dubius de obligatione.

QVando pœnitens certus eſt de actu à ſe commiſſo quoad ſubſtantiam, dubitat vero tantum de aliquo ejus modo, circumſtantia, obligatione, num inducant peccatum mortale? quamdiu in aliquam partem probabiliter non inclinat: tenetur actum quidem confiteri abſolute, exprimendo tamen dubium ſive cauſam dubij in quo verſatur. **Explico**: Titius certus eſt quod habuerit cogitationes impudicas, & delectationes carnales: dubitat verò an dederit conſenſum deliberatum, ſive an moroſè & deliberatè delectatus fuerit? **Item**: An delectatio fuerit in materia mortali? Tenetur quamdiu manet ſic dubius, confiteri abſolutè quidem ſe cogitationes impudicas habuiſſe, dubitare verò an conſenſerit ſufficienter, & deliberate, &c. *Similiter*: Joannes ſcit ſe Petro damnum in bonis vel fama intuliſſe, dubitat tamen an damnum illud pervenerit ad materiam peccati mortalis: Tenetur (quamdiu probabiliter in alteram partem non inclinat) de damno illato confiteri, & dubium ſuum aperire, & ſic de omnibus ſimilibus. **Ratio eſt**. Quia ipſum factum eſt revera materia ſufficiens Judicij, modus autem, circumſtantiæ, obligationes, cum de illis vere Pœnitens dubitet, An peccatum mortale inducant? neceſſitatem Judicij inferunt, cum Confeſſariorum in Sacramento Pœnitentiæ ſit, indicare inter lepram & lepram, lepram & non lepram. Quamdiu igitur Pœnitens dubius manet, illorum judicio dubium & dubij cauſam ſubmittere debet, alias exponit ſe periculo invalidæ Confeſſionis, & Sacrilegij in Sacramento. Nec illum juvare poteſt axioma Juris quo dicitur: *Melior eſt conditio poſſidentis*. Hoc ipſo enim quo de actu peccaminoſo certus eſt, jam perdidit poſſeſſionem innocentiæ, & libertatis, & Lex & Judex, Jus & Auctoritatem accipiunt illum compellendi ad judicium, tum ratione actus ſive tranſgreſſionis Legis de qua Peccator ſibi conſcius eſt: tum ad examinandos modos, circumſtantias, & obligationes actus peccaminoſi, ut debitis pœnis feriatur.

Et in hujus Concluſionis ſenſu arbitror intelligendam eſſe communem Doctorum ſententiam, qua dicunt, *Dubia ut Dubia in Confeſſione neceſſario confitenda eſſe ad ejus integritatem*: nimirum, ut non intelligatur *de Dubio facti* ſimpliciter, quo quis omninò dubitat an aliquid fecerit, ſive an factum in ſubſtantia ab ipſo proveniat, vel an ad illud concurrerit (illud enim juxta dicta *in Concluſ.* 4. arbitror non eſſe confitendum) neque de *Dubio*: quod *poſt factum* inculpata conſcientia inſurgit (*ut Concluſ.* 3. diximus) ſed de *Dubio juris*, quod de certo actu peccaminoſo movetur ratione modi, qualitatis, circumſtantiarum, obligationum, quæ poſſunt inducere peccatum mortale. Illa itaque ſunt Dubia quæ in Confeſſione neceſſariò ſunt aperienda, tum quia judicium eorum ad Sacerdotem pertinet; tum (ut dixi) quia non confitendo illa, periculo manifeſto invalidæ confeſſionis Pœnitens dubius ſe exponit. *Explicatio communis axiomatis.*

QUÆSTIO V.

An, & quomodo Pœnitens excuſetur ab integritate materiali Confeſſionis?

CONCLUSIO UNICA.

Excuſatio ab integritate Confeſſionis ratione Ignorantiæ vel oblivionis.

TRes ſunt cauſæ excuſantes ab integritate materiali Confeſſionis, nimirùm: *Ignorantia ſive oblivio, Impotentia, Grave Damnum Pœnitentis aut Tertij.* Primo itaque ratione *Ignorantiæ & oblivionis*, excuſantur omnes qui hic & nunc facto congruo examine; non recordantur, aut peccatum aliquod ignorant, ita ut ipſis dum confitentur, inculpabiliter non occurrat. Sic multi in pueritia & juventute confitentes, quamvis aliqua peccata in Confeſſionibus illis in juventute factis omiſerint, à culpa ſunt immunes, tum ob ignorantiam inculpabilem, tum ob naturalem oblivionem: Quapropter venientes ad annos maturioris Intellectus, & exercitatæ magis memoriæ, dum vel in cognitionem vel in recordationem peccatorū in juventute commiſſorum, veniunt, non tenentur præcedentes Confeſſiones repetere, ſed ſufficit eis peccata oblita, vel in culpabiliter ignorata confiteri: quia præcedentes Confeſſiones, etſi non integræ materialiter, ratione tamen integritatis formalis validæ fuerunt: Supponitur enim quod non ex malitia aut ignorantia, ſive oblivione culpabili illa peccata omiſerint, ſed ex naturali & inculpata oblivione. Addo verò (*quamvis* *Nota.*

vel oblivio vel ignorantia ex aliqua gravi culpa oriatur) etsi enim quis peccaverit quando oblivioni vel ignorantiæ causam dedit; si tamen cum confiteri vult vel debet, peccati obliviscatur, ita ut oblivio vel ignorantia non sit voluntaria, sed si posset recordari vel in peccatorum notitiam venire, verè confiteretur, tunc etiam oblivio & ignorantia, etsi in radice culpabili excusat ab integritate Confessionis, quia modò hic & nunc, voluntaria & culpabilis non est.

Secundò, Ratione *Impotentiæ* ab integritate materiali excusantur sequentes. Primò, Qui mutus est. Secundò, Qui idioma non nouit. Tertiò, Qui infirmitate supervenienté obmutescit, aut loquelâ priuatur, aut ità grauiter impeditur, vt non possit sua effari. Quartò, Qui angustijs temporis, loci, periculorum coarctatur, vt in periculo mortis, in naufragio imminente, in bello quandò hostis vel vrget vel pugnandum est, imò quandò Sacerdos festinat, & præceptum de confitendo, vel alia necessitas ad Confessionem vrget, si Pœnitens aliquod peccatum omittat, validam Confessionem facit: cùm sua culpâ id non accidat, sed festinatione Confessarij nolentis, aut non potentis audire plura: tunc autem sufficit, vt aliquod peccatum, prout circumstantiæ rei postulant, verbo vel signo, siuè nutu exprimatur. Vide quæ latè super his omnibus deduximus *Tit. 4. quaest. 3. Dubijs septem sequentibus*.

Excusat ratione impotentiæ.

Tertiò, Ratione *Gravis damni imminentis* ab integritate materiali Confessionis excusantur, Primò, Pœnitens quando timeret probabiliter peccatum suum revelandum, infamiam gravem, graves inimicitias, unò & occisionem vel effusionem sanguinis ob peccatorum aliquorum Confessionem, oriundam. Item: Fœmina quæ timeret ex expertis vel causis probabilibus sollicitationem Sacerdotis ad malum, si confiteatur peccatum carnis. *Deniq;* : Quandocumque ex Confessionis integritate materiali grave incommodum spirituale vel temporale oriretur. Secundò, Sacerdos quando etiam ex nimia mora periculum aliquod grave incurreret, ut tempore morbi contagiosi, vel naufragij, vel ignis aut hostis imminentis, aut quia ipse Pœnitens graviter infirmatur, potest, audito uno aut altero peccato, Pœnitentem ab omnibus absolvere. Tertiò, Pœnitens iterum potest tacere peccatum mortale si ex illo complex reveletur, vel tertiæ personæ ex sua Confessione, dammum immineat.

Excusat ratione damni imminentis.

Notâ.

Ratio omnium horum est : Quia hic & nunc, censetur fieri non posse, quod sine gravi damno sui vel proximi fieri non potest. Et cùm præceptum Confessionis sit Iuris Divini Positivi; debet cedere præceptis omnibus Juris Divini Naturalis; ut sunt, de conservanda propria vel proximi vita, fama, de avertendis damnis & grauibus periculis.

Aduertendum tamen est primò. Periculum damni siuè temporalis, siuè spiritualis, debere prudenter estimari, ita vt & damnum æstimetur grave, & muraliter imminere iudicetur, vbi enim velleue damnum esset, vel timor leuis, non liceret peccatum aliquod mortale reticere. Notâ.

Aduertendum secundò. Ob periculum gravis damni, non posse nec debere reticeri peccata mortalia, nisi ea ex quibus illud damnum vel periculum oriri potest, & non alia. Et vt generaliter de tribus illis Capitibus, concludamus: Quandò ex oblivione & ignorantia quis excusatur ab integritate materiali Confessionis, sola potest tacere peccata quæ hic & nunc sub ignorantiam cadunt: Quandò verò ex impotentia, sufficit ut unum aut alterum peccatum explicet: Quandò tandem oritur ex periculo damni alicuius, sola potest tacere, ex quibus damnum vel periculum illud emergit. Notâ.

APPENDIX I.

De iteranda Confessione.

QVia ea quæ ad iterandæ Confessionis necessitatem spectant, sparsim per præcedentes Tractatus suis locis posita sunt, ideircò hic vnicam generalem Regulam posuisse, sat erit.

REGVLA GENERALIS.

Quandocumq; culpabiliter ex parte Pœnitentis Confessio est nulla sive defectu Potestatis in Sacerdote ad quem sciens accessit, sive defectu veræ aut integræ Confessionis, reiteranda est Confessio, nisi aliunde suppleatur. Quando iteranda Confessio.

Dixi (*culpabiliter ex parte Pœnitentis*) si enim bonâ fide, se omnia quæ ad validitatem huius Sacramenti pertinent, putet adhibuisse, Pœnitens, quamdiu bona fides durat, non tenetur Confessionem reiterare. Et quamuis in sua Confessione quam legitimam credidit, peccata non fuissent remissa, quamdiu tamen bona fides durat, habentur prò oblitis & ignoratis, quæ vel sequentibus Confessionibus legitimis indirectè remittuntur, vel per Contritionem perfectam: Hæc tamen adhibenda est differentia: Quod si Pœnitens in notitiam defectus, etsi inculpabiliter commissi, venerit: si defectus fuerit ex parte Sacerdotis potestatem non habentis, aut aliunde ministerio suo in essentialibus Sacramenti abutentis, tenebitur Confessionem illi factam quoad materiam necessariam peccatorum mortalium totaliter repetere; quia dicta materia legitimè non fuit submissa Clavibus: *Similiter* Si defectus, etsi inculpabiliter commissus proveniat ex defectu doloris sufficientis quâdo de errore sibi plenè constiterit, tenebitur

Notâ de Confessione iteranda ob defectum in Confessario.

Quid agen. dum cum defectus ex parte contritionis oritur.

Confessionem repetere, quia verè non fuit dolorosa ut docuimus *Tract.4. Tit. 2 Q. 8. Dubio 2.* Si verò ex defectu inculpabili veritatis, ignoranter negaverit quod fecerat, aut defecerit in circumstantijs necessarijs, aut specie peccati explicanda: aut in numero notabiliter, vt suprà docuimus, exprimẽdo: In his casibus tenebitur in altera Confessione supplere defectum sola illa repetendo aut explicando in quibus defecerit; sine aliorum peccatorum repetitione, quia legitimè fuerunt submissa Clauibus & aliàs Confessio sic bonâ fide facta, fuit valida,

Quid in defectu ex parte veritatis.

Dixi superiùs in Regula (*nisi aliunde suppleatur*) qui enim tenetur Confessionem totam reiterare, si Sacerdotem cui aliàs est confessus legitimâ auctoritate insignitum reperiat, cui sit adhuc aliqua moralis memoria præteritorum, poterit postquàm se accusauit in genere de primis ipsi inualidè confessis, quorum memoriam moralem Confessarius habet, supplere defectum per Confessionem specialem eorum quæ tacuit, vel non legitimè confessus est, vel per reproductionem veri doloris si defuit. Videantur quæ suis locis latiùs explicata sunt, hæc enim per recapitulationem sunt dicta, & velut recollecta sub compendio ad faciliorem memoriam.

Modus supplendi defectus.

APPENDIX II.

De Secreto, & Sigillo Confessionis

MVlta hic congeruntur à Doctoribus. Ergo verò Sto firmus in hac propositione & doctrina quam tradidi *Tract. 1. Quæst. 14.* duabus Conclusionibus, nimirùm: Secretum & Sigillum Confessionis non solùm Jure Naturali, sed Diuino ex Institutione CHRISTI, ita huic Sacramento annexum esse, vt nec Ecclesia tota, minùs Sacerdos aut Pœnitens, in eo dispensare posit aut illud soluere. Hoc ibi longè latèque probatum est, ex qua doctrina infero sequentes Conclusiones.

CONCLVSIO I.

SAcerdos peccat mortaliter directè vel indirectè, signis vel factis peccatum in Confessione auditum, aut quod occasione Confessionis in hoc Tribunali manifestatũ est, quouis modo reuelat. Ratio clara est: Quia Præceptum Diuinum ex institutione CHRISTI sibi impositum, in re grauissima transgreditur.

Dixi (*Qui directè, vel indirectè, signis vel factis*) ista enim æquiualent, & iniuriam grauem non solùm Pœnitenti, sed etiam Sacramento inferunt. Vnde peccati illius Reum existimo Confessarium, qui auersionem aliquam à Peccatore ex notitia accepta ex Confessione concipit: Qui suffragium ad aliquod officium negat, quod alias non negaret: Qui quovis modo in aliquod gravamen temporale vel spirituale Pœnitentis qui scientia ex Confessione acceptâ, utitur extra Sacramentum, quamvis etiam in utilitatem spiritualem Pœnitentis uteretur. *Ratio est*: Quia sigillum sacramentale tantùm est, ut nefas sit extra sacramentum illud solvere; Unde etsi præceptum Clementis VIII. Prohibentis sub peccato mortali, nè Confessarij Religiosorum, ad Officia & Prælaturas suæ Religionis assumpti, scientiâ acceptâ in Confessione in suo regimine utantur, Regulares solos, quatenus est à pontifice, comprehendat: credo tamen illud ipsum præceptum, ita ex institutione CHRISTI & Sacri Sigilli manare, ut nemini, etiam Sæcularium, sub peccato mortali liceat uti ista scientia in Confessione accepta respectu cuiuslibet Pœnitentis, in quocumque etiam sæculari Regimine. Est enim talis usus, ut plurimùm in gravamen Pœnitentis & in injuriam Sacratissimi Sigilli Sacramenti quod pro divino Mysterio huic Tribunali adjunctum est.

Revelatio sigilli quale peccatũ.

CONCLUSIO II.

PEccatum mortale Commissum contra Sigillum Confessionis, non est tantum peccatũ contra Charitatem & Iustitiã de conservanda fama proximi: sed est Sacrilegium, ob profanationẽ Sigilli Sacri, & Sacramenti quod hoc Sigillo decoravit CHRISTVS. Hæc Conclusio infertur, ex tota Doctrina & Verbis Patrum, ac sensu Ecclesiæ, prout deduximus dicta *Q. 14. Tract. 1.* Unde & suspensionis pœnam & detrusionem in Monasterium frangenti hoc Sigillum infligendam, decrevit Ecclesia.

Violare sigillum est sacrilegiũ.

CONLUSIO III.

NOn potest Confessarius absque peccato Sacrilegij, uti scientia accepta in Confessione etiam de licentia Pœnitentis, nec licentiam talem dare potest Pœnitens. Ratio mea est: Quia nõ solùm in favorem Pœnitẽtis hoc Sigillo celatum voluit Christus hoc Tribunal, sed etiam in reverentiam Tribunalis Divini & Sacramentalis, quod utique est forum Dei invisibilis, in quo visibilibus quidem signis, invisibiliter tamen & insensibiliter Anima judicatur: in quo Conscientiarum solus Inspector Deus per Sacerdotem iudicat: *Est* enim teste S. Basilio in Asceticis Q. 288.) *unum ex Mysterijs Dei absconditis, quorum Oeconomia seu præfectura Sacerdoti est concredita.* Igitur in potestate pœnitentis non est dispensare; & dato quod cedat Juri quod habet in famã propriã, sicut tamen nullum Jus habet in bonum Sacramenti & Mysterium, sic nec in Sigillum quo suũ Tribunal sigillavit Deus Undè & *Leo Papa Epistola 57. alijs* 80. ad universos Episcopos Campaniæ condemnat quorumdam morem Pœnitentium qui sua peccata

Pœnitens non potest dare licentiam, utendi scientia in Confessione accepta.

S. Basil. in Ascet. Q. 288.

Leo Papa epist. 57. & 80. ad Epis. Cãp.

peccata publicè confiteantur, vocans: *Præsumptionem contra Regulam Apostolicam; illicitam usurpationem, & vituperabilem consuetudinem*. Quod verum non esset, si cedendo juri suo Pœnitentes, relaxationem Sigilli permittere licitè possent.

Dices: Communis torrens Doctorum admittit, quod Pœnitens possit licentiam dare Confessario, ut de actis & dictis in Confessione, extra Cnnfessionem agere possit, pro bouo aliquo spirituali vel temporali ipsius Pœnitentis, vel tertiæ personæ.

Tribus modis potest dici dare Confessario licentiā loquendi de dictis in Sacramēto. Primus modus Sacramentalis est.

Respondeo; Tripliciter posse intelligi Pœniteutem dare licentiam Confessario loquēdi extra Confesſionem de actis vel dictis in Confesſione.

Primò, Ut illud (*extra Confesſionem*) tantum excludat actualem Confessionem quam primò fecit, non tamen excludat secundum colloquium quod permittit & quod simul habet rationem & secretum Sacramenti, estque priotis Confesſiouis velut supplementum, ut sit sensus: Joannem qui Titio Confessario priùs confessus est, permittere vel rogare Titium ut de rebus actis vel dictis in Confesſione, alias iterum loqui posſit, non ad novum aliquod peccatum confitendum, sed ad supplendum aliquem defectum, vel consultandum de aliqua difficultate priorem Confesſionem tangente; ita ut hoc posterius colloquium, quacunque cæremonia fiat, sit Sacramentale, & sub eodem Sigillo tanquam complementum Confesſionis Titio factæ, contineatur, ad quam velut retrotrahitur. Et in hoc sensu nulla est difficultas, sicut enim hoc secundum colloquium ad acta & dicta vel supplenda aliqua quæ ad priorem Confesſionem pertinebant, refertur, sic Sacrum secretum & Sigillum participat, sub quo etiam hoc secūdum colloquium utrinque celandum est. Permiſsio enim hæc tantum operatur, ut Ministerium Sacramentale sive actus Tribunalis, qui prius completus & absolutus non fuit, possit ob bonum Pœnitentis aliqua sui parte ad consultationem vel alicuius suppletionem repeti; quod non poterat per se Sacerdos, nisi permittente & volente Pœnitente.

Secundus modus, extra Sacramentalem notitiam facit.

Secundò, Quod dicunt (Pœnitentem posse permittere Confessario ut de actis & dictis in Confesſione possit agere extra Confesſionem) intelligi potest eo sensu: Quod Pœnitens notitiam in Confesſione acceptam sive notitiam Sacramentalem, sua permiſsione faciat extra Sacramentalem sive extra Sacramentum acquisitam, ideò quod hoc ipsum quod in Sacramento dixit; explicitè vel implicitè extra Sacramentum dicat, & velut repetat, hoc vel simili sensu: Quod tibi dixi in Confessione, hoc ipsum jam tibi dico & manifesto extra Confesſionem, ut liberius mecum vel eum alio de hoc pro meo vel Tertij bono, loqui possis. Et in hoc sensu non est dispensare vel relaxare Sigillum Confessionis, sed est mutare materiam & rem notam in Sacramento, foris manifestare, Quod sine dubio, salvo scandalo & debitis conditionibus servatis, à Pœnitente fieri potest.

Tertius Sacramentalis notitiam profanat & mortale peccatum est.

Tertio, Præfata propositio sive doctrina intelligi potest in sensu composito, ut permittat Pœnitens Confessario loqui de actis & dictis in confesſione, quatenus reduplicativè in confesſione acta & dicta sunt, permittendo ut dicantur extra totum Sacramentum & rationem Sacramenti, cedendo Iuri Sigilli, sive relaxando Sigillum. Et in hoc sensu æstimo doctrinam illam falsam, nec credo posse probabiliter sustineri cum, ut dixi, Ius Sigilli non pendeat à Pœnitente sicut nec à Confessario, sed annexum sit rei sive Sacramento, & quamvis cedat in favorem Pœnitentis, specialiter tamen annexum est dignitati & reverentiæ Sacramenti, adeoque illi Iuri nec Pœnitens, nec Confessarius cedere possunt, ut supra probatum est. Signum autem ex quo colligitur Sacerdotem uti ex facultate Pœnitentis, notitia Sacramentali qua Sacramentalis est, illud erit: Si habeat facultatem dicendi ad majorem certitudinem & credulitatem quod ex Confesſione habeat, & quod Pœnitens dederit sibi facultatem ea quæ dixit in Confesſione, foris pertractandi. Quod quam multis pateat calumnijs & dolis, quilibet arbitret esto.

Primo modo dicta ad Sigillum pertinent.

Ex quibus omnibus *Infero primo*: Si Pœnitens det licentiam primo modo, ut colloquium Sacramentaliter (etsi externæ cœremoniæ non servarentur) repetatur ad consultandum vel supplendum aliquem defectum Confesſionis præcedentis, tunc omnia quæ in secundo colloquio dicuntur, sub Sigillo Sacramentali obligare ad secretum, quia vere istud colloquium retrotrahitur ad priorem Confesſionem, & eius quoddam supplementum est: Si verò, secundo modo notitiam Sacramentalē, faciat sua permiſsione extra-Sacramentalem, obligare tantum juxta conditionem colloquij, ad Secretum naturale; quia sicut materia mutat conditionem suam à Sacramentali in externam & extra-Sacramentalem sic ratio Secreti mutatur juxta conditionem notitiæ quam afficit;

Secundo modo dicta non pertinent ad Sigillum.

Peccat mortaliter Sacerdos & Pœnitens tertio modo utens.

Infero secundo, Remanente tū ex sui conditione, tum ex intentione Pœniteutis notitia Sacramentali; peccare mortaliter Pœnitentem qui permittit; & Confessarium qui tali permiſsione fretus, utitur notitia Sacramentali extra Sacramentum: sive qui loquitur de actis & dictis in Sacramento Pœnitentiæ, quatenus in Sacramento Pœnitentiæ sunt dicta; prætextu permiſsionis ipsius Pœnitentis. Ratio frequenter in superioribus est dicta: Quia hoc est profanare Sigillum & Sacrum. Mysterium huius

Tri-

Tribunalis in Secreto & Sigillo consistens, quòd nec à pœnitente dependet, nec in eius potestate positum est.

Non licet sub mortali peccato, inducere Cõfessarium ut ex notitia Sacramentali Complicem vel tertiam personam moneat.

Infero tertio, Sacramentum hoc & Sigillum omninò profanare, & mortaliter etiam peccare eos, qui complicis aut tertiæ alicuius personæ peccata & defectus Confessario aperiunt in Confessione, & prætextu permissionis & facultatis illicitæ, inducunt Confessarium ut complicem vel tertiam personam moneat, corrigat, illam examinet, &c. putantes se credulitatem perfectam nancisci ex eo, quod prætextu charitatis & pietatis ista in Confessione in qua mentiri non licet, dicant vel potiùs effutiant. Nec minus Sacrilegium, imò maximũ committunt Confessarij, qui tali licentia freti, apud complicem vel tertiam personam de dictis & actis in Confessione agunt. Horribili porrò & nefando Sacrilegio culpabiles sunt, qui licentias & facultates loquendi vel agendi de dictis in Confessione, tum circa Pœnitentem, tum circa tertiam personam, extorquent, & harum licentiarum prætextu sacrilege utuntur scientia accepta in Confessione ad corrigendos, imò & apud Superiores accusandos complices & personas tertias, &c. *Ratio est*: Quia (ut rationibus supra & *in Q. 14. Tract. 1.* repetitis, hanc supperaddam) est contra totum finem Confessionis institutæ à CHRISTO: finis enim unicus propter quem Sacramentalem Confessionem, ut necessariam à CHRISTO institutam, fuisse contendimus, ex hoc solo capite deducitur, quod necessaria sit notitia peccatorum in Sacerdote ad hoc ut de illis iudicet, sive ut illa remittat vel retineat: atqui remittere & retinere peccata, est actus Sacramentalis ita intra Sacramentum remanens, ut extra fieri non possit: Ergo quicũque usus illis notitiæ extra Sacramentum, est contra totum finẽ Confessionis pro ut à CHRISTO instituta est ergo usus quicumque notitiæ Sacramentalis extra Sacramentum, profanus est & sanctitatem Sacramenti profanat, nec ulllius facultati vel potestati committi potest, utpotè contra institutionem CHRISTI. Prætermitto quòd profanæ illæ licentiæ sint seminaria detractionum, infamationum, iniuriarum, vel anima inuidiarum, odiorum, suspicionum, quinimò & pessimorum actuum subtiles illecebræ: vt ex varijs euentibus ego ipse qui hæc scribo, expertus sum, dum apud me, vbi Superior fui, à Confessarijs etiam extra hunc ordinem ad me delatæ fuerunt quærimoniæ contra aliquos innocuos subditos, quas filiæ quædam quæ devotæ finguntur, in Confessione effutiverant cum licentia & facultate facta Confessarijs suis ut per illos denuntiarentur mihi: quas postea falsas ipse in primis Confessarius deprehendens, ad me venit deceptionem suam agniturus, & famam innocuorum sacrilego Confessionis Sacræ ab usu sublatam, restituturus. Fugite quæso, pestem illam non tantum ut malorum originem, sed ut per se illicitam & CHRISTI institutioni contrariam. Nec sibi blandiatur quispiam de opere charitatis, & quod in bonum vel Pœnitentis vel Tertij, utatur. Ille enim abusus est: Et tibi quidem permittitur Pœnitentis bonum intra limites & jura Sacramenti quærere, non autem foris sacra illa notitia & sigillo abuti. Consule si quæ consulenda habes, adhibe in Sacramento si quid potes: Extra Sacramentum sicut tu non es Iudex, sic nec Sacramentalis Consultor in ijs quæ in solo Sacramento sunt proposita: si quid foris agendum est, media non desunt tam in spiritualibus, quam in temporalibus negotijs & pertractandis & dirigendis: unicuique juxta rei conditionem sua stat via, suum forum absque Sacramento vel notitia in Sacramento accepta. Excuset Lector si serventius hæc prosequor, scio enim quanta mala ex profano illo abusu proveniant.

Nota.

Gravissimus casus.

Nota.

Casus gravis.

Notanda Doctrina.

Petes primo, An liceat Confessario imponere vel persuadere Pœnitenti ut quæ dixit vel egit in Confessione, foris extra Sacramẽtum dicat, maxime ubi de aliqua culpa tertiæ personæ agitur? *Ex. g.* Mulier mihi confitetur se à Ioanne sollicitari ad adulterium vel fornicationem; An liceat mihi illi imponere, ut de hoc ipso me informet extra Sacramentum, vel ut Superiori indicet per se, vel personam interpositam. *Item*: Confitetur quis se cum aliquibus complicibus conspirasse in perditionem Civitatis; An possim illi imponere ut persônas accuset, si à sua conspiratione nolint efficaciter cessare? vel ipsum cogere ut mihi extra Sacramentum hoc ipsum dicat, ut possim hoc ipsum indicare? *Item*: Confitetur meretrix se cum aliquo Religioso impudice conversari: An liceat mihi imponere ut Prælato Religiosi indicet, aut urgere ut mihi extra Confessionem dicat quatenus Superiorem possim monere? *Ratio dubitandi est*: Quia charitas urget, ut malum quod imminet Civitati vel Religioni, impediatur.

Notabilis Casus.

Respondeo primo, Si persona quæ confitetur sub peccato mortali in conscientia teneatur malum imminens quovis modo avertere nec possit alio, quam monendo Magistratum, vel Superiorem, aut manifestando Complicem: Confessarium posse illi imponere ut moneat Magistratum vel Superiorem, etiamsi, necesse fuerit Complicem vel Complices manifestare.

Quando Confessarius possit imponere pœnitenti peccati manifestationem.

Ratio est: Quia in hoc Confessarius perfungitur munere suo, & tantùm declarat obligationem quam habet Pœnitens in conscientia, quam si non sit paratus adimplere, non est dispositus ad Sacramentalem Absolutionem: Imo in tali statu, peccatum mortale Sacrilegij Confessarius commit-

committeret Absolutionem sic indisposito Pœnitenti dando, & Pœnitens recipiendo, Vnde si absolute non velit dimittendus est, quæ autem dixit sub Sigillo Confessionis itá clausa manent, vt, quamuis perituram videret Ciuitatem, & Religionem gravem jacturam passuram, non possit ullatenus dicta in confessione manifestare.

Quando manifestatio peccati imponi non possit extra Sacramentum.

Respondeo secundo, Si Persona quæ confitetur, alias non teneatur in conscientia ad hujusmodi manifestationem: Confessarium non posse illi hanc manifestationem imponere sine peccato Sacrilegij. ***Ratio est***: Quia Secretum sive Sigillum tantum est, ut non solum debeat præcavere omne gravamen Pœnitentis, sed etiam gravamen cujuscumque tertiæ personæ: hic autem Confessarius imponens Pœnitenti ut Complicem vel Sollicitatorem Superiori manifestet, ex occasione scientiæ in Confessione acceptæ hoc facit, & consequenter notitia accepta in Confessione dat causam huic manifestationi externæ & gravamini quod ex tali manifestatione externa, tertia persona incurrit. Undè Sigillum si non primario & directe, secundariò tamen & indirecte solvitur, hoc ipso quod ex sola notitia in Confessione accepta, revelatio illa derivatur, quæ, ut suppono, alias personam manifestantem non obligabat in conscientia.

Doctrina necessaria.

Unde ***Respondeo & dico tertio***: Confessarium Sacrilegij culpam incurrere, qui sibi extra Confessionem curat dici sive manifestari Sollicitatorem, Complicem, vel Peccatorem ad avertenda mala hujusmodi quæ in exemplis suprà positis sunt allata, & vt possit illos manifestare Superioribus. ***Ratio est*** Quia huic manifestationi, notitia in Cõfessione accepta, dedit causam, vndè reverà Sigillum in directè & secundariò solvitur, idque in gravamen tertiæ personæ.

Dixi notanter in omnibus (***quando in gravamen Pœnitentis vel tertiæ personæ quævis revelatio criminis urgeret***) Si enim nec Pœnitenti, nec tertiæ personæ immineat vllum imaginabile gravamen, aüt gravaminis periculum, licet interdum manifestationem externam & consulere & imponere pro vt ratio negotij postulat: quia nihil exinde læditur Sigillum Confessionis, nec vlla ei irreverentia, vel nota inuritur.

Nunquam debet Confessarius manifestationem tertij in se suscipere.

Respondeo quarto: Etsi Pœnitens teneatur etiã per tertiã personã crimen alicujus Tertij foris manifestare: non facile Confessarius id debet in se assûere. ***Ratio est***: Quia inde suspiciones contra Sigillum apud infirmos & ignorantes gigni possunt: vnde & Confessio redditur odiosa, & calumnijs ac detractionibus malevolorum exponitur: præterquam quòd vt suprà notavi, malevola vel malevolus aliquis, mendacijs aliquando Confessarium dementet, vt alteri noceat: Exempla singulis fere diebus occurrũt Honor itaque Sigilli sacri omnibus istis secundarijs emolumentis præferendus est.

Petes secundo. Qui teneantur ad Sigillum Sacramentale;

Sacerdos tenetur ad Sigillum.

Respondeo Primò, & per se Sacerdotem siuè Confessarium teneri: ***Ratio est***: Quia ad ipsum primò & per se notitia peccatorum dirigitur vt de illis iudicare possit.

Omnes qui ad Sacramentalem notitiam voluntarie concurrunt tenentur ad Sigillum. 3 Superiores Interpretes.

Respondeo secundo: Per accidens & secundariò omnes qui voluntariè ad Sacramentum siuè ad notitiam in Sacramento datam, concurrunt, vt sunt Superiores & alij qui super casibus in ordine ad Confessionem, consuluntur. ***Item***: Interpretes qui assumuntur, cum enim sint interposita persona tum Pœnitentis ut confiteatur, tum Confessarij ut peccata intelligere possit, Sigillum verò in sua latitudine requirat ut notitia in Confessione accepta, secreta maneat, necessariò etiam interpretum attingit, id quidem per accidens, quia & ipse per accidens ad hanc cooperationem in Sacramento concurrit.

Dico (***qui voluntariè ad hoc Sacramentum concurrunt***) qui enim cogeretur interpretari contra Voluntatem, etsi Secreto naturali obligaretur ad non revelandum: non tamen Sigillo Sacramentali ***Similiter***: Qui malitia vel casu auscultat sive audit peccata quæ in Secreto Confessionis, Pœnitens manifestat ***Ratio est***: Quia cum Sigillum pertineat ad ipsum Sacramentum, non potest afficere non concurrentem ad illud qui autem malitiosè vel casu audit, reverà ad Sacramentum non concurrit. Et Interpres coactus per vim, etsi materialiter interpretetur quia cogitur, non videtur tamen formaliter intendere ad concurrendum Sacramento, vel se ad Sacramenti gravamina obligare, cùm contra Voluntatem & mentem id faciat, Sigillio tamen naturali tenebitur propter obligationem è re natam

Petes tertio: An Pœnitens Sigillo Sacramentali teneatur;

Respondeo quod non: Cum enim tota notitia peccatorum sit ipsi naturalis, nisi in alio præcepto prohibeatur, potest illa notitia uti, ubi legitima occasio sese offert, Tenetur tamen Sigillo naturali tacere ea, quæ forte vel in Sacramenti aliquam irreverentiam, vel in Confessarij aut alicujus Tertij irrisionem, aut confusionem, aut notabile gravamen cederent. Vnde peccant graviter qui ad irrisionem Pœnitentias sibi iniunctas propalant, Confessarios graviter pro nonnullis in Sacramento contingentibus, irrident, &c. ob irreverentiã quæ fit Sacramento & in ijs quæ in Sacramenti administratione, Sacramento aliquo modo fuerunt conjuncta.

Attendenda est verò ratio modi, & qualitatis culpæ; potest enim esse mortalis tum ob irreverentiam Sacramenti, tum ob injuriam personæ.

Petes

Petes quarto: Quæ sunt quæ sub sigillo celanda veniunt;

Respondeo: Peccata & omnia quæ occasione peccatorum ex intentione Pœnitentis in Confessione dicuntur vel fiunt. Illa verò dicuntur occasione peccatorum fieri vel dici, non solum quæ de facto notitiæ peccatorum deserviunt, & quæ ad explicanda peccata, ad consultationem, vel ad remedium adducuntur, sive ipsa sint remedia & Pœnitentiæ (quia ex his facilè ad cognitionem peccatorum deveniri posset) sed etiam quæ ex ignorantia, imbecillitate ingenij, naturali loquacitate, vel imprudentia à Pœnitente bona fide in Confessione narrantur, etsi ad illam non pertineant. *Ratio vero est*: Quia latitudo Sigilli totum Sacramentum ita munire censetur, ut ex eo nulli gravamen contingere possit. Ad hunc enim finem constitutum est Sigillum, ut omnia muniat quæ sub Sigilli munimento etiam ex opinione erronea, bonâ fide committuntur in Sacramenti susceptione: Contingere sanè posset ut impertinentia quædam in Sacramento dicta, plus gravaminis inferrent Pœnitenti, quam propria peccata. Quia verò occasione confessionis illa Sigillo committit Pœnitens, secundariò & per accidens Sigillo muniri censentur. Nota bene

TITVLVS VII.

De tertio Actu Pœnitentis qui est Satisfactio Sacramentalis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Satisfactio Sacramentalis?

CONCLUSIO VNICA.

Satisfactio Sacramentalis est opus bonum pœnale in Sacramento Pœnitentiæ a Confessario impositum, ad pœnæ temporalis peccati confessi debita, compensationem sive solutionem.

Dixi (*opus bonum*) neque enim Deo satisfieri potest per opus quod de genere bonorum non sit, imò nec per aliquod opus quod Deo gratum non sit.

Dixi (*pœnale*) cum enim omne opus bonum in gratia factum, triplicis virtutis sit, nimirum: *meritorium*, quia à charitate procedit, *impetratorium*, quia gratum Deo est: & *satisfactorium*, quia laboriosum & pœnale est, opus bonum ab hoc ultimo, sortitur rationem satisfactionis. *Triplex virtus boni operis.*

Dixi (*in Sacramento pœnitentiæ a Confessario impositum*) ad excludenda omnia opera satisfactoria & pœnalitates, quæ vel propria Voluntate assumuntur, vel aliunde imponuntur, vel à Deo sic disponente, nobis proveniunt in satisfactionem peccatorum. Etsi enim sint veræ Satisfactiones, ad Forum tamen Pœnitentiæ non spectant, & Sacramentales dici non possunt.

Dixi *ad pœnæ temporalis peccatis confessis debita, compensationem sive solutionem*) etsi enim omnia peccata mortalia quoad culpam dimittantur per Absolutionem, remanet tamen ordinariè aliqua pœna temporalis in judicio Dei solvenda, nisi vehementia Contritionis totam pœnam deleat, ut in nonnullis contingit.

Per hanc particulam etiam excluduntur onera quæ interdum pro peccatis ex natura criminum à Confessarijs imponuntur, ut fuga occasionum, restitutio famæ & bonorum, compensatio injuriarum, reconciliatio inimicitiarum. Hæc enim etsi satisfactoria sint, ordinariè tamen in satisfactionem Sacramentalem non imponuntur, sed Confessarius tamquam iam debita injungit, quia Pœnitens ad ea ex natura criminum vel status, in quo est, obligatur. Ita ut injunctio Sacerdotis sit potiùs declaratio obligationis, quam pœnitentiæ impositio. Nota.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit opus, quod pro Satisfactione Sacramentali à Confessario injungi potest?

CONCLVSIO VNICA.

Triplex opus ordinariè assignantur quod pro Satisfactione Sacramentali à Sacerdote injungi potest, ad quæ cætera reducuntur, nimirum: *Oratio, Jejunium, Eleemosyna.*

Sub *Oratione*, comprehenduntur actus omnes Religiosi qui ad Deum referuntur, ut actus Fidei Spei, Charitatis sive amoris in Deum, Actus laudis, Gratiarum actionis, Genuflectiones, Adorationes, Ecclesiarum visitationes, &c.

Sub *jejunio*, comprehenduntur omnes austeritates corporales, cilicia, humicubationes, disciplinæ, peregrinationes, mortificationes spirituales, &c.

Sub *eleemosyna*, omnia opera misericordiæ corporalia & spiritualia & id genus charitatis ad proximum.

QUÆSTIO III.

Quis sit effectus Pœnitentiæ sive Satisfactionis Sacramentalis?

CONCLVSIO UNICA.

Præter virtutem Satisfactoriam omnis operis boni in gratia facti; Satisfactio Sacramentalis virtutem habet specialem ex opere operato, ad aliquam partem pœnæ peccatis debitæ exsolvendam, quam non haberet, si illud ipsum opus esset voluntariè assumptum, aut aliunde impositum. *Ratio* sumenda est ex communi virtute Sacramen- *Effectus primus Satisfactionis Sacramentalis, Pœnæ diminutio*

mentorum, quæ, præter gratiam quam de condigno opus bonum in gratia factum meretur, aliquam specialem portionem gratiæ ex opere operato virtute Sacramenti, conferunt. Cum igitur Satisfactio sit pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ ad solutionem pœnæ specialiter instituta, virtute Sacramentali aliquem specialem effectum ex opere operato habebit. Quinimò, cùm virtutem omnimodam Sacramenti ut pars integralis participet, arbitror etiam Sacramentalem aliquam gratiam, hoc est, auxiliū aliquod gratiæ ad Satisfaciendum à Deo conferri, cùm sit hoc proprium omni Sacramento secundum totalitatem suam Et hoc sensu dicunt passim Theologi, Opera in Sacramento Pœnitentiæ per Sacerdotem imposita, elevari ad effectum aliquem supernaturalem & Sacramentalem. Illa enim Elevatio præter ordinationem quandam divinam, quā decrevit isto opere tantam pœnam exsolvi, dicit etiam quoddam auxilium speciale Deo soli cognitum, quo Pœnitens singulariter adjuvatur in opere præstando.

Effectus secundus, gratiæ augmentum.

Dixi (*ad aliquam partem pœnæ peccatis debitæ exsolvendam*) etsi enim non desint qui sentiant: Si secundum arbitrium Confessarii, justa Pœnitentia imponatur, totam pœnam remitti virtute Sacramenti; Non videtur tamen conforme Scripturæ & SS. Patrum doctrinæ: Scriptura enim, *De propitiato peccato non vult nos esse sine metu*, utique propter pœnas peccati persolvendas. Et quantumvis Pœnitentibus injungit Baptista, *Ut faciant fructus dignos Pœnitentiæ*. Denique etiam peccato remisso, *Amplius lava me* postulat Psaltes. Sicut igitur cuilibet Sacramento assignata est portio Gratiæ singularis quam conferat, sic & portio pœnæ deletiva assignata est Satisfactioni Sacramentali. Quæ tamen Satisfactio si pœnæ totali debitæ æquivaleat, totam tollit ex ratione justitiæ & æquitatis.

Psal. 50. 4.

Petes primò: An cōfessarius possit opera omnia, quæ Pœnitens faciet, ad hunc effectum specialem elevare? Et, An id de facto facere censeatur cùm dicit: *Cætera bona per te facta & facienda, cedant tibi in remissionem peccatorū?*

Quæ opera eleuent satisfactionem Sacramentalē.

Respondeo primò, Posse interdum multa opera futura in genere elevare, ut *Ex. g.* omnia jejunia, omnes orationes, eleemosynas quas quis certo tempore facturus esset, utpotè spatio aliquot mensium, vel anni, &c. *Ratio est*: Quia nil repugnat; & sicut potest imponere Pœnitentiam septem annorum in certo opere, sic in pluribus operibus, quæ tali tempore Pœnitens operari potest.

Respondeo secundò: Cùm Sacerdos sic plura opera elevaret, illa deberent esse aliquo modo determinata, sive per ipsorum operum expressionem utpotè *Ieiunia vel Eleemosynas quas facies*, sive per tempus ut *quæ tanto tempore facies*. Quia sententia Judicialis debet aliqua ratione determinari.

Respondeo tertiò: Verba quæ Sacerdos dicit: ut *Cætera bona per te facta*, &c. vel *Passio Domini nostri*, &c. & *Quidquid boni egeris vel mali sustinueris* cùm duntaxat deprecatoria sint, quibus benè precatur Sacerdos Pœnitenti, illa non elevari ad virtutem Satisfactionis Sacramentalis.

Petes secundò, An Satisfactio in Sacramento imposita, debeat fieri à Pœnitente in Gratia existente?

Respondeo, Ut effectum sortiatur, debere fieri à Pœnitente in Gratia: *Ratio clara est*. Quia peccatum mortale impedit omnem effectum Dei gratiosum, Et sicut in opere quolibet bono non tantùm meritum, sed & impetratio, & satisfactio per peccatum mortale impeditur, sic & in opere Sacramentali.

Satisfactio ut effectum sortiatur debet fieri in gratia.

Addo quod quamvis Præcepto Sacerdotis Pœnitens in peccato mortali satisfaciat, non videtur tamen immunis à peccato veniali, quia bono Sacramentali se privat. *Lege Scotum nostrum in 4. d. 15.* Ubi ostendit Satisfactionem in peccato mortali, non esse reconciliantem aut placabilem, &§. *De quarto principal.* dicit mortuam.

QUAESTIO IV.

An teneatur Confessarius semper imponere Satisfactionem Pœnitenti, & quantam?

CONCLUSIO I.

Regulariter tenetur Confessarius imponere aliquam Pœnitentiam seu Satisfactionem Pœnitentis in Sacramento Pœnitentiæ. Ratio est Quia Satisfactio in Sacramento imposita, est pars integralis Sacramenti: Tenetur autem Confessarius, quantum regulariter fieri potest, curare ut integrum administret Sacramentum.

Pœnitentia aliqua regulariter imponenda.

Dixi (*regulariter*) Contingere enim potest casus in quo nec rationabiliter imponere potest, nec ipsa rationabiliter fieri: ut cum quis administrat Sacramentum moribundo vel agenti Animam, *Item*: In periculo naufragii, &c. Quamvis signum aliquod imponere possit: ut, invocationem Nominis Jesu corde vel ore, aut brevem aliquam oratiunculam, ut *Deus propitius esto mihi peccatori*, si Pœnitens sit capax.

CONCLUSIO II.

Non tenetur Confessarius imponere Pœnitentiam sive Satisfactionem pœnis peccatorum confessorum æqualem, vel aliquo modo proportionatam. Ratio est, quia pœnæ debitæ in foro Dei quæ solvendæ remanent pro peccatis mortalibus, sive pro venialibus, nobis sunt absolutè incognitæ: Quinimò, si in die Judicii de omni verbo otioso quod dixerint homines,

Pœnitentia Sacramentalis non proportionatur peccatis.

nes, oporteat reddere rationem, & consequenter solvere pœnam; quanta majoribus peccatis pœna debebitur? Etsi (teste Psalmista) *Delicta quis intelligit?* Quis etiam eorum pœnas in foro Dei debitas, intelligere poterit? Nec refert, quod ab Ecclesia fuerint aliquando taxatæ pœnitentiæ & satisfactiones septem utpotè annorum pro peccato uno mortali. Hæc enim taxatio fuit arbitraria pro peccatis externis, & in foro Ecclesiastico ad terrorem peccatorum, & decorem Ecclesiasticæ justitiæ, nihil ad forum conscientiæ sive ad Tribunal Animæ sacramentale pertinens, quod non est fori Ecclesiastici humani, sed fori divini, sub Sacramenti ratione à Deo instituti. Deinde nec singulis peccatis unquam fuerunt decretæ pœnæ, sed quidam generalis modus pœnitentiarū pro omnibus: Constat verò non omnia peccata mortalia esse paria. Quinimo *Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 8 de Pœnit.* agnoscens impossibilitatem imponendi æquales peccatis pœnas, & satisfactiones, in doctrina satisfactionis pro majori parte agit de satisfactione extra sacramentali, quâ homo facit totâ vitâ suâ fructus dignos pœnitentiæ. *Et cap. 9.* docet, Nos non solùm pœnis spontè nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis, *&c.* satisfacere.

Psal. 18. vers. 13.

Nota.

CONCLUSIO III.

QUalitas & quantitas pœnitentiæ à Confessario injungenda pro peccatis, est planè arbitraria & in arbitrio Confessarii constituta, cui permittitur de illa disponere quantum (inquit Concil. Trident.) *Spiritus & prudentia suggesserit pro qualitate criminum & pœnitentium facultate* Ita ut nec ex nimia indulgentia peccatis videantur connivere, nec ex nimio rigore peccatores exterreant & avertant.

Concil. Trid. sess. 14. c. 8. de Sacram. Pœnit.

Ex quo, *Dico primo*: Pœnitentiam & satisfactionem, quæ in Sacramento pœnitentiæ imponenda est; debere esse misericordem, & ad medicinalem castigationem. Quia, *ut ait Tridentinum Sacramentum pœnitentiæ*; non est *Forum iræ vel Pœnarum*, hoc est, institutum ad iram exercendam in pœnitentem, vel ad illum gravandum vinculis pœnarum, sed tantum ad misericordem & piam aliquam vindictam & castigationem paternam peccatorum, cum primarius hujus Tribunalis effectus sit, *Remittere & Solvere*: secundarius autem tantùm *Ligare*, ut castigatio & pœna imposita, decorem aliquem justitiæ inducat, de qua posteà.

Pœnitentia debet esse misericors.

Idem suprà

Dico secundo Qualitatem delicti non tam expendendam in ratione pœnarum coram justo Dei judicio debitarum (hoc enim sicut homini impossibile est scire, ita & pœnam correspondentem divino judicio impossibile esset homini in hac vita imponere) sed debere expendi juxta gravitatē injuriæ & aversionis à Deo, ac juxta damnum spirituale quod (præter privationem cōmunem gratiæ omni peccato mortali annexam) peccatori ipsum peccatum infert, ad hoc ut Confessarius peccatori seriò obligationem suam, peccati gravitatem inculcet, eumque ad satisfactionem aliquam in Sacramento aut extra, disponat, & factò ostendat per pœnitentiam in Sacramento positam, plenariè non satisfacere. *Ratio est*: Quia pœnæ peccatis confessis debitæ, per varios alios modos solvuntur: ut pœnis & castigationibus voluntariè assumptis, flagellis divinis patienter toleratis, Indulgentiis, frequentatione sanctissimæ Eucharistiæ, & Missæ auditione (cuius præcipuus effectus in fructu satisfactorio ex opere operato consistit (& aliis operibus in gratia factis: Ergò non debet adhiberi tanta æstimatio gravitatis pœnæ debitæ ad sacramentalem pœnitentiam injungendam.

Pœnitentia sit satisfactoria.

Dico tertio: Pœnitentium dispositionem & conditionem attendendam esse, nun tantùm in fortitudine corporis ad austeritates imponendas, aut in vacatione ab impedimentis ad orationes injungendas, aut in bonis fortunæ ad eleemosynas faciendas: sed dispositionem illam considerandam esse in animi promptitudine, inclinationibus, fragilitatibus, infirmitatibus animæ & corporis, obligationibus vel occupationibus aliis: ne exponantur periculo non faciendi quod injunctum est, & transgressiones multiplicandi, cum horrore quodam Sacramenti Pœnitentiæ, Quo enim fructu, hominem aliàs indevotum & cui nimium est unam aut alteram orationem Dominicam recitare, aut unam Missam in Dominica vel Festo audire, onerabo multis Rosariis, Psalmorum recitationibus, aut auditione plurium Missarum in die? Quâ spe hominem vix ullis jejuniis Ecclesiæ satisfacientem, supererogatoriis jejuniis gravabo? Quâ prudentiâ hominem avarum & qui vix sibi benefacit, ad multam largitionem eleemosynarum subitò obligabo? Quâ consideratione delicatum homuncionem, cui linum tanti fper grossius pro gravi austeritate est, ad portandum cilicium per impositionem pœnitentiæ cogam? In his certè multâ prudentiâ opus est, & attendenda frequenter magis est animi dispositio & aliæ circumstantiæ, quam substantia facti, peccati qualitas in se, aut personæ fortitudo, vel fortuna.

Pœnitentia sit pœnitenti accommoda.

Dico quarto: In satisfactione imponenda 3 fines hos spectandos. Primo: ut quantum fieri potest, pœnitentia imposita fit in aliquam faltem castigationem & vindictam: Secundò, ut aliquo modo referatur ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum. Ita *Concil. Trid.*

Pœnitentia medicinalis sit.

JUDI-

Judicium Auctoris.

De Pœnitentiis moderno tempore imponendis pro instructione consolatoria Confessariorum.

QUia ad hæc modò tempora devenimus in quibus succrescente hominum flagitate & abundante iniquitate, planè refriguit Charitas, ità ut plùs modò laborare debeat Confessarius, qualiter Pœnitentem ad veram Pœnitudinem & vitæ emendationem inducat, quàm ut eum Pœnitentiis ac satisfactoriis exercitijs & operibus gravet, volui ex multis experientijs, Quid mihi simpliciter videatur? aperire; conformiter tamen ad Sacrorum Canonum Decreta & Sanctorum Patrum consilia, Suppositis itaque ijsque suprà totâ hac *Quæstione quartâ* diximus, nimirùm: Primò, Pœnas in Foro Dei debitas, nobis esse planè incognitas: Secundò. Illis non solâ Sacramentali Pœnitentiâ satisfieri regulariter, sed aliis operibus & pœnis, tum voluntariè assumptis, tum Voluntate & Permissione divinâ immissis, patienter toleratis, tum operibus bonis, Indulgentijs, imò & Purgatorii ignibus in futuro sæculo, &c.

Quid & Confessarius attendere debeat in pœnitentia imponenda

Noto primò: Confessarium in imponenda Pœnitentia non debere esse multum sollicitum de gravitate Pœnæ & Pœnitentiæ quam injungit, prout condignitati peccati commissi commensuratur, sed ad duo juxta *Concilium Tridentinum* magis debere attendere videlicet: Primò *Ne conniveant peccatis, & indulgentiùs cum Pœnitentibus agant*. Secundò *Ne levissima opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum particeps efficiatur*.

Concil. Trident. sess. 4. de pen. c. 8.

Hæc enim prudenti Confessario suggerit *Concilium Tridentinum*, cætera relinquens ejus arbitrio, quantùm spiritus & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate.

Quando non censeatur connivere peccatis.

Noto secundò: Confessarium non posse censeri connivere peccatis, aut eorum participem fieri: cùm seriò & graviter, charitativè tamen, Pœnitentem carpit, & de gravitate peccatorum & difficultate satisfaciendi illum informat. Et in hoc credo adhibendum studium Confessarij, ut oleum & vinum suo Pœnitenti infundat; nimirùm seriò illum de statu suo & periculo cum benignitate informando, ut cùm Pœnitentiis Sacramentalibus gravari non possit, fructus dignos Pœnitentiæ faciat; aliàs in Purgatorio arsurus. Undè quod dixit *Theodor. Cantuariensis Episcopus in suo Pœnitentiali* & habetur 26. *quæst.* 7. *cap.* 1. loquens de infirmis in periculo mortis: *Ab illis esse inquirendam puram peccatorum Confessionem, non tamen illis imponendam esse quantitatem Poenitentiæ, sed innotescendam* &c. hoc sæculo maximè arbitror faciendum, ut nimirùm, conetur Sacerdos innotescere facere Pœnitenti, quantitatem Pœnitentiæ peccatis debitæ, etsi eam non imponat, ut orationibus etiam alienis, & eleemosynarum, vel aliorum operum studiis, pondus Pœnitentiæ debitæ sublevare conetur. Indispositi enim ad Pœnitentiam subeundam, comparandi sunt, & ferè æquiparandi istis infirmis, qui ex infirmitate quovis modo contractâ, redduntur etiam indispositi & inhabiles ad medicinam quamvis aliàs utilem, recipiendam: Sic & Pœnitentibus contingit ut Pœnitentia aliàs utilis ob animi infirmitatem, aut impossibilis aut incongrua reddatur.

Theodor. Cantuar. Episcopus 26. q. 7. cap. 1. in pœnit.

Attendenda persona constitutio.

Noto tertiò: Qualitatem peccatorum in ordine ad imponendam Pœnitentiam debere considerari, prout hanc in individuo personam afficit, habitâ ratione ipsius malitiæ, passionis, fragilitatis, pravæ consvetudinis, occasionum: Ex his enim maximè concludendum est, quæ Pœnitentia, quantumvis misericors, Pœnitenti magis servire valeat sivè ad vindictam, sivè ad emendam.

Attendenda animi dispositio.

Noto Quartò: Facultatem personæ expendendam esse ex animi dispositione, prout annotavi suprà §. *Dico tertiò*: Ità *Leo Papa epistolâ* 79. *ad Nicetam Episcopum*: *Temporis* (inquit) *Pœnitudinis habitâ moderatione tuo constituenda tuo judicio, prout conversorum animos perspexeris esse devotos, pariter etiam habens ætatis senilis intuitum, & periculorum quorumcunque, aut ægritudinis respiciens necessitates*. Et *Nicolaus Papa* ut habetur 26. *quæst.* 7. *cap. De his*: Sic Episcopum quendam alloquitur, *Verum quia crimina non æqualia sunt: Perhibes quoque alios horum propter nimiam hebetudinem in disperationem cecidisse, alios ob hoc ad Paganos fugisse, tibi hoc committimus decernendum: Nimirùm, Qui loca & tempora religionis illius, & modum culpæ nec non & Pœnitentiam & gemitus hominum ad Confessionem venientium præsens positus inspicere vales*, &c. Ex quibus omnibus.

Leo papa epistol 79. ad Nicet. Episcopū cap. 6.

Nicolaus Papa 26. quæst. 7. c. de his.

Confessarii ex gravitate peccatorum non inquietandum.

Judico primò, Confessarios non debere inquietari, etiam cum magnis Peccatoribus, aliàs ad subeundas graves Pœnitentias indispositis ex quacumque causa (modò illos seriò faciant intelligere gravitatem peccatorum suorum & necessitatem satisfaciendi pro illis in hoc sæculo vel futuro) sed posse etiam leviores Pœnitentias injungere, committendo illos judicio & misericordiæ divinæ. Ità planè sentit *S. Chrysostomus homil.* 43. *ad cap.* 23. *Matth.* ad illa verba. *Alligant enim onera gravia & importabilia*, &c. & habetur 26. *quæst.* 7. *cap. Alligant Tales* (inquit) *sunt etiam nunc Sacerdotes qui grave pondus venientibus ad Pœnitentiam imponunt, &c Si enim fascem super humeros Adolescentis quam non potest bajulare, posueris, necessè habet ut facem rejiciat, aut sub pondere confringatur: sic & homini* cuo

S. Chrysost. hom. 43. ad cap. 28. Matth.

cui grave pondus Pœnitentiæ ponis, necesse est ut aut Pœnitentiam rejiciet, aut suscipiens, dum sufficere non potest, scandalizatus amplius peccet. Deinde, Etsi erramus modicam Pœnitentiam imponentes: Nonne melius est propter misericordiam rationem dare quàm propter crudelitatem? ubi enim Pater-familiàs largus est, Dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus est: ut quid Sacerdos ejus austerus &c. Hæc ille: Digna sanè Chrysostomo sententia. Si enim Deus ad unicum verum cordis contriti gemitum peccata nefandissima remittit, interdùm etiam quoad pœnam: Quid fatigamus nos oneran dogravibus & diuturnis Pœnitentiis Peccatores? qui uno perfecti cordis gemitu, à Deo impetrare possunt perfectam remissionem, qui lucrando quotidianas Indulgentias meritis & satisfactionibus Christi Iesu, B. Mariæ. & Sanctorum indies de thesauro Ecclesiæ juvari possunt: Imò quos Deus inscrutabili suo judicio, afflictionibus, & similibus purgat. Arbitror itaque seriò magis monendos, & ad Pœnitudinem cordis excitandos. Undè dixi notanter (*modo seriò faciant illos intelligere gravitatem suorum peccatorum*, &c. Hoc enim modo incitantur ad Pœnitentiæ operâ suo tempore assumenda, ad afflictiones à Deo immissas patienter tolerandas, ad lucrandas Indulgentias, præterquàm quòd Pœnitudo interior, magna sit etiam pro pœnis peccatis debitis Satisfactio.

Confessarius sit realis in imponendis restitutionibus. *Iudico secundò*: Confessarios debere esse reales in declarandis oneribus quæ ex peccatis adnascuntur, ut sunt restitutiones bonorum in furtis, famæ in detractionibus, injuriarum in adulteriis: fuga necessaria occasionum in peccatorum recidivis: Reconciliatio cum proximis, &c. hoc enim modo satis gravantur Pœnitentes & suorum Peccatorum gravitatem attendunt.

Confessarius in modis pœnitentiarum sit industrius. *Iudico tertiò*: Attendere debere Confessarios ad modos Pœnitentiarum: Sunt enim aliquæ levissimæ etiam Pœnitentiæ, quæ tamen maximè castigant meliusque meden tur, quas pia & spiritualis industria suggerit. *Exg.* In eo qui frequenter in aliquod peccatum recidit, injungere ut quoties cadit, aliquoties Salutationem Angelicam recitet per tantum temporis spatium, utpotè per mensem, vel hebdomadam: Didici enim, hoc fræno Peccatores reduci in memoriam sui lapsus & fragilitatis, & timoratos magis effici: Sic injungi potest examen breve Conscientiæ vesperi ad aliquod tempus: Auditio Missæ, Confessio Sacramentalis, Sacra Communio, Auditio Concionis unius vel alterius, Visitatio alicujus Ecclesiæ intra eundem locum, quo est confluxus, ut aliorum exemplo ad meliora incitentur. Sic in cæteris operibus satisfactoriis, modi quidam sunt efficaciores, quàm ipsa substantia operis, & nihilominùs faciliores operanti. Sic si quia non videtur jejunium servaturus, absolutè potest ipsi imponi aliqua abstinentia media, quæ illius aliquem appetitum inordinatum refrænet, vel quoà gula vel ebrietate temperetur. Sic in eleemosynis dandis non semper imponenda est pecunia, sed ut quis de suo prandio sibi subtrahat aliquid, & pauperi largiatur: latus etiam campus est operum misericordiæ, ex quibus aliqua desumi possunt.

Iudico quartò: In iis qui frequentissime confitentur & communiter tantum venialia habent, attendendum est, ut Pœnitentia injuncta aliquem bunum motum cordis in Deum, contineat: quo Pœnitens moveatur & cognoscat, quòd nec ipsi Confessio in frigidam quandam consvetudinem assumpta, prodesse possit sine vero motu Pœnitudinis, & quòd venialia suam pœnam in judicio Dei demereantur. *Pœnitentia frequenti Confessionis de Venialibus.*

QUAESTIO V.

An Pœnitens Satisfactionem Sacramentalem à Confessario impositam acceptare teneatur?

NEgant plurimi non infimæ notæ Doctores, asserentes eum qui sincero corde vult alio modo satisfacere sive in hoc mundo per opera pœnalia, sive in futuro per Purgatorium, posse recusare Pœnitentiam Sacramentalem.

CONCLUSIO I.

SPectato solo fine & effectu Satisfactionis Sacramentalis, potest Pœnitens, si velit sincerè alio modo Satisfacere, illam recusare. Ratio est. Quia cùm alii plures modi Satisfactionum sive in hoc mundo, sive in Purgatorio ad eundem finem & effectum ordinati sint, erit in libertate cujusque, unum aut alterum eligere, cùm nullum per se sit necessarium, sed quibuscumque satisfieri possit. Et in hoc sensu veram arbitror sententiam *Scoti in Quartum d. 15. quæst. 1. §. Ex hoc dico de tertio num. 14. & d. 17 quæst. 1. §. continet etiam n 22. Et dist 19. q. un. §. sed nunquid pœnam num. 27* qui licet amplius indicet, ejus tamen rationes vix plura concludunt. Sed de ejus sententia nolo altercari. *Quo sensu Pœnitentia recusari possit.*

CONCLUSIO II.

SPectatâ obedientiâ quâ obligatur Reus Iudici, & Iure quod Iudex habet in Reum suo judicio actualiter subjectum, tenetur Pœnitens rationabilem Pœnitentiam sibi impositam à Confessario, acceptare & illam adimplere si Sacerdos persistat, ità ut si in materia gravi non adimpleat, mortaliter peccet. *Satisfactio rationabilis acceptanda à Pœnitente.*

Primò, Conclusio sumitur ex verbis Christi Ioannis 20. *Quorum retinueritis peccata retenta sunt*, junctis illis Matth. 18. *Quæcumq; alligaveritis super terram, erũt ligata & in cœlo.* Docent enim Auctores istis verbis significari peccata quoad pœnam interdùm retineri, & Pecca- *Ioan. 20. vers. 23. Matth 18. vers. 18.*

Peccatorum Pœnarum & Satisfactionum vinculis interdùm posse ligari. Inutilis verò esset illa potestas in Sacerdotibus, si illam pro libitu Pœnitentes repudiare possent.

Secundò, Conclusio probatur ex natura Iudicii: Eo ipso enim quo homo Iudicium subit, & Iudicem cognoscit, ejus sententiæ obedire debet per omnia; atqui ut supponitur, Pœnitens se Iudicio subjecit & Confessarium Iudicem agnovit, ergò Sententiæ ejus obedire debet: non tantùm in ratione remissionis; sed etiam retentionis. Ridiculum enim esset velle unum idemque Iudicium subire in favorabilibus, in odiosis autem illud ipsum repudiare.

Dixi (*rationabilem Pœnitentiam*) si enim nimis dura & aspera videatur, nec congrua suæ fragilitati, potest suam infirmitatem aperire, pro illius commutatione humiliter supplicare, aut illam reverenter recusare. eo Iure quo licet ab injusta vel incongrua sententia appellare.

Dixi iterùm (*si Sacerdos persistat*) si enim aliam leviorem injungat, tunc, relictâ priori, ad illam tenebitur: Si autem totaliter condonet: & absque Pœnitentia illum absolvat, absolutus remanebit: quamvis si irrationabiliter Sacerdos Pœnitentem dimittat absque omni Pœnitentia, juxta irrationabilis dispensationis qualitatem, peccare censeatur. De hac ultima Conclusione, *Infero* Improbabilem mihi omninò videri quorundam sententiam asserentium, Pœnitentem qui adverteret se aliis piis operibus, vel indulgentiarum acquisitione satisfecisse Pœnis peccatis debitis, non teneri ad implendam Pœnitentiam à Sacerdote in Sacramento, sibi impositam. Tenetur enim præcepto & sententiæ Judicis parere, eo ipso quo ejus Judicio se subjecit, quamvis aliundè censeatur liberatus. A vinculo enim Sacramentali nemo solvere potest, nisi Sacramentalis Iudex, & peccata in Sacramento à Judice retenta, coram Deo censentur retenta. Undè quemadmodùm peccata eoram Deo soluta, Clavibus nihilominùs subiici debent, ità satisfactio à Clavibus imposita non potest tolli, nisi mediantibus Clavibus.

QUAESTIO VI.

An commutari vel dispensari possit Satisfactio Sacramentalis ab uno Confessario imposita, absque illius licentia vel facultate.

Conclusio Unica.

Pœnitentia ab uno imposita ab altero commutari vel dispensari potest.

EX *causa rationabili potest commutari imò & dispensari Satisfactio Sacramentalis ab uno Confessario imposita, per alterum Confessarium, cui se Pœnitens in Sacramento Pœnitentiæ subjicit.* Ratio mea fundamentalis est: Quia idem est Tribunal, idem Judicium ejusdem Potestatis, etsi diversi in individuo sint Ministri sive Iudices, quorum Potestas ejusdem rationis est, non solùm ad remittenda peccata, sed etiam ad relaxanda vincula pœnarum, quibus Rei sive Pœnitentes constricti sunt: sicut ergò ubi est idem Tribunal Principis quoad Jurisdictionem & subditos. Parùm est à quocumque Iudice in illo Tribunali admisso (modò ejusdem Tribunalis Iurisdictionem habeat) absolvatur vel plectatur Reus: sic cùm in Tribunali Pœnitentiæ omnis Sacerdos legitimè approbatus, parisformem Iurisdictionem habeat, quam habet quilibet alius, eodem modo pro iisdem subditis similiter admissus, quod alius potest, & ipse poterit.

Causæ commutationis Pœnitentiæ.

Dixi (*rationabiliter*) Causæ autem irrationabiles sunt, impotentia, fragilitas, periculum transgressionis, mutatio conditionis, satisfactiones aliæ magis oportunæ, aut aliundè provenientes: Istæ enim rationabiliter inducere possunt Confessarios ut Pœnitentias ab aliis impositas, commutent vel totaliter dispensent. Exempla unicuique obvia sunt: Imposuit Sacerdos alicui Pœnitenti ob peccata gravia Luxuriæ, jejunia, disciplinas, & austeritates quas & Pœnitens isto tempore acceptavit, quia se posse facere credidit, interim experitur impotentiam suam & fragilitatem, aut continuum periculum non faciendi: *Item*: Qui liber erat, & liberè poterat adimplere Pœnitentiam, statum mutat in quo difficiliùs adimplere illam potest; aut occasio illi offertur, alia præstandi; aut gravioribus afflictionibus visitatur à Deo, aut supervenit Iubilæum lucrandum, &c. Accedit itaqua ad alium Sacerdotem, & commutationem vel dispensationem postulat, potest alius Sacerdos, imò quandoque tenetur, similibus causis vel divisim vel conjunctim consideratis, non habitâ ratione prioris Sacerdotis, cum tali Pœnitente omninò dispensare vel commutare priorem Pœnitentiam. Est enim, ut supponimus, paris & æqualis Potestatis, & Iurisdictionem æqualem in Pœnitentem habet. Nec obstat quòd aliqui excipiant Pœnitentiam injunctam propter reservata peccata: etsi enim peccata fuerint reservata cùm Reservatio omnis per Absolutionem sublata sit, Satisfactio imposita nunquàm censetur reservata, sed sicut & aliæ Satisfactiones ob rationabilem causam commutari aut dispensari potest, à quocumque Iurisdictionem in Foro Sacramentali in Pœnitentem habente.

Commutatio debet fieri in Sacramento.

Dixi hic & in Conclusione (*in Sacramento Pœnitentiæ*, sive in Foro Sacramentali non potest enim extra Sacramentum fieri Pœnitentiarum Sacramentalium Commutatio, vel Dispensatio: Sunt enim actus Sacramentales, qui à Iudicio Sacramentali dependent.

Petes, An teneatur Pœnitens aperire Sacerdoti illi posteriori peccata ob quæ Pœnitentia sive Satisfactio prior, est imposita? Affirmant nonnulli, maximè si Pœnitentia medicinalis sit & præservativa à peccatis.

Non sunt repetenda priora peccata ut Pœnitentia commutetur.

Respondeo Ego: Non teneri, sufficit enim Pœnitenti allegare rationes cur hæc Pœnitentia sibi sit nimis gravia, aut importuna, & quare illius Commutationem vel Dispensationem postulet.

Ratio est: Quia in hac Commutatione vel Dispēsatione non agitur de peccato ob quod imposita est Pœnitentia, vel de justitia quâ imposita est, sed de infirmitate, difficultate vel minori opportunitate ac interdum impossibilitate Pœnitentis ad illam adimplendam, ob quam justè commutari potest. Quinimò, prudentiæ Confessarii est, ut quandò advenit Pœnitentem, multis Pœnitentiis intricatum, quas tantum abest ut adimpleat, quin Pœnitentiis Pœnitentiis augeat nec persolvat, etiamsi se bonæ Voluntatis affirmet; prudentiæ (inquam est) etiam non postulantem liberare à tantis vinculis, quibus imprudenter se aggravavit, & quorum ratione in pericula multarum transgressionum se conjecit.

Dices primò: Qui Pœnitentiam in Sacramentali Confessione primò imponit, debet qualitatem delicti cognoscere & considerare, ergò etiam ille qui primam Pœnitentiam commutat, vel dispensat.

Commutatio non respicit principaliter peccatum.

Respondeo negando conseq. Commutatio enim vel Dispensatio principaliter non respicit peccatum, sed Pœnitentis facultatem sive ejus ad implendum opus injunctum, potentiam vel impotentiam; hæc est enim sola ratio Commutationis vel Dispensationis. *Addo*, In Commutatione tantùm spectari debere proportionem quæ potest esse inter Pœnitentiam primo injunctam, & illam in quam fit Commutatio, non autem proportionem inter peccata propter quæ est imposita Pœnitentia, quia illa jam transierunt in rem judicatam, & supponitur Confessarius primus, peccatorum qualitatem sufficienter examinasse: undchic debet haberi sola ratio causæ, cur commutanda sit, quæ (ut dixi) non tam peccatum respicit, quàm potentiam vel impotentiam Pœnitentis in satisfaciendo. *Similiter*; In Dispensatione solùm attenditur aut totalis impotentia Pœnitentis ad solvendum, aut consideratur quòd aliis modis Pœnitentiam injunctam adæquaverit, vel adæquet. Quòd autem aliqui scrupulizent, in eo quòd Pœnitentia prior esset data non tantùm in Satisfactionem, sed etiam in medicinam & præservationem.

Respondendum est: Rationem medicinæ præservativæ per accidens Satisfactionem afficere, & ex eo capite magis esse consilii, quèm præcepti, & à Confessario, quà Medicus est non quà Iudex, procedere. Quinimò, cùm illud opus Satisfactorium redditum sit Pœnitenti aut nimis grave & periculosum, ratione suæ infirmitatis & fragilitatis: aut forte etiam impossibile, ratio remedii vel præservationis quæ operi inerat, eo ipso cessare censetur, De quo non habet inquirere secundus Confessarius, nisi consulatur, cùm plura possint occurrere alia remedia Pœnitenti, absque eo, quòd obligatione ad repetenda & alteri manifestanda peccata semel ritè confessa & absoluta, oneretur, quæ est gravissima obligatio & onus importabile.

Dices secundo: Qui Pœnitentiæ impositæ omninò est oblitus, si alium Confessarium accedat, tenebitur peccata ob quæ imposita est Pœnitentia, illi confiteri, ad hoc ut Pœnitentiam accipere possit, ergò etiam qui Pœnitentiam Sacramentalem commutari, vel dispensari ab alio postulat.

Qui oblitus est pœnitentiæ nō tenetur iterare Cōfessionem.

Respondeo negando antecedens. Qui enim Pœnitentiæ impositæ est oblitus, si Confessarium qui imposuit, consulere non potest: meâ Sententiâ non tenetur alium Confessarium accedere ut Pœnitentiam accipiat, minùs tenetur peccata iteratò confiteri.

Ratio est; Quia cùm supponatur inculpabiliter oblitus, quamdiu oblitus est: liber censeri debet; sicut enim qui inculpabiliter alicujus peccati oblitus est, manente oblivione, non tenetur confiteri, ita qui oblivione non peccavit, ab onere Pœnitentiæ cujus est oblitus, liber erit, & cùm Satisfactio sit tantùm pars integralis Sacramenti (pœnis autem peccatia debitis possit Pœnitens aliundè satisfacere) non videtur cum tanto gravamine requirenda; Quinimò (ut superiùs docuimus) potest interdùm Satisfactio Sacramentalis ex causa rationabili omitti. Aliud est de Commutatione vel Dispensatione, cùm enim pœnitentiam impositam sciam, quamdiu illius obligationis sum conscius, & constat me non perfecisse, tamdiu obligatur, nisi ab æquali vel superiori potestate commutetur aut tollatur. Hic porrò aliqui alias movent Quæstiones & quidem.

Non potest Pœnitens commutare Pœnitentiā sibi impositam etiam in gravior

Quærunt primò: An pœnitens possit sibi ipsi pœnitentiam in aliquod opus æquale aut melius, sivè magis laboriosum, commutare? Sicut quis potest auctoritate propriâ Votum Deo nuncupatum, in aliud melius transferre.

Verùm huic Quæstioni supra responsum est: Cùm enim omnis permutatio vel dispensatio Satisfactionis Sacramentalis, sit actus Sacramentalis, ideò in Sacramento fieri debet. Constat autem pœnitentem, sicut sibi ipsi Sacramentum pœnitentiæ administrare non potest, sic nec secum dispensare, aut pœnitentiam in Sacramento sibi impositam: commutare. Esto enim

opera

opera summè pœnalia assumat: illis quidem operibus pro peccatis sivè peccatorum pœnis satisfaciet, ad virtutem tamen Satisfactionis Sacramentalis non elevabuntur, & tenebitur sententiæ judicis cui se subjecit, parere & Judicio Sacramentali satisfacere donec impleverit, ex eo quòd, quæ ligavit Sacerdos in terris, sint ligata & in cœlis, nisi à Sacerdote solvantur per sententiam in re susceptam. Undè qui omnibus pœnis peccatis suis debitis per opera extra-Sacramentalia vel Indulgentias satisfecisset: si injunctam pœnitentiam voluntariè non adimplevit in materia gravi, peccavit mortaliter, quod peccatum non potest remitti nisi per Confessionem in re, vel in voto. Nec exemplum de Voto, quod quilibet in opus melius commutare potest, aliquid concludit: Cùm enim Votum & ejus obligatio ex Voluntate voventis procedat, sicut hoc opus liberè vovit, sic melius sibi imponere potest: Deo autem cui vovetur, censetur id quod melius est, magis esse gratum. Satisfactio verò Sacramentalis non à Voluntate satisfacientis, sed à sententia Judicis & obligationem & virtutem habet.

Quærunt secundò; Quandò teneatur Pœnitens Satisfactionem sibi in Sacramento impositam, adimplere? Sed clara responsio est: Si enim Confessarius tempus certum determinavit, illo tempore est adimplenda: sin minùs judicio prudenti relinquitur, & vix in dilatione peccari contingit, nisi gravis negligentia deprehendatur, & tunc peccatum tantùm veniale ordinariè committitur. *Quandò Pœnitentia adimplenda.*

Et hæc de Satisfactione sint dicta: Minutiala dubia, & quæ magis speculationem scholasticam sapiunt, ex industria omisi cùm eorum Resolutio ex fundamentis allatis pendeat.

TRACTATUS V.

De Actore contra Reum & Advocato pro; Reo Sive de Conscientia, ejusque Actibus.

TITVLVS I.

De Natura & Qualitate Conscientiæ.

QUAESTIO I.

Quid sit Conscientia?

Conscientiam variè nominarunt, circumscripserunt, & diffinierunt tum SS. Patres, tum Theologi, non sine confusione terminorum, & actuum Animæ diversorum, quæ etsi à parte rei distincta sint; usurpatione tamen communi, facta sunt velut synonyma. Ita, *Synderesis, Conscientia, Scintilla Rationis, Lex naturalis, Spiritus qui pro nobis postulat gemitibus inenarrabilibus* (ad Rom. 8.) pro eodem accipiuntur apud *S. Hieronymũ in cap. 1. Ezech.* Similiter apud *S. Basilium Epist. 141.* Conscientia vocatur, *Conceptus, & naturalis iudicandi vis, doctrinæ minimè indigna.* Item apud eundem in *Regulis fusius disputatis interrog. secunda.* Sumitur pro vi quadam Voluntatem inclinante ad bonum: *in ipso* (inquit) *initio ortus nostri confestim vim quandam nanciscimur, per quam nostra parte sponte ad ipsum* (Deum) *diligendum impellimur.* Undè Henricus à Gandavo ponit Conscientiam in Voluntate, quasi quoddam pondus naturale illam naturaliter inclinans & velut impellens ad bonum. Ex quibus usurpationibus tam varijs, variæ prodierunt apud Patres & Theologos Conscientiæ descriptiones seu potiùs interpretationes. Undè Damascenus definit Conscientiam: *Legem intellectus nostri* D. Basilius *Rationale Iudicatorium:* Alij; *Cognitionem sui ipsius:* Alij *Habitum mentis boni & mali discretivum:* Alij; *Credulitatem intentionis ad aliquid faciendum, animi deliberatione firmatam:* Alij; *Applicationem quandam, seu ordinationem scientiæ ad aliquem Actum.* Alij aliter.

Varia Conscientiæ nomina. *ad Rom. 8. vers. 26.* *S. Basil. Epist. 141. ad Cæs.* *Idem.* *D. Damasc. D. Basil.*

Pro perfecto intellectu & plana explicatione omnium quæ de Conscientia dicuntur, advertendum est, tripliciter Conscientiam à Patribus in[illegible] & Scriptura usurpari.

Primò, Pro toto complexu causarum, vel quasi causarum concurrentium ad Conscientiam formandam, sivè ad actum qui singulariter Conscientia dicitur, ut sunt Synderesis, Lex naturalis Rationi naturaliter indita, Habitus fidei supernaturalis, Habitus vel actus scientiarum moralium, ipsa Ratio sivè Intellectus ratiocinans, tandem Judicium approbans bonum, reprobans malum, sivè dictans prosecutionem boni & fugam sivè odium mali, ad illaque impellens. In quo ultimo est vis sive actus Conscientiæ propriè dictus, ut posteà explicabimus. *Conscientia variæ usurpationes.*

Secundò, Pro aliqua causa speciali ex allatis, quæ singulariter concurrit & movet

vet ad formandum Conscientiæ actum, ut sunt Synderesis, Lex naturalis, Intellectus ratiocinans, &c. Hæc enimquia per vim quandam potentem influunt in ipsum Conscientiæ dictamen, Conscientia interdum nuncupatur, modo quo solet interdùm causa nomine effectus nuncupari, ut sol calidus, eo quòd calorem efficiat.

Tertiò, Conscientia sumitur strictè, pro ipso actu intellectus bonum approbantis, & malum vehementer reprobantis. De quo statim. His sic præ notatis pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Synderesis à Conscientia differt.

Conscientia strictè accepta, non est Synderesis. Ratio clara est: Quia *Synderesis* propriè dicta: est Habitus primorum Principiorum in genere dictans, sive significans bonum agendum & malum fugiendum, sivè ut alij loquuntur; inclinans ad bonum & remurmurans malo: *Conscientia* verò non tantùm in genere, sed in specie & in particulari indicat, & dictat, imò & instigat ad hoc bonum amplexandum, & hoc malum fugiendum, huic bono congaudens, & huic malo omni virtute obmurmurans. Undè *Synderesis* est aliquid universalius, quæ sine adminiculo alicujus habitus vel actus superadditi, non potest ad rem in specie vel in individuo agendam vel fugiendam, applicari: applicatur verò mediantibus alijs facultatibus & habitibus ad singularia, per dictamen Rationis & Conscientiæ: *Explico* Sicut in Potentia intellectiva respectu speculabilium, est quidam Habitus Principiorum intellectivorum qui à Philosophis vocatur *Intellectus*, inclinans ad veritatem cognoscendam, & falsitatem fugiendam cui innata sunt hæc generalia Principia: *Impossibile est idem esse, & non esse: Quæ sunt eadem sive conveniunt in uno tertio, sunt eadem sivè conveniunt inter se: Totum est majus sua parte*, &c. ita in eadem Potentia intellectiva respectu agibilum, sivè humanorum actuum, est quidam Habitus primorum principiorum in moralibus, inclinans ad bonum amplexandum, & malum fugiendum; cui innata sunt hæc generalia principia, *Bonum faciendum, Malum vitandum, Deum colendum, Quod nobis fieri nolumus alteri non faciendum, Speciem conservandam*, &c. Vocaturque hic Habitus *Synderesis*, quasi *Conservatio*, utpotè quod Animam suo dictamine in puritate & virtutum exercitio quasi conservet. Igitur sicut Habitus primorum principiorum in speculabilibus, qui dicitur *Intellectus*, non est sufficiens ad aliquam veritatem in singulari concludendam, sivè ad inferendam aliquam Conclusionem, nisi per alios actus Scientiarum vel notitiarum speculativarum applicetur: Ita nec *Synderesis* sivè Habitus primorum Principiorum practicorum in moralibus est sufficiens ad formandum Judicium de aliquo bono in singulari prosequendo, vel malo fugiendo, nisi per alios Habitus medios applicetur.

Unde hic explicationis gratiâ Theologi proponunt practicum Syllogismum cujus *Major*, est à Synderesi: *Minor*, à Ratione sivè Potentia ratiocinante & alijs notitijs innatis, infusis, vel acquisitis: Conclusio verò, à *Conscientia* strictè accepta. Hoc autem modò clarè formari potest: *proponit Synderesis*: Malum est abominandum & fugiendum (hoc enim est principium practicum generale Synderesi naturali insitum) *Subsumit Ratio*: Atqui Adulterium est malum (id docente tam Lege naturali nobis insita, quam Lege Fidei, & Scripta) *Infert tandem Conscientia*. Ergo hic & nunc Adulterium est abominandum & fugiendum, utique, in virtute primi Principii à Synderesi in Majori allegati, ad quod vi quadam & motione naturali indita, instigat Synderesis.

Distinctio inter Synderesim, & Conscientiam.

Ex dictis patet distinctio clara inter *Synderesim & Conscientiam* propriè & strictè dictam. *Synderesis* enim est Habitus primorum Principiorum practicorum in genere nulli materiæ de facto applicatorum, *Conscientia* verò est ipsa actualis applicatio dictorum Principiorum practicorum ad materias singulares: deindè, In *Synderesi* non potest esse error, dubitatio, opinio, oblivio, ignorantia, inadvertentia (neque enim potest quis aut potuit unquam negare, dubitare, opinari, oblivisci, vel ignorare, &c. in genere malum esse fugiendum, bonum amplexandum, Deum colendum. Jus suum unicuique tribuendum) In *Conscientia* verò error, dubitatio, opinio, &c. possunt intervenire: *Ratio est*: Quia universalia Principia potest Ratio & Conscientia malè applicare, utpotè delusa ab informatione erronea, dubiosa, vel rationibus speciosis fucata. *Explico*: Nemo unquam contradicere potuit huic primo Principio aut de eo dubitare quod proponit Synderesis, *Deus est colendus*: Unde ergò tot errores & dubitationes? Illud sane non ex errore vel dubio in Synderesi suborto, cujus judicium est incorruptibile, cujus principia sunt infallibilia & in agibilibus primò vera, sed ex errore vel dubio, per Rationem vanâ scientiâ delusam in ipsum interdum Conscientiæ actum, derivato. *Explico*: Ad Majorem enim infallibilem: *Deus est colendus*: Assumpsit *Ratio* errore delusa, falsam Minorem: Jupiter, Mars, Venus, &c. sunt Dij: Indè hoc errore cauteriata *Conscientia* consequenter applicavit & intulit: Ergò Jupiter, Mars, Venus sunt colendi: sicq; in omnibus advertere possumus, nullum unquam tam Barbarum, aut reprobi sensus fuisse, qui negaret prima Principia *Synderesis*, sed omnis error, omne dubium, omnis opinio, in habitibus secundis *Rationem*

nem pervertentibus fabricata sunt, ex quibus erroneam, dubiam, aut opinosam Conclusionem intulit *Conscientia*. Quae omnia singulariter notanda sunt, si quis velit penitùs *Conscientiae* naturam & qualitatem tam in rectis, quam in erroneis, aut aliis dubiis, actibus cognoscere.

Conclusio II.

Conscientia differt à Lumine naturali.

Conscientia strictè accepta *non est ipsa Lex naturalis sivè Lumen naturale homini inditum.* Ratio est: Quia *Lex Naturalis* sivè *Lumen naturale* homini inditum, est omnibus idem, ac sibi usquequaque conforme, nisi aliundè praepediatur: *Conscientia* verò vix reperiuntur in diversis hominibus, aut iisdem in diverso tempore uniformis, utpotè quia ex diversis notitiis & habitibus diversimodè informata à Potentia ratiocinante, in diversa & adversa judicia & Conclusiones dissolvitur. Undè est illud *ad Rom.* 1. de Phylosophis: *Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Sic enim evenit, ut etsi *Lumen naturale* seu *Lex naturalis* nobis insita, omnia rectà dictet, nihilominus ob vanas cogitationes pervertitur *Ratio*, ac demùm *Conscientia* quae ratiocinationes sequitur, sivè quae ex ratiocinationibus & varia credulitate formatur. Undè *cap.* 2. describitur ejus judicium oriri ex disceptatione cogitationum adversùs Legem naturalem: *Cùm enim* (ait) *Gentes quae Legem non habent naturaliter ea quae legis sunt, faciunt, ejusmodi Legem non habentes ipsi sibi sunt Lex, qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis Conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus* Ita ut ex disputatione cogitationum & earum contra invicem victoria, nascatur Conscientiae judicium Et cap. 14. *Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum: Alius enim credit se manducare omnia, qui autem infirmus est, olus manducet.* Infrà: *Nam alius judicat inter diem & diem, alius autem judicat omnem diem.* Quae omnia intelligenda sunt de credulitate & judicio *Conscientiae*, quibus diversi diversimodè in credulitate & judicio suo informati, diversas sibi formant Conscientias.

Rom. 1. vers. 21.

Rom. 2. vers. 14.

Idem. 14. vers. 1.

Conclusio III.

Concurrentia ad actum Conscientiae

Ad *Conscientiae actum formandum concurrunt. Primo, Synderesis* sivè Habitus Principiorum, qui in genere docet bonum faciendum & malum reprobandum, non determinando materiam vel objectum bonum, vel malum. *Secundò Rationis* sivè *Intellectus ratiocinantis deliberatio*, sivè cōsultatio: An nimirum id de quo faciendo consultatur, sit bonum vel malum? *Tertiò*, Ad hanc deliberationem concurrunt, *Lex naturalis* sivè Lumen naturale, quod naturaliter dictat & significat quid sit bonum vel malum, honestum vel inhonestum, in iis quae in actionibus moralium virtutum naturaliter cognosci possunt. Item: *Habitus fidei supernaturalis*, sivè ex Scripturis sivè ex Traditione *acquisitus*; Multa enim sunt quorum bonitas aut malitia cognosci non potest, nisi ex fidei nostrae Principijs ut quae in Sacramentorum & Sacrorum Mysteriorum Legibus traduntur. Item, *Lex Dei positiva*, quatenùs operanti est cognita. Demùm, *Leges humanae ad peccatum obligantes.* Denique *Scientia particularis*, diversis vel studijs, vel experientiis, aut etiam ratiocinationibus acquisita. Ex quibus tandem consultatio & deliberatio infert, id de quo agitur, bonum esse vel malum: *Quartò*, Itaque ex his Conscientiae judicium formatur per modum Conclusionis. Nimirùm hoc sequendum esse vel fugiendum, probandum vel reprobandum. Vide quae de Syllogismo Conscientiae suprà *Concl. primâ* docuimus.

Ex quibus *primò*, constat rectitudinem vel errorem, fallibilitatem vel infallibilitatem Conscientiae ex principijs ad deliberationem concurrentibus, dependere. *Secundò*, In formatione Conscientiae Synderesim quidem seu Habitum practicum primorum Principiorum habere Energiam plurimam, nec minùs vehementem, Legem naturalem mentis seu Lumen naturale, maximè adjutum lumine fidei & Legis Dei positivae, aut scientiâ Legis humanae: posse tamen ista omnia enervari aut obscurari per ratiocinationes insipientes, & carnales, ità ut aut erronea, aut dubia, aut opinosa reddatur Conscientia.

Conclusio IV.

Definitio Conscientiae

Conscientia strictè accepta, in rigore nihil est aliud quàm, *Actus Intellectus practicè judicantis aliquid in singulari faciendum vel fugiendum, laude vel poenâ dignum; ex eo quòd facultas ratiocinativa ex nonnullis Principijs, illud cum aliqua credulitate proponit ut bonum respectivè vel malum*

Dixi (*Actus*) ut distinguatur à Synderesi, Lege, vel Lumine naturali, & alijs Habitibus concurrentibus. Conscientia enim procedit ab illis habitibus, ut effectus à suis causis: Undè illi in hunc actum vehementi motione à Deo Naturae indità, influunt: Et Habitus quidem ille Synderesis, graviter obmurmurare solet malo: Dictamen verò Legis naturalis, ità constanter bonum insinuat, ut omnes aliorum habituum acquisitorum vires dissolvat, maximè ubi habitu fidei Supernaturalis adjuvatur. Ex quo Conscientia frequenter usurpatur pro *Synderesi* vel *Dictamine Legis naturalis*, eo quòd sint praecipuae causae, quibus Recta formatur Conscientia, & quia in illa vim & motionem maximam exercent: Quâ etiam ratio-

ratione Conscientia vocatur: *Pædagogus, Corrector, Incorruptus Index*, &c. Quia Synderesis & Lex naturalis, præcipuè si lumine Fidei adjuventur, vim inconcussam in actu Conscientiæ exerunt, ita ut actus ille virtutem istorum habituum in se contineat.

Dixi (*Actus intellectus*) Etsi enim Conscientia ad movendam Voluntatem ordinetur, eamque objectivè urgeat, ab Intellectu tamen producitur & in ea subjectatur. Undè & Conscientia dicitur, *Cum alio Scientia*, sivè *Conferentia, Collatio*, vel *Concursus Scientiæ*, ad Judicium formandum, sivè ad practicè concludendum sitnè, vel fuerit faciendum, aut non faciendum? Certùm est autem Conferentiam scientiæ vel scientiarum, actumque Judicii ad Intellectum pertinere Undè etiam Ecclesiast. c. 7. *Scit* (inquit) *Conscientia tua, quia & tu crebrò aliis maledixisti* q. d. Conscientia tua te instruit, tibique indicat maledictiones tuas, & malum à te perpetratum, quæ omnia Intellectus operationes sunt.

Ecclef. 7. verf. 13.

Dixi (*practicè Iudicantis aliquid in singulari faciendum vel fugiendum*, &c.) cùm enim tres sint potissimum Intellectus operationes, nimirum: *Cognoscere, Deliberare*, seu *Consiliari* & *iudicare*. Hæc ultima propriè ad Conscientiam spectat ut latius supra declaratum est. Dicitur autem (*practicè*) quia judicium illud fertur in ordine ad operationem: undè S. Bonaventura *in Compendio Theolog. lib. 2. cap. 520* requirit judicium *per modum* (inquit) *diffinitiva sententia sive actum Intellectus sententialiter indicantis*.

S. Bonau. comp. Theol. l. 2. cap. 520.

Additur (*in singulari*) ut iterùm Conscientia distinguatur à Synderesi, quæ tantum in genere dictat bonum amplectendum, malum reprobandum.

Dixi (*faciendum vel fugiendum, laude vel pœna dignum*) ut Conscientia extendatur tam ad facta, quam ad facienda, etenim post factum sæpiùs remordet Conscientia ostendens pœnâ dignum opus, quod in faciendo aliquando non adver. tit.

Dixi (*ex eo quod facultas ratiocinativa, ex nonnullis principiis, illud proponit ut bonum respectivè vel malum*) Ad omnem Conscientiam diffinitioni includendam, sivè sit Recta, sivè Erronea, Dubia vel Opinosa, &c. Talia enim formatur Cõscientia, qualia sunt principia facultatis ratiocinantis ex quibus formatur; Undè si sint principia rectâ, formatur Conscientia Recta, si erronea, Erronea, si dubia, Dubia, si opinosa, Opinosa, &c. prout dicemus infrà cùm de divisione Conscientiæ in sua membra, differemus, & ut de concurrentibus ad formationem Conscientiæ suprà egimus *Concl. tertia*. Hæ autem particulæ valdè notandæ sunt in hac materia, quia revera ex his totus hic Tractatus de Conscientia, prout à Theologis tractatur, omninò dependet.

Addi (*cum aliqua credulitate*) omnis enim Conscientia debet habere quandam adhæsionem credulitatis ad principia ex quibus procedit, hæc enim dat vim judicio & actui Conscientiæ judicantis. Undè Apostolus frequenter Conscientiam nomine *Fidei* appellat: ut ad *Rom. 14.* ubi de varia Conscientia Fidelium in manducando vel non manducando certos cibos, agens. *Tu* (inquit) *Fidem habes?* (id est Conscientiam quod possis manducare carnes & bibere vinum) *penes temetipsum habe coram Deo: qui autem discernit* (id est qui in Conscientia credit se non posse manducare) *si manducaverit, damnatus est quia non ex Fide*) id est ex dictamine Conscientiæ, sivè Conscientia) *Omne autem quod non est: ex Fide, peccatum est*: id est, Omne quod non procedit ex judicio Conscientiæ cui assentiris sivè credis, peccatum est, utique quia contra Conscientiam agis.

Rom 14. verf. 22.

Ex dictis constat qualiter intelligendi veniant, tum SS. Scripturæ, tum SS. Patrum varii de Conscientia loquendi modi, dum Conscientiam modò cum Synderesi, modò cum Lege mentis & Ratione confundunt, modò Potentiam ipsam Intellectus, Conscientiam appellant, modo effectum pro causa, & causam pro effectu sumunt: Quæ omnia facile observabuntur ab iis qui doctrinam in Conclusionibus traditam, attendent & obscurioribus locis applicabunt: & nos opportune infrà suis locis, nonnullas sententias magis obscuras explicabimus.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Conscientia?

CONCLUSIO UNICA.

Conscientia prout superiori Quæstione à nobis descripta est, in quinque secatur membra: nimirum, *Rectam* sivè *Infallibilem, Erroneam, Probabilem, Dubiam*, & *Scrupulosam* Addo ego Conscientiam *Hypocondriacam*, sivè *fatuam*.

Conscientiæ divisio

Recta sivè *infallibilis* dicitur, quæ ex rectis & infallibilibus principiis formatur. Et hæc est illa Conscientia de qua communiter in Scripturis, quæ oritur ex Synderesi, Lege naturali sivè Lege mentis, Lege Dei, & Humana positiva, clara, & aperta.

Conscientia erronea est, quæ ex principiis erroneis formatur sivè procedit: Tales sunt Conscientiæ Infidelium & Hæreticorum quæ ex ipsorum principiis erroneis vel hæreticis gignuntur: Tali Conscientiâ credit Hæreticus se peccare, si Missam audit, si Sanctos oret, si Imagines Sanctorum colat, &c.

Conscientia Probabilis est, quæ ex probabilibus tantùm principiis formatur. Illa verò probabilia tantum principia dicuntur, quæ rationabiliter aliquid faciendum vel non faciendum

ciendum concludunt, cum aliqua tamen formidine de opposito. Et hæc conscientia dicitur ab aliis *Opinosa* : Quia non ex scientia certa, sed tantum ex *Opinione* procedit. De qua postea.

Conscientia Dubia nuncupatur : *Quæ* ex principiis practicè dubiis formatur : ita ut Iudicium Conscientiæ in neutram partem se resolvat. Talis est conscientia famuli ministrantis infirmo : qui dubitat, si relinquat infirmum ut Missam in Dominica audiat, se mortaliter peccare, & econtrà si Missam non audiat, similiter se peccato mortali obnoxium esse; quamdiu enim in neutram partem se resolvit, ita dubiæ conscientiæ æstimandus est, ut neutrum absque peccato operari possit.

Conscientia scrupulosa dicitur, quæ ex levibus & futilibus principiis & motivis absque ullo fundamento rationabili formatur. De his omnibus suis titulis infrà.

Conscientia Hypocondriaca sive *Fatua* dicitur, quæ ex humore melancholico, & fatuitatem inducente potius, quam ex aliquibus principiis Intellectus procedit.

Appendix I.

HIc aliqui dividunt Conscientiam in Bonam, & Malam.

Bonam Conscientiam vocant, quæ conformiter ad legem Dei à malo revocat, & hominem ad bonum dirigit. *Malam* autem *Conscientiam dicunt*, quæ malitiosè & fictè malum sub ratione boni consequendum, & econtrà bonum sub ratione mali fugiendum proponit. Verùm illa quæ vocatur Mala Conscientia, verè Conscientia dici non potest, sed potius *Anti Conscientia*, eo quòd Conscientiam conetur suis præstigiis malitiosè deludere. Neque enim illa Mala Conscientia, potest dici aut appellari Conscientia, ne quidem Erronea; quia Conscientia etiam Erronea credulitatem quandam includit, ita ut judicio formato ex principiis erroneis, assentiatur : Dicitur enim Conscientia Erronea, quia ex principio erroneo credito verò, procedit. Mala autem Conscientia, de qua suprà, errorem non præsupponit, sed cognitam malitiam, quâ scienter quis vult probare malum bonum, & bonum malum, ut vel suas actiones dissimulet, vel in errorem cæteros inducat: Talis est Conscientia eorum, qui hæreses aut fingunt, aut spargunt : de quibus, 1. ad Timoth. 1. *Hoc Præceptum commendo tibi Fili Thimothee, secundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam, habent Fidem & bonam Conscientiam (quam quidam repellentes circa Fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymenæus & Alexander*, &c) ubi clarè de istis qui scientes malè operantur loquens Apostolus, non tam dicit illos habere Conscientiam Malam quam repellere Conscientiam bonam : Undè & eodem capite dixerat *Finis autem Præcepti est Charitas de corde puro & Conscientia bona & Fide non Ficta*, ostendens manifestè fictionem & malitiam cordis, tollere omnem rationem Conscientiæ. Conscientia itaque dici non potest, quicquid ex scientia certa vel ereditа, non procedit. Undè & passim vocatur *Conscientia perversa, cauteriata*, & similibus nominibus quæ nomen Conscientiæ alterant à vero sensu.

Conscientia mala non est Cõscientia sed malitia.

1. Timot 1. vers. 18.

Ibid. vers. 5.

QUAESTIO III.

Qui & quotuplices sint actus Conscientiæ?

Conclusio Unica.

COnscientiæ actus tum juxta differentias temporis, tum juxta rationem objecti, & modum quo illud respicit, sunt multiplices. Sic autem explicari possunt. Aut enim *Conscientia* respicit Bonum aut Malum; *Si Conscientia* respiciat Bonum, aut illud respicit ut factum, aut ut est in fieri, aut ut faciendum est.

Actus Conscientiæ respectu boni præteriti.

Primò itaque si Conscientia Bonum ut in præterito factum, respicit, hos ordinariè actus habet : nimirum, *Approbare, Testificari, Complacere*. De his. 2. ad Corinth 1. *Gloria nostra hæc est testimonium Conscientiæ nostræ, quod in simplicitate cordis, & sinceritate Dei, & non in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus in hoc mundo*: In quibus verbis tres actus conscientiæ respectu boni præteriti enumerantur, nimirum *primo Approbatio* ibi: *In simplicitate cordis & sinceritate Dei*, &c. *secundo Testimonium*, ibi *Testimonium Conscientiæ nostræ. tertio Complacentia quadam virtuosa* ibi : *Gloria nostra hæc est*, &c. Gloriatio enim illa, est Filia complacentiæ. De qua etiam Proverb. 15 *Secura mens quasi juge convivium.*

2. Cor. 1. vers. 12.

Prov. 15. vers. 15.

Actus Conscientiæ respectu boni præsentis.

Secundò : Si consideretur Conscientia quatenus respicit bonum ut modo fit eius actus sunt: *Inclinare, Incitare, Confortare*. Undè Act. 24. Paulus, ubi Confessionem suæ fidei narravit. *In hoc* (inquit) & *ipse studio, sine offendiculo conscientiam habere ad Deum, & ad homines semper* In quibus verbia particulæ *studeo semper*) designant quandam diligentiam continuam quæ perficitur tribus illis actibus, *Inclinatione, Incitatione, & Confortatione*. Et de Confortatione quidem specialissimè Sanctus Petrus 1 2: *Hæc est enim* (ait) *gratia, si propter Dei Conscientiam sustinet, quis tristitias patiens injuste*. Ubi (conscientia Dei) significat Conscientiam propter Deum, sivè secundùm finem, Leges, & Mandata Dei.

Act. 24. vers. 16.

1. Petr. 2. vers. 19.

Actus Conscientiæ respectu boni futuri.

Tertiò : Si Conscientia respicit bonum faciendum ordinariè sequentes effectus habet, *Approbat, Consulit, Excitat, suadet*, undè Paulus ad Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, natu-*

Rom. 2. v. 14. 15.

naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt eiusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex: Qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis Conscientia ipsorum. Quemadmodum enim Lex scripta, est Regula morum Approbans, Consulens, Excitans, Suadens bona facienda: sic Lex viva in cordibus scripta, per Conscientiam instruit hominem de bono faciendo, conformiter ad Legem æternam. Super quo Chrysostomus hom. 54. in Genesim: *Nullus igitur prætexat, quod ignorans virtutem negligat, vel quod non habeat aliquem via Ducem & Demonstratorem: Sufficientem enim habemus Magistrum conscientiam, & fieri non potest, ut quis illo adiumento privetur: Nam simul cum formatione hominis implantata est scientia faciendorum & non faciendorum.*

S. Chrys. hom. 54. in Gen.

De hac Conscientia non pauci explicant illud Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, quasi Conscientiam ut lumen quoddam bonitatis suæ, homini indiderit Deus, quo ei via monstraretur, per quam gradiendum esset, ad quam homo velut gratissimo Luminis ductu, excitaretur ad sequelam boni. Sed ad aliam partem divisionis veniamus.

Psalm. 4. vers. 7.

Rursus igitur Conscientia respicit Malum, aut ut in præterito factum, aut ut nunc in præsenti fit, aut ut in futuro faciendum est.

Actus Conscientiæ respectu mali præteriti.

Primo itaque, si Conscientia respicit malum ut in præterito perpetratum est, hos fortitur actus, nimirum: *Remordet, reprehendit, accusat, convincit, condemnat, castigat.* De his in Scripturis passim. Isaiæ. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Sicut enim vermes continuo carnes ex quibus nascuntur, corrodunt, sic conscientia hominem post peccatū. Unde & Proverb. 12. de eo qui fraudulenter promisit: *Gladio* (inquit) *pungitur conscientia.* Et Jeremiæ 2. *Arguet te malitia tua & aversio tua increpabit te: Scito & vide quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum* Et Sapient. 4 De Peccatoribus: *Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.* Utique juxta Apostolum ad Rom 2. *Testimonium illis reddente conscientiâ, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, &c.*

Isai. 66. vers. 24.

Proverb. 12. v. 18. Ierem. 2. vers. 19.

De conscientia etiam non malè aliqui exponunt illud quod de adversario CHRISTUS ait Matth. 5. *Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius iudici, & Index tradat te Ministro, & in carcerem mittaris,* Ubi per adversariū, Conscientiam intelligunt, quæ nos statim ac peccavimus, accusat, convincit, &c. Quò spectat etiā illud Dei ad Cain Genes. 4. *Nonne si benè egeris recipies, sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit.* De quibus omnibus vide Expositores. Sicut & Sap. 17. de varia tortura peccatoris etiam latentis & secreti. Salomon rationē reddens: *Cum sit enim* (ait) *timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæva perturbata conscientia. Nihil enim est timor, nisi præsumptionis adiutorium, proditio cogitationis, auxiliorum,* &c.

Matth. 5. vers. 25.

Genes. 4. vers. 7.

Sap. 17. v. 10. 11.

Secundò, Si conscientia respiciat malum ut in præsenti fit, eius actus sunt, *Reprehendere, Recalcitrare, Obmurmurare.* Quo spectat illud Sap. 12. *O quàm bonus & suavis Domine Spiritus tuus in omnibus? Ideò eos qui exerrant partibus corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris, ut relictâ malitiâ credant in te Domine.* Hic Spiritus, conscientiæ motor est, quæ utique male facientem reprehendit, & corripit, ac admonitione & allocutione internā, & interno murmure, & recalcitratione, conatur peccatorem à malo avertere.

Actus Conscientiæ re pectu mali præsent.

Sap. 12. vers. 1.

Tertiò. Si conscientia respiciat malum ut in futuro faciendum, eius actus sunt, *retrahere, terrere, ligare*. Quò spectat illud Psalm. 59. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus.* Illa utique significatio nihil est aliud, quàm conscientiæ retractio, & terror, ac vinculum hominem retinens nē offendat. Hinc in Scriptura & Patribus frequenter conscientia, velut Dux, magistra, & Directrix omnium nostrarum actionum describitur, & sub variis figuris, verbis, & loquendi modis, tota directio vitæ nostræ conscientiæ tamquam magistro, & pædagogo tribuitur ut. 2. ad Cor. 1. 2. ad Timoth 2 Act. 23: 24. & aliis locis, specialiter autem à Patribus. *Magister, Pædagogus, Censor, Legislator* vocatur, quia docet, monet, terret, custodit, percutit ut hominem ab imminenti peccato vel peccati periculo contineat, unde Origines lib. 2. in cap. 2. ad Romanos *Conscientia* (ait) *Spiritus corrector est & Pædagogus animæ, ut de melioribus eam admoneat, de culpis castiget atque arguat*: Et alii conscientiam interpretantur cordis scientiam dirigens ad sequelam boni, urgens ad fugam mali. Lege Scripturam & Doctores Sanctos.

Actus Conscientiæ respectu mali futuri.

Psal. 59. vers. 6.

Orig. l. 2. in cap. 2. Rom.

QUÆSTIO IV.

Qui sunt Actus Conscientiæ contra Reum Agentis in hoc Tribunali Visibili, & Sacramentali?

CONCLUSIO UNICA.

ETsi omnes penè actus conscientiæ supradicti huic Tribunali pœnitentiæ aliquo modo deserviant: Tres tamen actus præcipui ad hoc Tribunal essentialiter pertinere noscuntur, nimirum: *accusare, testificari, & condemnare* sive *convincere Reum* de peccato. Conclusio est manifesta: Nemo enim conteri aut verè de peccatis pœnitere potest, nisi qui se reum peccati agnoscit, nisi qui à conscientia accusatus, ac testimonium reddente eâdem convictus, peccati est condemnatus. Undè Pœnitens David

Actus Conscientiæ cōtra Reum.

David Pſalm. 50. *Quoniam* (inquit) *iniquitatem meam cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper*: Utique Accuſante, Teſtificante & Condemnante me Conſcientiâ meâ:

Ex quo notandum primo: Tribunal Conſcientiæ peccatorum condemnare debere, antequam ad Tribunal Sacramentale Pœnitentiæ accedat.

Conſcientia triplicem adverſus Reum perſonam gerit. Notandum ſecundò: Eandem conſcientiam triplicem velut perſonam gerere in hoc Tribunali. Nimirum: *Accuſatoris, Teſtis,* & *Iudicis*: *Accuſatoris*, ut peccatum memorat, enumerat, & revelat: *Teſtis*, ut de peccato perpetrato convincit: *Iudex*, ut de quantitate & qualitate delicti condemnat in homine interiori, & ad Judicium Viſibile & Sacramentale remittit.

QUAESTIO. V.

Qui ſint Actus Conſcientiæ pro Reo in hoc Tribunali Sacramentali?

Tres Actus Conſcientiæ advocantis pro Reo. CUm contrariorum eadem ſit ſcientia, & in Foro Sacramentali credendum ſit Reo tam pro ſe, quàm contra ſe, cujus Conſcientia propria totius veritatis eſt Judex, & Vindex: idcircò, nè confuſionem pariat ulterior dilatio, *Advocatam Conſcientiam* in ſingulis Quæſtionibus Titulorum proponemus.

CONCLUSIO UNICA.

ACtus *Conſcientiæ* pro Reo *advocantis* in hoc judicio, ſunt *Excuſare, Teſtificari, Iuſtificare.* Ratio clara eſt: Quia ſicut Conſcientia mali Reum accuſat peccati, teſtimonium reddit pravitatis, ac conſequenter condemnat convictum: Ita Conſcientia boni, hominem excuſat à peccato vel peccati qualitate ſivè quantitate, teſtimonium innocentiæ producit, & tandem juſtificat. Hoc in ſingulis Quæſtionibus Titulorum infrà manifeſtè apparebit.

TITVLVS II.

De Conſcientia Recta ſivè Infallibili, & qualiter ei credendum ſit?

QUAESTIO I.

Quotuplex ſit Conſcientia Recta, ſiue Infallibilis.

REctam ſivè Infallibilem Conſcientiam ſuprà *Tit.* 1. *Q.* 2. diffinivimus: *Quæ ex Rectis & Infallibilibus Principiis formatur.* Pro ratione itaque Principiorum, aſſignanda eſt diviſio Conſcientiæ Rectæ & Infallibilis, ad clariorem doctrinam & intelligentiam dicendorum.

CONCLUSIO UNICA.

COnſcientia Recta ſeu Infallibilis ritè dividitur in *Naturalem & Acquiſitam*.

Conſcientia infallibilis Naturalis. *Naturalis* dicitur, quæ ex Principiis naturæ primævæ à Deo inſitis, procedit. Talis eſt quæ ex Syndereſi, Lege Naturali, ſivè Lege & lumine mentis, ac generaliter ex Lege Divina Naturali ortum habet. Undè ſicut hæc Lex apud omnes eadem eſt, ſic Conſcientia ex ipſa formata, omnibus eſt communis, unde & *Conſcientia Naturalis* dicitur, quia ex Lege Naturæ indita, originem ducit. Quod explicat S. Paulus ad Rom. 2. *Gentes* (inquit) *qua Legem non habent, naturaliter ea qua Legis ſunt, faciunt, eiuſmodi Legem non habentes ipſi ſibi ſunt Lex: Qui oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis Conſcientiâ ipſorum* Ubi notandæ ſunt particulæ (*Naturaliter faciunt*) & (*opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis*) quibus & lumen naturale, & actus Conſcientiæ ex illo procedentes ſignificantur. *Rom. 2. vers. 14. 15.*

Conſcientia infallibilis acquiſita. Conſcientia Recta ſeu Infallibilis *Acquiſita*, dicitur quæ ex principijs poſitivis rectis, & infallibilibus acquiſitis, procedit, utpotè, ex Scriptura, Traditione, Conſuetudinibus probatis & hujuſmodi, ſivè illa voce, ſivè ſcripto fuerint propoſita. Talis eſt Conſcientia quæ formatur ex Lege Fidei vel morum, prout ex Sacra Scriptura, vel legitima Traditione ad nos pervenit, *Item*: Quæ ex Lege Eccleſiaſtica, ex Petri Cathedra vel Concilio Apoſtolico promulgata, procedit. *Item* Quæ ex principiis Naturæ per Jus Gentium eſt deducta, ut rivulus ex fonte, De quibus ſuis locis.

ADNOTATIO SINGULARIS.

De Infallibilitate Conſcientiæ.

POrrò ad intelligendum ſupradicta, advertendum eſt juxta diverſa principia, diverſas oriri Infallibilitates, quæ tribus ferè gradibus conſtituuntur.

Tres gradus Infallibilitatis in Conſcientia Recta. Primum gradum obtinet *Infallibilitas* Conſcientiæ Rectæ Naturalis: Quia enim vix contingere poteſt, ut quis ineulpabiliter prima Legis Naturæ Præcepta ignoret: tum ex parte Legiſlatoris: qui eſt Deus: tum ex parte Objecti, quod innititur veritati infallibili naturali: tum ex parte Operantis, cui vis illa à Deo Naturæ Conditore eſt inſita, omnimodam infallibilitatem & rectitudinem conſequitur.

Secundus gradus *Infallibilitatis* debetur Conſcientiæ Rectæ, quæ ex Principijs Fidei vel Morum per Sctipturam, vel legitimam Traditionem, ſivè etiam Legem Apoſtolicam oritur. Etſi enim Principia illa Primæ Veritati innitantur, adeòque omnimodam infallibilitatem habeant: quia tamen aliquando contingit illa ignorari, aut variis diſcep-

rationum turbinibus involvi, consequenter fit, ut Conscientia operana, etiam inculpabiliter aut in errorem, aut in dubietatem, aut in opinionem dilabatur ob Intellectus humani inconstantiam & fragilitatem. Unde hæreses, sectæ, opiniones, & falsa dogmata traduntur, quibus aliquando innocuæ mentes inculpabiliter adhærent, quia involucris multarum disputationum & ratiocinationum turbatæ sunt: Ut constat de ijs qui inter Hæreticos nati & enutriti & eorum doctrinâ delusi (cùm veritas eis apertè proposita non fuerit) Errantes & Ignorantes potiùs, quàm Hæretici censendi sunt: Atque adeò inculpabiliter errant.

Tertium & infimum gradum *Infallibilitatis* obtinet Conscientia Recta, quæ Legibus humanis tantummodò deducta ex Principijs naturalibus vel juris Gentium, formatur: Etsi enim Conscientia sic formata, ex ratione Principiorum Recta sit in se: quia tamen & Legislator & deductio infallibilitatem omnimodam non habet, opinionibus apparentibus distrahi potest, & per accidens falli: Unde & gradus infallibilitatis inferior est duobus modis primis. Primus namq; gradus Infallibilitatem habet omnimodam ex parte Objecti, Subjecti, Operantis, & Legislatoris. Secundus ex parte tantùm Objecti sive Principiorum deductorum, non tamen semper ex parte deducentis nec Subjecti Operantis. Quæ omnia necessariò sunt advertenda in materia cognoscendorum peccatorum.

QUAESTIO II.

An Conscientia ex Lege Naturali Divina orta, in aliquibus possit aliquandò extingui & deleri?

CONCLUSIO I.

CONSCIENTIA *ex Lege Divina Naturali procedens, numquam potest universaliter in homine obliterari, aut extingui.* Ita passim Scriptura: Isaiæ 66. *Vermis eorum non morietur & ignis eorum non extinguetur.* Ubi Hieron. l. 16. Comment per *Vermem* & *ignem* Conscientiam perpetuò affligentem intelligit. Clarissimè S. Paulus ad Rom. 1. Ubi declarat gentes in reprobum sensum, in passiones ignominiæ, in desideria cordis eorum, in immunditiam, & in omnia peccata traditas & prolapsas: Quia Conscientiæ lumen naturale non sunt secutæ. Quapropter infert eos inexcusabiles, *Qui veritatem Dei in iniustitia detinuerunt: Quod* (ait) *notum est Dei manifestum est in illis* (id est, in Conscientija illorum) *Deus enim illis manifestavit* (utique inditâ illis Lege naturali) Et iterum: *Qui cum iustitiam Dei cognovissent* (nimirum per lumen naturale Conscientiam illustrans) *non intellexerunt* (id est, intelligere noluerunt reclamante tamen Cõscientiâ) *quoniam qui talia agunt digni sunt morte, & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* & cap. 2. concludit: *Quicunque eum sine Lege* (Scripta) *peccaverunt,* &c. *per Legem iudicabuntur.* Et ut rationē priori addat de Gentibus qui Legem Scriptam non habent, postea declarat: *Quod sibi ipsis fuerint Lex; Quia opus Legis scriptum erat in cordibus eorum testimonium reddente illis Conscientia ipsorum, & inter se cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus.* Unde S. Hieronymus Q. 8. ad Algasiam: *Ista* (inquit) *Lex qua in corde scribitur omnes continet nationes, & nullus hominum est, qui hanc Legem nesciat: Vnde omnis mundus sub peccato, & universi homines Prævaricatores Legis sunt, & idcircò iustum Iudicium Dei est scribentis in corde humani generis: Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris. Quis enim ignorat homicidium, adulterium, furtum, & omnem concupiscentiam esse malum, ex eo quòd sibi ea nolit fieri.* Et S. Augu lib. de Spiritu & lit. c. 27. *Non usque adeò in Anima humana Imago Dei, terrenorum affectuum labe est detrita, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint: undè meritò dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua Legis vel sapere.* Et lib. 2. Confess. cap. 4. *Furtum certè punit Lex tua Domine, & Lex Scripta in cordibus hominum quam ne ipsa quidem delet iniquitas.* Et alio habentur in Psalm. 57.

Dixi (*universaliter*) etsi enim in una Natione, aut personis aliquibus, aut secundùm aliquos actus, sive etiam pro aliquo tempore Lex Naturalis videatur obliterata: Non tamen in omni Natione, nec in cunctis etiam eiusdem Nationis personis, nec circa actus omnes, quinimò nec omni tempore, ut legenti Historias, & acta humana pensanti obvium est. Sic enim olim Germani, Angli, Scoti, dicuntur furtum credidisse licitum Sic S. Hieron. lib. 2 contra Jovinianum refert. Quòd cum adolescens esset, viderit in Gallia Scotos humanis carnibus vescentes, Pastorum nates in silvis, & pupillas uberum in Fœminis abscindentes ad delicias convictus, pecudum more viventes, quibus nulla propria uxor, &c. Quæ omnia sunt contra dictamen Legis Naturalis, quâ deletâ, etiam deleri Conscientiam necessè est.

CONCLUSIO II.

ETsi *Conscientia Recta quæ immediatè ex principiis primis Legis Naturalis formatur, non possit extingui, quæ tamen ex principiis deductis ex Lege Naturali, vel ex Legibus Positivis etiam Divinis oritur, omninò in aliquibus in hac vita extingui, sive ita obduci potest, ut nullus remorsus maneat.*

Conclusio constat ex dictis suprà: Sic enim multi in Præceptis Fidei ita obdurverunt, ut Articulos Fidei, etiam in Lege Scripta expressos, Hæreses putent & errores, absque Conscientiæ vel modico Scrupulo aut dubitatione: Sic apud Anabaptistas promiscui concubitus: Sic in Erroribus Beguinarum & Begardorum nefandæ impudicitiæ

Isai. 66. vers. 24. Conscientia in principiis Legis Naturalis non extinguitur.

Rom. 1. vers. 18. 19.

Ibidem. cap. 2. vers. 12.

S. Hieron. Q. 8. ad Algas.

S. Aug. l. de Spiritu & lit. cap. 27.

Idem l. 2. Confess. cap. 4.

Mores pravi in quorundam Nationum.

Conscientia ex principiis deductis in aliquibus extincta.

citiæ & impuritates, contra Legem Divinam Naturalem invaluerunt, & non pro licitis tantum sed etiam pro meritorijs ab iis habentur. Ratio verò fuit: Invalescens impietas, & carnis libido interminata, quæ diabolo suadente apud primos quidem Auctores tantùm valuit, ut mitis præstigiis homines fascinarent, & inventis malitiosis rem pessimam ita involverunt, ut cæteri hausto veneno doctrinæ pessimæ, illam pro vera & tenerent, & aliis traderent, obdurata Cōscientiâ & obfuscato lumine Rationis.

QUAESTIO III.

An detur Exceptio sivè excusatio Conscientiæ Advocantis, contra Conscientiam Rectam?

HAEc Quæstio pertinet ad Advocatum pro Reo, sivè ad Conscientiam quatenùs excusat, defendit, vel justificat Reum: De qua actione S. Paulus ad Rom. 2. *Cùm Gentes quæ Legem non habent naturaliter ea quæ Legis sunt, faciunt, &c. Ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis Conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die cùm iudicabit Deus occulta hominum secundùm Evangelium meum.* &c. Ex quibus Verbis docet, in eadem interdum Conscientia non deesse cogitationes accusantes Reum, & alias defendentes, velut Advocatos pro Reo.

Rom. 2. verſ. 14. 15.

Sensus igitur Quæstionis est. An posità Conscientia Rectâ accusante: possit in eadem Conscientia dari aliqua excusatio vel exceptio quâ Reus defendatur vel absolvatur?

Conclusio I.

Non datur exceptio contra Conscientiam Rectam in se.

COntra Conscientiam Rectam bom nem de peccato accusantem in se, non datur Exceptio vel Defensio. Ratio est: Quia ut in superioribus diximus, Conscientia Recta eadem est cum Infallibili, Infallibilis autem non admittit exceptionem aut excusationem.

Conclusio II.

ETsi contra Conscientiam Rectam & eius dictamen non detur exceptio: Datur tamen interdùm Exceptio contra eius Principia non per se sed per accidens: Quia nimirum huic Individuo in singulari non fuerunt sufficienter proposita Explico: Petrus inter Barbatos in quibus Lex Naturalis quoad nonnulla oblitterata erat, ignoravit Fornicationem, Pollutionem, Concubitus præpostetos, Immunditias, & Impudicitias esse peccata: venit ad terras Catholicorum, intelligit gravitatem istorum peccatorum: Reviviscit Conscientia & graviter interius accusat & condemnat Petrum de factis prioribus: Etsi non detur Exceptio contra sic resurgentem Conscientiam: Datur tamen Petro ratio Excusationis sivè Exceptionis contra Conscientiam accusantem de præteritis, Quia usque ad momentum quo revixit sivè excitata est Conscientia, ignoravit Principia Legis Naturæ dicta peccata prohibentis: Ita ut Exceptio non tam fit contra Conscientiam, quàm contra scientiam & notitiam principiorum Legis Naturæ ex qua debet formari & informari Conscientia ut justè accuset & condemnet Petrum. Undè notanter S. Paulus ad Rom. 2. Ubi Gentium quæ Legem Scriptam non habent Conscientiæ Tribunal, describens: *Testimonium (ait) reddente illis Conscientiâ ipsorum, & inter se invicem Cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cùm iudicabit Deus occulta hominum.* Quasi diceret: Etsi in aliquibus ob reprobum sensum & ignorantias in quas traditi sunt (de quibus cap. 1. egit) Conscientia velut e mortua fuerit, si in vita non excitetur, in mortetamen excitabitur ad accusandum Peccatorem, utique *In die cum iudicabit Deus occulta hominum* Tunc verò ob justitiam Dei, exurgente Conscientiâ, simul consurgent in illa, ex una parte Cogitationes accusantes de culpa, & culpabili ignorantia, de negligentia, de malitia: Ex altera verò parte, Cogitationes defendentes se opponent ostendentes ignorantiam inculpabilem & causas eius.

Reg. 2. verſ. 15. 16.

QUAESTIO IV.

An possit dari Excusatio legitima in Conscientia contra Principia Legis Naturæ, & Legis Positivæ Divinæ, quæ excuset à peccato?

Conclusio Unica.

Ignorantia inculpabilis excusat hominem à peccato.

IGnorantia inculpabilis Legis Naturæ & Legis Positivæ, si talis detur, excusat hominem à peccato. Ratio clara est, Quia eiusmodi ignorantia actum velomissionem facit involuntariam, nullum autem involuntarium, peccatum esse potest ut late documus Tract. 3. Tit. 2. Q. 1.

Dixi (*Ignorantia inculpabilis*) si enim culpabilis sit, sive dicatur supina & negligens, sivè affectata & malitiosa, non censetur excusare, sed pro ratione materiæ, negligentiæ vel malitiæ, inducit peccatum Mortale vel Veniale. Undè advertendum est Ignorantiam dupliciter dici posse Culpabilem, nimirùm, *In se*, vel *in Causa*. *Culpabilis in se* dicitur, quando merâ socordiâ vel negligentiâ, sivè etiam malitiâ & voluntate quis non vult aut negligit scire, aut attendere ad Legem vel eius obligationem. *In Causa* verò Culpabilia dicitur, quando voluntariè se privavit mediis necessariis ad sciendum vel attendendum, imò posuit positivum impedimentum, ita ut scire vel attendere quandoque non possit, etiamsi vellet. Tali ignorantiâ laborant, qui propriâ Sponte ad terras Hæreticorum habitaturi vadunt, ubi sciunt se nec

Ignorantia culpabilis in se

Ignorantia culpabilis in causa

Catholicis præceptis, nec doctrinâ necessariâ ad salutem, imbui posse, nec ab erroribus liberari; quinimò, ubi non nisi doctrinas perversas audiunt, & blasphemias contra Veritatem. Hi enim etsi bonæ Voluntatis sint, & desideriis bonis contingat illos ad veram doctrinam ferri, causam tamen suæ Ignorantiæ dederunt, dum voluntarie hujusmodi habitationem elegerunt, ex qua oritur ista impossibilitas notitiæ credendorum, vel causa ignorantiæ. De culpabilibus ignorantiis intelligendæ sunt Scripturæ Psalm 35. *Noluit intelligere ut benè ageret* Job 21. *Qui dixerunt Deo recede à nobis & scientiam viarum tuarum nolumus* Isaiæ 30. *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores, auferte à me viam.* &c. Ut verò hæc Conclusio in qua plurimarum difficultatum, & quæstionum cardo versatur, plene & digeste intelligi possit, resolvenda sunt nonnulla dubia.

Psal. 35. vers. 4. Job 21. vers. 14 Isa. 30. vers. 10. 11.

Dubium I.

An pro eodem supponat Ignorantia Invincibilis, & Inculpabilis?

Differentia inter ignorantiam, Inculpabilem & invincibilem.

Respondeo, Etsi pro eodem communiter sumi soleant Invincibilis, & Inculpabilis Ignorantia, in rigore tamen aliquando non cõvertuntur. Cùm enim Ignorantia Invincibilis dicatur, quæ pro aliquo statu, studio, aut diligentiâ humanâ vinci non potest, & econtrà, Vincibilis quæ hujusmodi diligentiâ vinci seu elucidari potest: contingit quandoque Ignorantiam Invincibilem esse, quæ tamen Culpabilis est: & econtra Vincibilem esse, quæ est Inculpabilis. *Exemplum primi*: Homo suâ culpâ penè ebrius, nesciens & ignorans quid agat, occidit, fornicatur, &c. pro statu quo ebrius est laborat ignorantia invincibili, utique, quia supposito hoc statu, Ignorantia talis tunc vinci non potest: quæ tamen Ignorantia Culpabilis est, quia ex culpa ebrius, huic Ignorantiæ causam dedit *Exemplum Secundi.* Venator putans configere feram, transfigit hominem inter vepreta, adhibita ordinaria cautela: Ignorantia Vincibilis est, quia de facto adhibita extraordinaria cautela, vinci & elucidari poterat: Inculpabilis tamen est: Quia ordinariam tantùm cautelam adhibere tenebatur, quam & adhibuisse supponitur, ideoque excusatur à culpa. Ex ratione huius doctrinæ malui uti vocabulo *Ignorantia Inculpabilis, & Culpabilis*, quam *Invincibilis & Vincibilis*. Etsi (ut dixi) *Invincibilis* apud Auctores satis communiter pro *Inculpabili* sumatur eo scilicet intellectu, quod nec antecedenter, nec concomitanter vinci posset: Similiter utuntur *Vincibili pro Culpabili*, eò quod adhibitis quæ quis ex obligatione adhibere tenetur, vinci possit: Et ne cogamur terminos sæpius mutare & explicare scire oportet, quod pro eodem ferè sumitur *Ignorantia Probabilis & Ignorantia Inculpabilis* Ideò quod consideratis circumstantijs, probetur à culpa indemnis: Sicut & *Ignorantia Improbabilis* pro *Culpabili*, eò quod consideratis circumstantijs, tamquam Culpabilis condemnetur.

Dubium. II.

Quæ requirantur ut Ignorantia censeatur Inculpabilis?

Requisita ad ignorantiam inculpabilem.

Primum quod requiritur, est: ut quis culpabiliter causam non dederit Ignorantiæ: Si enim causam dederit ignorantiæ, Culpabilis censenda erit pro modo culpæ & causæ. Quomodò ignorantia Culpabili laborant Hæretici, qui etsi in Hæresibus se non errare credant: quia tamen indiscreto zelo, passione, odio Catholicæ Veritatis, amore suorum Hæresiarcharum, noluerunt à principio attendere, nec audire Catholicam Veritatē: in ignorantiam istam se præcipites dederunt, de qua obdurato jam corde, vix possunt surgere. Culpabili similiter Ignorantia laborare convincuntur, qui excæcati odio & passione, nolunt audire informationes vel opiniones aliorum: Quinimò si informentur, infirmantibus irascuntur, & sic sua pertinacia prædominante, processus & lites iniquas coram Judicibus prosequuntur, putantes se justam causam habere. Et infinita similia indies oriuntur quæ Judices Confessarii prudenter attendere debent.

Dixi (*ut quis culpabiliter causam non dederit*) si enim causam inculpabiliter dedit, jam ignorantia illi imputanda non est reputabiturque Ignorantia inculpabilis. Talis fuit Ignorantia Loth cognoscentis Filias, etsi enim huic Ignorantiæ per ebrietatem causam dederit, quia tamen ebrietas inculpabilis fuit, utique, nec prævisa, nec volita, idcircò Ignorantia ad culpam illi non imputatur, & inculpabilis censetur.

Secundum Requisitum ad ignorantiam inculpabilem.

Secundum, quod requiritur ad Ignorantiam inculpabilem, est: ut homo juxta rationem sui status & conditionis, sive vocationis aut exercitii, fecerit omnia ad quæ obligatur ad sciendum id, cujus ignorantiâ laborat. Quæ omnia distinctè exponenda sunt Dixi itaque (*ut homo iuxta rationem sui status, conditionis, sive vocationis fecerit omnia ad quæ obligatur ad sciendum*) plura enim scire tenetur Episcopus, Princeps, Prælatus, quàm subditus: Plura & alia Ecclesiasticus, Sacerdos, Religiosus, quàm Sæcularis aut Laicus; Plura & alia qui studuit, quàm aliquis de grege simplici Rusticorum Plura & alia Confessarius, quàm ideota Pœnitens. Et cõsequenter qui plura tenetur scire, ut scientiam requisitam acquirat, plura tenetur facere, ut Ignorantia eius Inculpabilis reputetur

tur. Demum quorum scientia major esse debet, eorum ignorantia periculosior est: Cui enim plus datum est, plus exigetur ab eo. Unde & Malach. 2. dicuntur: *Labia Sacerdotis custodire scientiam:* Et apud Paulum requiritur, ut Episcopus & Prælatus cujusvis conditionis *potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Et alibi: *ut sit paratus omni poscenti rationem dare:* Utiq; de Fidei præceptis & Doctrina catholica, quâ ratione etiam in Consecratione sua Episcopus profitetur se scire utrumque Testamentum Novum & Vetus.

Malach. 2. vers. 7. ad Titū. 1. vers. 8. 1. Petr. 3. vers. 5.

Unde notanter addidi (*ad quæ obligatur ratione suæ conditionis*) Quod intelligendum est, tam in objecto sivè quoad rem quæ sciri debet, quam in modo quo scientia acquirenda est: Majorem enim diligentiam adhibere tenetur qui studuit, qui est ingenij capacis ad inquirendum, quam Idiotæ simplices, qui nec sunt capaces multa inquirendi, libros legendi, Doctores interrogandi: Sufficit autem illis mediocris diligentia, quam suæ sortis homines adhibere solent audiendo Catechismos, Conciones, Instructiones ordinarias: undè in iis quæ solent hujusmodi sortis homines communiter ignorare, illorum Ignorantia Inculpabilis censenda est, ut sunt Excommunicationes juris, Præcepta extraordinaria Ecclesiæ, & Canonum Decreta Diœcesana, &c.

Unde iterum Dixi (*qua obligatur facere ad sciendum*) Non enim simpliciter tenetur omnia facere, quæ fieri possent, sed intra terminos moralis obligationis quâ quis tenetur adhibere ordinariam diligentiam, quæ negligentiam culpabilem excludat. Explicate autem Dixi (*ad sciendum*) Alia enim requiruntur ad tollenda impedimenta actionis.

Explico: Aliquis inter Hæreticos existens, laborat ignorantiâ Articuli Fidei vel Præcepti divini: Ad Ignorantiam tollendam, sufficit ut consulat viros probos & doctos, & ea peragat quæ ad tollendam Ignorantiam spectant: Ut autem scientiam jam recuperatam executioni mandet, sæpè necesse est Patriâ egredi, societates relinquere, gravia damna pati, &c. Quæ omnia sigillatim veniunt expendenda.

Tertium ad Ignorantiā Inculpabilem requisitum.

Tertium quod ad Ignorantiam Inculpabilem requiritur, est: Quod homo non laboret pertinaciâ, sed sit in illo inclinatio quædam ad assentiendum veritati, quoties illa proponetur, & ad indagandam veritatem ubi causa dubij vel scrupuli occurrerit, quæ quidem inclinatio hac conditionali exponi potest. Si scirem me ignorare, vellem omnem movere lapidem ad cognoscendam veritatem: Si scirem me malè facere, ego nullatenùs facere vellem.

Signa Ignorantiæ culpabilis.

Signa verò pertinaciæ sunt hæc: Primum, si alicui veritas ita manifestetur ut prudenter dubitare possit, & nihilominùs non inquirat, imò inquirere formidet, nè scrupulis angatur.

Secundum est, Quando fugit & odit eos qui possunt ignorantem melius informare, quamvis protestetur: *Quod si veritatem sciret, illam amplecti vellet.* Hoc in Hæreticis patet quibus hæc est communis vox, *vellem invenire qui me doceret*, nihil minùs intendentes. Et manifestum est in ijs, qui bona aliena injustè possident; Qui causas & lites pro rebus dubijs intentantes, non tam quærunt qui eos de veritate informent, quàm qui ignorantiam eorum foveant.

Tertium signum est. Si quis à peritis & Doctoribus declarationem veritatis postulet, & illa facta, nihilominus nulla assignata ratione acquiescere velit

Quartum, Si quis non abstineat à consortio eorum, quos novit in multis errare, & de quibus suspicionem gravem habet, quòd contradicant veritati. Et alia signa apud *Gersonem P. 1. in fragmento de Pertinacia*, videri possunt.

Ex dictis patet, quæ econtrariò dicatur *Ignorantia Culpabilis* seu *Vincibilis*: Nimirum: primo. Cui homo dedit causam. Talē Ignorantiam fuisse in Gentilitate asserit S. Paulus cùm ad Rom. 1. docet Gentes in ignorantia sua fuisse excusabiles: *Quia Veritatem Dei in injustitia detinuerunt. Quia quod* (inquit) *notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit*, &c.

Rom. 1. vers. 18. 19.

Secundò. Illa Ignorantia dicitur *Culpabilis*, ad quam tollendam homo debitè juxtâ suæ conditionis obligationem, non laboravit. Talis fuit ignorantia Pauli de qua 1. Timoth. 1. *Qui prius blasphemus fui, & contumeliosus, sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.* Cùm enim Paulus in Scriptura esset versatissimus & *profecisset in judaismo supra multos Coetaneos suos, paternarum Traditionum abundantius Æmulator existens* ut testatur *ad Galat* 1, habebat causam inquirendi de veritate Evangelicæ doctrinæ, pro qua fatetur incredulitatē suā.

1. ad Timoth. 1. vers. 13.

Galat. 1. vers. 14.

Tertiò. *Culpabilis* redditur ignorantia ex pertinacia, qua quis videns & audiens, nihilominus non vult acquiescere, sivè timore humano, sivè aliqua parva dispositione, & interdùm excæcatione. Talis Ignorantia repetitur in Actibus Apostolorum in Felice cum Drusilla uxore, Rege Agrippa cum Bernice, qui etsi ad commotionem animi, & veritatis agnitionem aliquam pervenissent, Paulo prædicante: nihilominùs in ignorantia sua permanentes, ab ea recesserunt. *Act* 24. 25. 26.

QUÆSTIO V.

An detur Ignorantia inculpabilis eorum, quæ Lege Naturæ sunt præcepta?

Duplicia Legis Naturæ Præcepta.

ADvertendum: Duplicia esse Præcepta Legis Naturæ: Alia enim sunt velut prima, & universalia principia per se nota, quæ

quæ omnibus ita sunt manifesta, ut à nemine negari possint, ut sunt: Aliquod Numen esse, Deum colendum esse, Bonum amplectendum, Malum fugiendum, Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Alia sunt deducta sive declarata ex primis, ut sunt Quæ in Decalogo exprimuntur.

Conclusio I.

PRincipiorum primorum universalium Legis Naturæ, sive quæ per se nota sunt, non datur Ignorantia Inculpabilis, vel (ut alii loquuntur) Invincibilis. Ratio clara est ex terminis: Ruæ enim per se nota sunt, ex natura sua ab omnibus cognosci debent, suntque ita Naturæ insita, ut Intellectus ea non posit non nosse nisi contra Naturam malitiosè obstrepat: Talia Principia sunt supra notata, quæ sic in universali proposita, à nemine sine gravissima culpa ignorari possunt.

Dixi (*in universali*) in singulari enim contingit frequenter dubitari, An hoc vel illud sit bonum, vel malum? & An hic sit Deus? &, An colendus ut Deus? Quomodo de Christo Deo, & ut Deo, plures Sectæ & Hæreses natæ fuerunt.

Conclusio II.

DAtur Ignorantia Inculpabilis Præceptorum aliquorum Legis Naturæ in singulari: etiam eorum quæ in Decalogo exprimuntur: etsi rarius, & ad tempus. Ratio est: Quia cum aliqua non sint per se nota, ut superiùs indicatum est, sed deductione & discursu, sivè declaratione indigeant; non est mirum, si ob infirmitates & tenebras mentis humanæ læsæ per peccatum Originale, ad aliquod tempus ignorari contingat. Exempla dedimus supra hoc Tractatu Tit. 2. Q. 2. de Barbaris Nec mirum de Barbaris; Sane experti fuimus seniores aliquos, imò & juniores defectu instructionis, non credidisse immunditias, & pollutiones esse peccata; quid de
Nota. osculis & tactibus? Quod si ad Contractus illicitos Jure naturæ usurarios; & hujusmodi quæ ex principio universalissimo: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, planè deducuntur, veniamus: non est finis ignorantiarum, ob offusas humanæ subtilitatis opiniones, quarum tamen plurimas reperimus in plurimis culpabiles, sivè sint affectatæ, sivè supinæ & crassæ, de quibus in decursu secundi Tomi. Porrò quis neget Mendacium Jure Naturæ prohiberi? societatem humanam tollere? Cassianus tamen alias pijssimus,
Nota. *Collatione* 17. *a. cap.* 17. usque *ad* 21 arbitratus est licere mentiri ob damnum grave evitandum, aut bonum conservandum; Quod & sensit *Origines lib. 6. Stromatum*, & *Martinus de Magistris Q. 5. de Martyrio*, approbat Mendacium quod fit pro salvanda vita. Nec longè absunt assertores Restrictionum mentalium, quæ omnem societatis humanæ sinceritatem destruunt. Taceo impudicitiarum nonnullos patronos, qui etiam ausi sunt Fornicationem simplicem à prohibitione Legis Naturæ abstrahere, & soli Præcepto Ecclesiastico alligare. Hæc noto non ut istis pravis opinionibus aliquam excusationem prætendam, sed tantum ut ostendam aliquos simplices & minoris aut obtusi ingenii homines, posse in similibus aliquâ inculpabili ignorantiâ ad tempus laborare, quibus doctrina Catholicæ & Christianæ lumen non accessit defectu interdum Ministrorum.

Dixi (*in singulari*) ut indicem singularitatem personæ. Constat enim quod Ignorantia quæ in uno Inculpabilis est, in altero in eadem Natione, Civitate, imo & Familia sit Culpabilis, & Vincibilis: Quia unus præ altero ingenio pollet, unus præ altero conversatur, & audit doctrinam quæ illum ab ignorantia liberet, unus præ altero inquirere tenetur. Per eandem etiam particulam declaratur, quod in eodem Præcepto, posit homo circa singularem actû Ignorantiâ Inculpabili laborare, circa alterum Culpabili. *Explico*; Laborabit quis Inculpabili Ignorantiâ circa osculum impudicum, quod nesciet esse peccatum mortale, non laborabit tamen ignorantiâ Culpabili, circa tactus alios impudicos, & magis ad copulam immediatos.

Dixi (*rarò*) In Ecclesia enim Catholica, vix hoc tempore inculpabilis ignorantia cadit circa aperta Juris Naturæ Præcepta, quantumvis deducta, ob continuas Prædicationes, instructiones, Colloquia, Educationes honestas, in quibus facile de ijs ignorantes admonentur, aut saltem in suspicionem mali inducuntur.

Dixi (*ad tempus*) vix enim contingit homines si vel modicum instruantur, quin saltem in remorsum, suspicionem, aut dubitationem mali veniant; quo tempore tenentur inquirere, & cessat ratio invincibilitatis, vel inculpabilitatis.

Appendix Notabilis.

De Præceptis Legis Naturæ mixtis, & eorum Ignorantia Inculpabili, vel Culpabili.

ADvertendum verò est prudenti Judici, sivè Confessario: Nonnulla esse Præcepta, quæ etsi ex Lege Naturæ fundamentaliter, sivè in substantia Præcepti sint immediatè deducta, adjunctum tamen habere interdum aliquid, quod Præcepto Divino Positivo, vel etiam Humano superadditum est. *Explico*: Præceptum Legis Naturalis est Deum colere: Quo autem cultu externo, & quo tempore coli debeat, cum ex Lege Naturali id specialiter non habea-

tur,

tur, varii modi & tempora, Lege tum divinâ, tum Humanâ, Præcepto Legis naturæ sunt superaddita: Sic modi Altarium Sacrificiorum, Orationum, Cæremoniarum variè in Exodo, Levitico, Numeris, &c. præscribuntur: & alia in Lege Naturæ à Deo per inspirationem particularem Patriarchis, & Patribus præscripta fuerunt sicut & Sacrificii modus, & Orationum ac Cultus Divini, in Lege Nova variè transmutatus est: Sic Lege quidem Naturali prohibitum fuit accedere ad non suam: Quæ autem sit sua, sivè quæ pro uxore tenenda sit, variè determinarunt tum Deus in Lege Antiqua, tum CHRISTUS & Ecclesia in Nova, stabilientes Contractum Matrimonii legitimis suis circumstantiis & Conditionibus, statuentes varia impedimenta dirimentia, quæ si interveniant, Matrimonium redditur nullum, & uxor declaratur non uxor, sivè non sua. *Similiter* in Contractibus: Primò Iure Gentium divisio facta est bonorum & consequenter declarato alieno, materia furti & injustitiæ assignata est: Demùm Iustitia Possessionum, Iurium, Dominiorū, Usus rerum, decreta est: Tandem variis Legibus ad conservandam hominum societatem, ad benè instituendas tuendasque Respublicas modi Contractuum sunt inventi: Qui omnes determinant universale illud Præceptum: *Ius suum unicuique tribuendum est: Nulli nocendum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, &c.

Dico igitur: Etsi non possim Invincibiliter ignorare *Ex g. Deum esse colendum*, possum tamen ignorare quo cultu externo, aut quo tempore sit obligatoriè mihi colendus? *Similiter*: Etsi Joannes non possit inculpabiliter ignorare se non posse accedere ad non suam: Potest tamen inculpabiliter ignorare Margaretam esse non suam, sed verè credere esse suam, quia inculpabiliter ignorat impedimenta quæ constituunt non suam, seu potius impediunt nè sit sua. *Iterum*: Scio me non posse alienum capere, alteri nocere, quia sunt Legis Naturæ Præcepta quæ ignorare non datur; Possum tamen invincibiliter ignorare hoc quod habeo vel possideo esse alienum; In hoc vel illo Contractu committi injustitiam; Hunc vel illum casum inducere Usuram, Simoniam, nec non conditiones ratione quarum Iure Gentium, vel Iure Civili Politico vel Ecclesiastico, injustitia declarata est.

Vanitas nata per Opiniones.

Super his adjectis ad Præcepta Naturæ, Iuserunt hominum Opiniones, & humanis actionibus satis de se inconstantibus, majorem etiam inconstantiam inspersserunt. De quibus infrà suo loco.

Prudens itaque Iudex Conscientiarum benè advertat: An ignorantia cadat super Præcepto substantiali, sivè fundamentali Legis Naturæ? An verò super adjecto alterâ Lege? ut de Jnculpabilitate vel Culpabilitate Ignorantiæ, justum judicium ferre possit.

DUBIUM INCIDENTALE.

An Iudex Conscientiarum teneatur semper Ignorantiam si quam advertit, tollere?

Confessarius tenetur ignorantiā præceptorū Legis Naturæ tollere

R*Espondeo primò*: In iis quæ merè Iuris Naturalis sunt, sivè quæ in substantia Præcepti Legis Naturalis continentur, teneri Iudicem Conscientiarum Jgnorantiam tollere, quantùm potest. *Ratio est*: Quia Iudicis est obscura Iuris declarare, Reum convincere, Transgressionem Legis impedire, Legis observantiam promovere, quæ fieri nullatenùs possunt, nisi sublatâ illorum Jgnorantiâ.

Non tenetur semper.

Respondeo secundò: Jn ijs quæ præcepto Legis Naturæ per alias Leges sunt superaddita, Iudicem interdùm posse Jgnorantiam Inculpabilem, sive Invincibilem dissimulare, causâ majoris peccati evitandi. *Explico*: Petrus nupsit Margaretæ, ignorans invincibiliter quòd sit sua Cognata vel Affinis in gradibus prohibitis: si credat quòd per admonitionem ejus se non separabunt, & consequenter revelatâ jam conscientiâ peccata superaddent, & scandala multiplicabunt; potest, imò melius est ut taceat, saltem donec dispensationem & remedium inveniat, quo à peccato & peccati periculo præservari possint. *Ratio est*: Quia ubi cessat finis monitionis & instructionis, cessare censetur obligatio, finis autem monitionis & instructionis, est præservatio aut cessatio à peccatis, quæ hic supponuntur non futura, imò econtrariò illos peccaturos, quos antè Ignorantia Invincibilis excusabat. Nota.

Dices. Eadem ratio concludit de revelatione Jgnorantiæ Invincibilis Præceptorum Legis merè Naturalis, quâ prius à peccato mortali excusabatur. *Ex g.* Petrus ignorat invincibiliter Pollutionem esse peccatum mortale: Si Iudex Conscientiæ illi hoc revelet, pravam consvetudinem se polluendi fortè continuabit, & sic peccabit mortaliter se polluens, qui ratione Jgnorantiæ Invincibilis priùs à peccato mortali excusabatur.

Respondeo Neg. paritatem. Scientia enim Præceptorum Legis Naturæ obligat ad semper & pro semper, id est, omni tempore quo homo Ratione utitur, sivè læsam vel impeditam Rationem non habet, tenetur enim non tantùm Præcepta Legis Naturæ observare, sed etiam scire; Undè injustè Ignorantiam Invincibilem censetur possidere, & *veritatem Dei injustitia* (juxta Apostolum) *detinere*. Quapropter quidquid fieri possit, tenetur Iudex Ignorantiam illam ab injusto veritatis Dei Detentore, tol- Ad Rom. 1.

lere. Scientia autem præceptorum aliarum Legum, nec ad semper, nec pro semper obligat, sed pro certo tempore & juxta rationem, statum, & conditionem personæ: Supposità igitur Invincibili Ignorantià alicujus Legis Positivæ, supponitur persona ignorana, aut tunc non obligata fuisse ad cognitionem Legis, aut ad scientiam Legis non potuisse pervenire, adeò quòd; quamvis Ignorantia qua laborat, justa non censeatur, non habetur tamen pro injusta, ideoque pro illo tempore quoad scientiam Legis (ut supponitur) non obligatur, dissimulari potest. Et explicari potest per exemplum suprà allatum, supposito enim quòd Petrus ignoraverit invincibiliter Legem Matrimonium detimentem, supponitur pro illo tempore non fuisse obligatus ad scientiam Legis, & consequenter Ignorantia in illo injusta non est, ideoque dissimulari potest.

QUÆSTIO VII.

An detur Ignorantia Inculpabilis Legis Positivæ Divinæ, quæ à peccato excuset?

ADverte, præter Legem Divinam Naturalem dari Leges Divinas Positivas quæ & Naturam conservant, & perficiunt in ordine ad finem Supernaturalem. Tales variæ Leges tam Iudiciales, quàm Cæremoniales in Moysi Lege continentur: Talis fuit Lex de non comedenda carne cum sangvine in Lege Naturæ: Tales fuerunt Leges magis explicatæ Fidei, Spei, & Charitatis, nec non Baptismi, ac Sacramentorum in Novo Testamento præscriptæ.

CONCLUSIO UNICA.

Datur Ignorantia Invincibilis Legis Divinæ positivæ.

DAtur frequenter Ignorantia Invincibilis, sivè Inculpabilis Legum Positivarum Divinarum quæ purè sunt tales, etiam toto tempore vitæ perseverans.

Ratio est: Quia cùm Leges purè Divinæ quæ nil Iuris Naturalis habent admixtum, non nisi revelatione & debita promulgatione cognoscantur: fieri potest, ut quis nec revelationis cognitionem habeat, nec certitudinem promulgationis, etsi fecerit ea omnia ad quæ pro sua conditione tenebatur ad sciendum, & consequenter potest quis laborare Invincibili Ignorantia dictorum Præceptorum, & in illa Ignorantia perseverare. Ità præceptum Baptismi diu aliquos latuit à prima promulgatione, usque dum Evangelium ritè prædicatum esset, quo tempore cucurrit Circumcisio, & Remedium Legis Naturæ cum Baptismo, & Legalia cum Evangelio: ideoque qui ante sufficientem Prædicationem Evangelii & Baptismi sunt mortui, usque ad mortem Ignorantia Invincibili perseverarunt, & à peccato contra Legem CHRISTI excusati fuerunt. & sanè res admodùm trita est, in Actibus Apostolorum debuisse celebrari ab Apostolis plura Concilia super nonnullis Quæstionibus in explicatione Præceptorum Legis CHRISTI & Evangelii, quia etsi Præcepta extarent tanquàm Articuli Fidei, necdùm tamen plenè declarata & explicata erant, dabaturque de illis Ignorantia Invincibilis & Inculpabilis: Vide Act. 10. 11. & 15. Et articuli multi Fidei in Ecclesia Catholica adhæc usque tempora declarati non fuerunt, etsi ad salutem pertinerent, Spiritu Sancto omnem veritatem declarante, & Ecclesiam instruente non eodem die, sed tempore destinato à Deo, juxta Regulas æternæ Sapientiæ & Providentiæ. Sic diu disputatum est in Ecclesia, An lapsi essent ad Pœnitentiam recipiendi? An baptizati ab Hæreticis essent rebaptizandi? An Confessio Sacramentalis esset de Iure Divino? & alia plurima quorum ante declarationem plurimi Ignorantia Invincibili laborarunt, & in illa Ignorantia mortui, sine dubio sunt salvati, quia à peccato ob Ignorantiam Invincibilem etiam in Iudicio Dei excusati fuerunt. Et præter Articulos principales Symboli Apostolici, multos, idiotaa Articuloa plures, etsi æquè necessarios ad salutem, inculpabiliter ignorare res est vulgaris & omnibus nota: utique quia rudes & idiotæ non sunt capaces istius scientiæ, quæ ad majores in Ecclesia Dei spectat, ità ut idiotis in genere & implicitè sæpè sufficiat Fides Carbonarii, Credere, scilicet, quòd Ecclesia Sancta credit.

Quæ sit ignorantia Culpabilis in Lege Divina positiva?

Adverte tamen signa Ignorantiæ Invincibilis quæ suprà Q. 4. Dub. 2. Tit. 2. retulimus, respectu Legis Naturæ, debere etiam concurrere in Ignorantia horum Præceptorum Legis Divinæ Positivæ adhoc ut censeatur Inculpabilis: Nimirum primò, ut quia causam Ignorantiæ non dederit, fugiendo aut repellendo doctrinam pro statu & conditione sua sibi necessariam. Secundò, ut omnia fecerit ad quæ ordinariè homines suæ conditionis obligantur ad scientiam Legis adquirendam. Tertiò, ut pertinacia aliqua proprii judicii, aut singularis affectus passione non laboret. Undè non dicuntur per Ignorantiam excusari, primò, illi qui scientes & volentes Sectas aliquas elegerunt extra Ecclesiam Catholicam in quibus cõmune est, falsas aliquas doctrinas proponi & teneri. Secundò, qui negligentia & socordia non curant necessaria saluti discere. Tertiò, Qui affectu & zelo quodam pravo (etsi videantur benè intendere) falsis dogmatibus adhærent, superbiæ quodam supercilio volentes illa defendere.

Sed Quæstio nonnulla exurgit inter Doctores multùm agitata quam per modum Dubii incidentalis, proponemus.

Du-

DUBIUM INCIDENTALE.

An modò Evangelio per universum orbem sufficienter promulgato, possit dari Ignorantia Invincibilis mediorum omnibus ad salutem necessariorum?

SEnsus est An jam promulgato Evangelio per universum orbem, possit dari Invincibilis Ignorantia de Fide explicita in CHRISTUM, de Baptismo, Pœnitentia & similibus Fidei Mysteriis quæ ad salutem sunt omnibus necessaria, ità ut nemo absque illis salvus fieri possit?

Negant aliqui, his maxime fundamentis, Primò, Quia ubique Evangelium est sufficienter promulgatum juxta illud ad Rom,
AdRom. 10, vers. 18. 10. *Nunquid non audierunt? Et quidem: In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Secundò, Quia prædicta sunt ità necessaria ad salutem, ut sine illis nemo salvus fieri possit: Quo supposito, contradictio in terminis sequeretur, nimirùm: Neminem posse absque illis salvum fieri, & ignorantem illa invincibiliter, salvum fieri posse: Quæ sibi invicem apertissimè contradicunt.

Addunt varias promissiones Dei, illuminantis eos, qui quod in se est, faciunt quibus nunquàm Deus deest, sicque formant argumentum: Nullus dici potest laborare Ignorantiâ Invincibili, nisi primùm fecerit quod in se est, sivè quod obligatur facere. Sed omnis qui facit quod in se est ex promissione divina illuminatur in necessariis ad salutem: Ergo nullus faciens quod in se est, potest laborare Ignorantiâ Invincibili in iis quæ necessaria sunt ad salutem. *Maior* constat ex conditionibus Ignorantiæ Invincibilis sive Inculpabilis sæpiùs suprà repetitis, *Minorem* probant primo Ex promissionibus Divinis in Scripturis contentis
1. ad Timoth. 2. vers. 4. 1. ad Timoth. 2. *omnes homines vult salvos fieri,* videlicet antecedenter dando simpliciter necessaria ad salutem. Joan. 1.
Ioan. 1. vers. 9. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Psalm. 9. *Non dereliquisti quærentes te*
Psalm. 9. vers. 11. *Domine.* Apoc. 3. *Sto ad ostiù & pulso, si quis &c.*
Apoc. 3. vers. 20. *intrabo ad illum,* &c. *Si* Joan. 16. *quid petieritis*
Ioan. 16. vers. 23. *Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Isai. 5. *Quid*
Isai. 5. vers. 4. *est quod debui facere vineæ meæ & non feci ei?* Ex quibus omnibus colligunt, quòd si quis quærat, si quis petat, si quis aperiat, si quis non sit rebellis lumini (quod est facere quod in se est) inveniet, obtinebit, illuminabitur &c. secundò Confirmant exemplo Cornelii Act. 10. ad quem missus est Angelus, & demùm, præmissâ insigni visione, Petrus, ut illuminaretur in necessariis Fidei. *Similiter:* Exemplo Eunuchi Candacis Reginæ Æthiopum, ad cujus currum ex distantissimo loco raptus, oblatus est Philippus ut eum de Fide & Scripturis instrueret, & baptizaret: fecerat enim quod suum erat, eundo & adorando in Hierusalem, & legendo Scripturam Act. 8. Et de Macedonibus Actor. 16. ad quos miraculosè missus est Paulus viso per noctem viro Macedone eum in apparitione deprecante. Infinita alia sunt exempla in vitis Sanctorum: Et nonnulla habentur apud Taulerum in eius vita: ut de Pagano in longinquis agente & à Domino illuminari postulante: quem illuminavit Deus per Laicum Instructorem Tauleri qui instinctu Spiritus sancti Epistolam ad Paganum scripsit, quæ & miraculose pervenit, ac miraculosè à Pagano lecta fuit, qui & alteram Epistolam idiomate Germanico de sua conversione rescripsit vide ibi. Et communiter Doctores de puero in silvis enutrito qui nihil de rebus Fidei audiverit, asserunt: Quòd ad adultam ætatem perveniens, si fecerit quod in se est, id est, ad quod obligabatur, quòd illuminabitur certis modis id providente Deo ex compromisso bonitatis suæ.

Ex quibus omnibus inferunt non posse dari Invincibilem seu Inculpabilem Ignorantiam eorum, quæ sunt simpliciter necessaria ad salutem, ut sunt Fides explicita in CHRISTUM, Baptismus, Pœnitentia & hujusmodi, quæ non solùm obligant sub ratione Præcepti, sed etiam necessaria sunt necessitate medii ad finem sivè ad salutem consequendam. Fundamentum totale est: Quia cùm omnes qui faciunt quod in se est, infallibiliter illuminentur, idque ex divino promisso; qui autem nun illuminantur, censentur non fecisse quod in se erat, ideoque laborare Ignorantiâ Culpabili.

Altera est opinio affirmans, dari posse Invincibilem & Inculpabilem Ignorantiam rerum simpliciter necessariarum ad salutem quamvis modò tamen non detur, utique, Evangelio per universum orbem promulgato.

RESPONSIO.

REspondeo, etiam promulgato Evangelio, ut modò, per universum orbem, posse dari in aliquibus locis, & singularibus personis Ignorantiam Invincibilem, seu Inculpabilem necessariorum mediorum ex Lege Positiva Divina ad salutem. *Ratio est:* Quia etsi in genere sit promulgatum Evangelium per universum orbem, id est, in partibus principalibus orbis, ut in Asia, Europa, Africa, America, non tamen in singulis istarum partium Provinciis; cùm constet etiam modò, nec terrarum partes omnes discoopertas & ubi discoopertæ fuerunt, in multis non esse inventum vel vestigium Fidei Christianæ, Baptismi, & aliorum mediorum necessariorum ad salutem. Quinimò, in nonnullis etsi vestigia prædicati & observati aliquando Evangelii reperientur, ità tamen obscurata, *Supposita Evangelii prædicatione, datur in personis invincibilis ignorantia, &c.*

&

& oblivioni traditafuisse deprehensa sunt, ut reverà non viderentur obligare posse incolas ad inquirendum de illis. Unde supposità manifestà declaratione veræ rationis fundamentalis in Conclusione superiori relatâ hanc responsionem demonstro: Ea quæ spectant ad Fidem & Leges Divinas Positivas, non possunt nisi revelatione divinâ, & debitâ promulgatione, quæ fit per Prædicationem, vel Instructionem legitimam cognosci: sed certum est ad omnes terræ habitatæ Regiones Evangelium necdùm pervenisse, aut si pervenerit, sufficienter per debitam promulgationem & instructionem non innotuisse, ad hoc ut singuli populi sufficienter essent instructi, vel instrui possent, ergò adhuc modò saltem in aliquibus locis, potest dari Ignorantia Invincibilis quoad aliquas saltem personas. Minor patet ex ratione Responsionis, & ex iis quæ pendent ex historia & facto: singulis enim diebus adhuc Nationes novæ, in terris huc usque ignotis, repeniuntur, in quibus nullum est Evangelii prædicati vestigium. *Deinde*: non obligor quærere aliquid explicitè, de quo nec mihi vel modica cogitatio in mentem venit, vel quod mihi nunquàm ut credibile propositum est: Infinitæ autem personæ in locis illis repeniuntur, qui nec in mentem aliquid venit de CHRISTO, vel de Baptismo, aut mediis quæ per evangelicam solam Prædicationem mundo annuntiata sunt.

Consequentia etiam declaratur: Quia illa dicitur Invincibilis Ignorantia, quæ vinci non potest per ea ad quæ facienda pro suo statu & conditione, homo obligatur, atqui incola Regionum supradictarum non obligatur in singulari inquirere de Baptismo, de CHRISTO, de Confessione peccatorum (cùm de illis nil ipsi in mentem venerit) ergò illa in singulari non tenetur scire, aut de sua salute dubitare ob illorum ignorantiam.

Dixi notanter (*In aliquibus locis*) Certum est enim: Quòd in locis ubi Christianismus viguit plenè, aut modò viget, etsi hæresibus, sectis, infidelitate, sint omnia corrupta, non posse dari Invincibilem Ignorantiam. Et hoc convincit argumentum de promulgato Evangelio.

Dixi (*& in singularibus personis*) Quia etiamsi in unâ parte Orbis fuerit promulgata Fides CHRISTI, potest tamen contingere ut singularis persona in silvis & locis desertis enutrita, nihil unquam vel à longè de Fide CHRISTI audiverit, adeòque non potuerit inquirere: in quo casu Ignorantià Invincibili laborabit. Ut verò res tota è latebris disputationum Scholasticarum eruatur, & Moralem nostrum Tractatum non egrediamur, ac argumentis variarum Opinionum, & Allegationum plenè satisfiat, Propositiones Doctrinales distinctè proferam & explicabo.

Propositiones Doctrinales de scientia necessariorum ad salutem.

PROPOSITIO I.

Nemo potest salvari sine Fide in CHRISTUM & aliis mediis ad salutem necessariis. *Sine fide Christi nemo salvatur.*

Propositio clara est, sivè enim in Lege Naturæ sive in Lege Moysi, Fides in CHRISTUM Mediatorem semper ad salutem necessaria fuit: *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4. Et 1. ad Corinth. 3. *Fundamentum aliud Nemo potest ponere, prater id quod positum est, quod est* CHRISTUS JESUS. Item 1. ad Corinth. 10. de Patribus; *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, & eundem potum spiritalem biberunt: Bibebant autem de spiritali, consequente eos, petrâ: petrâ autem erat* CHRISTUS. Actor. 4. vers. 12. 1. ad Corinth. 3. vers. 11. 1. ad Corinth. 10. vers. 1. vers. 2. 3. 4.

PROPOSITIO II.

Non omnibus necessaria fuit explicita Fides CHRISTI ad salutem. *Explicita Fides non est omnibus necessaria.*

Hæc iterùm Propositio manifesta est in Patribus & cæteris ante sufficientem promulgationem Fidei Christianæ, & Evangelii.

PRROPOSITIO III.

Soli illi quibus CHRISTUS *sufficienter & explicite annuntiatus est, & promulgatum est Evangelium, obligantur ad explicitam Fidem in* CHRISTUM, *& Evangelium.* *Quibus necessaria explicita Fides.*

Ratio est: Quia talis est obligatio Fidei, & scientiæ necessariorum ad salutem, qualis est revelatio sivè manifestatio à qua hujusmodi Fides & scientia dependet, ergò ubi est revelatio, & manifestatio distincta & explicita, ibi est obligatio credendi explicitè & sciendi necessaria ad salutem: ubi verò revelatio non est, aut non nisi implicita: Vel non obligabitur quis necessitate Præcepti credere aut scire, aut non nisi implicitè. Quòd si revelatio aut manifestatio non sit, Ignorantià Invincibili laborabit: Si autem implicita sit, saltem implicitè credere aut scire debebit. Undè in toto decursu à mundi creatione usque ad CHRISTUM sivè pro Lege Naturæ, sivè pro Lege Moysi, Patribus Patriarchis, Doctoribus, Sacerdotibus, semper fuit necessaria Fides & scientia magis explicita de CHRISTO, quàm simplicibus: Quia etsi omnes Fideles in genere docerentur credere & sperare in futurum Mediatorem, in singulari tamen non docebantur: scientià majori remanente

apud

apud Patriarchas & Doctores, quorum labia custodiebant scientiam: Sic & in Lege Gratiæ non eadem requiritur scientia Mysteriorum Fidei in Idiota & simplici, sicut in Majoribus & Doctis: In simplicibus tamen requiritur explicita Fides de Præcipuis Fidei nostræ articulis juxta capacitatem, in aliis verò dumtaxat implicita.

Propositio IV.

Quid de iis quibus non est prædicatum Evangeliū.

Sola Fides implicita Christi, *& scientia generalis necessariorum ad salutem, sufficit in illis ad quos explicita manifestatio Fidei & Evangelii Prædicatio non pervenit, si tales adhuc in hoc Orbe reperiri contingat.*

Explico: In novo Orbe si reperiatur populus aut persona quæ Naturali Lege vivens, Fidem explicitam habet unius Dei, & implicitam in Mediatorem: Si juxta Fidem Patriæ & Populi, in Lege Naturæ de peccatis quibus fortè innodatur, pœniteat propter Deum, cum Fide in Mediatorem, & Proposito firmo faciendi omnia quæ ad salutem sibi necessaria sunt (si illorum notitiam haberet) talis salvaretur.

Ratio est: Quia in primis, qui talis est, Fidem veram habet, qualem pro illo statu & conditione habere potest: Pœnitentiam virtutem habet; Nimirùm: Contritionem supernaturalem ex Fide in Mediatorem, quam non evacuavit Evangelium Christi: Implicite & in voto Baptismum, & alia censetur habere, supposito firmo proposito faciendi seu adimplendi omnia quæ ei necessaria sunt ad salutem, sicque Baptismo flaminis sivè voti, ablutus censetur.

Dixi (*si talis reperiatur*) vix enim credibile est talem modo inveniri, cùm nullus reperiatur populus, qui infidelitate vel hæresi non sit infectus contra ipsa Principia Legis Naturæ, vel Fidei Sanctorum Patrum.

Propositio V.

Ob defectū medii applicati multi pereunt.

Quicumque Fidem explicitam vel implicitam Christi, *& scientiam necessariorum ad salutem non habet ex Ignorantia Invincibili, damnabitur si in tali statu moriatur, non ratione Ignorantiæ Invincibilis sivè Inculpabilis, sed defectu Mediorum necessariorum.*

Pro qua Propositione elucidanda; advertendum est: Dupliciter aliquid dici necessarium ad salutem: Nimirùm, vel ut *Medium*: vel ut *Præceptum simul & Medium*: Priori modo parùm refert, an detur Ignorantia Vincibilis vel Invincibilis? eò enim ipso quo Medium non applicatur, salvari nemo potest. Posteriori modo, ubi & Præceptum est, & Medium, ratione quidem Præcepti peccat quis peccato Ignorantiæ, si sit Culpabilis: Si verò Inculpabilis sit Ignorantia, peribit defectu Medii non applicati.

Propositio igitur ex deductis Principiis sic declaratur: Quia qui (ut supponitur Ignorantiâ Inculpabili laborat, consequenter ratione hujus Ignorantiæ non peccavit quia scire non potuit ea, quæ à revelatione dependent, si revelatorum manifestatio ipsi facta non fuit: Salvari tamen non potuit, quia Media necessaria illi applicata non fuerunt.

Ex dictis patet Responsio ad argumenta omnia contrariæ opinionis. Ad primum enim, negatur Evangelium itâ fuisse per universum mundum promulgatum, ut ad omnes & ad singulos pervenire potuerit. Unde illud ad Rom. 10. ex Psalm. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum*, intelligendum est de primariis Orbis partibus ut Asia Africa, Europa, America ad quas omnes Apostoli penetrarunt.

Ad Rom. 10. vers. 18. Qualiter Evangeliū dicatur ubique prædicatum.

Ad secundū negatur contradictio: Potest enim quis Invincibiliter necessaria ad salutem ignorare & non peccare; & tamen damnari: Quia media necessaria illi applicata non sunt.

Defectus mediorum sufficientiū non ex parte Dei sed ex parte Causæ 2.

Ad Promissiones Dei: Ut difficultates omnes de Voluntate, & Providentia Dei amputentur, dicendum est: Deum lumen Fidei, & alia media necessaria, & sufficientia ad salutem omnibus hominibus providisse, quantùm est ex se; & ex parte mediorum.

Quòd autem non omnes perveniant ad salutem, imputandum est sibi ipsis vel aliis causis secundis quos motus suos agere permittit Universalis Naturæ Administrator Deus: *Explicatur Exemplo* de puero in ventre Matris extincto: si ille ad Baptismum non perveniat, non est imputandum Deo, sed actionibus ordinariis Causarum secundarum quibus concurrentibus, priùs extinctus fuit.

Ad generale illud Axioma; *facienti quod in se est, Deus non deest* Dicendum nec Deum deesse qui in genere media ad salutem omnibus sufficientia præparavit, à qua neminem positivè excludit, quam si de facto non consequatur, illud alteri causæ imputandum est, quæ sunt variæ, de quibus posteà.

Quid de Cornelio Centurione.

Ad exemplum de Cornelio, de Eunucho, de Macedonibus: Dicendum peculiarem fuisse gratiam Dei, quam non omnibus tenetur facere. Undè puero in silvis nato & enutrito eandem præstare potest, An autem velit? *Quis enim novit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?*

Rom. 11. vers. 34.

Ignoscat Lector digressum illum ampliorem, extra terminos præcisos mei Tribunalis, oportuit enim per occasionem nonnihil petentibus indulgere, & cum angariantibus mille passus procedere. Hæc enim Doctrina iterùm suo loco repetenda erit Tomo 2.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

An detur Ignorantia Invincibilis Legis Humanæ positivæ?

Conclusio Unica.

Ignorantia Legis Humanæ,

D*Atur interdùm Ignorantia Invincibilis Iuris humani, non tantùm specialis & privati, sed etiam communis in Iure Civili vel Canonico, expressi in Foro Conscientia.*

Conclusio est manifesta. Plebecula enim communis non tenetur ista Iura scire, nisi in quantum singulariter status & conditio cujuslibet in particulari ab aliqua Iuris scientia dependet, ut sine peccato, in ista conditione vel statu vivere possit: ergò sufficit cuilibet scire illa Iura quæ homines suæ conditionis scire tenentur: Esto alia non sciat, in quæ extraordinariè ratione communitatis impingere possit: Quia non tenetur aut extraordinariam diligentiam adhibere, aut scientiam nancisci.

Dixi (*In Foro Conscientia*) Quia in Foro externo pœnis plectuntur ob regimen externum Reipublicæ, etsi Invincibili Ignorantia laborasse probentur.

De Ignorantia facti.

IN hoc Tractatu non egi de Ignorantia facti, quia omnibus pervium est Ignorantiam Invincibilem facti, in quacumque Lege à peccato excusare. In eo enim quòd Nos facere invincibiliter ignoramus, nec Ratio, nec Advertentia, nec Deliberatio & consequenter nec Voluntas intervenire censetur, Nullum autem est peccatum, nisi fuerit voluntarium.

Dices: Qui in ebrietate commisit homicidium vel adulterium, si ebrietati causam dedit, etsi ignoret invincibiliter homicidium vel adulterium commissum, censetur peccasse mortaliter: ergò Ignorantia Invincibilis facti non excusat. *Respondeo negando conseq*; Ad antecedens *Dico*: Eum qui ebrietati causam dedit, dupliciter se habere posse ad homicidium, vel adulterium sequens sivè commissum. Primò, antecedente scientiâ sciens nimirùm, vel scire debens ex expertis se in ebrietate ad percussiones, & luxuriam pronum, in eaque se frequenter actu incidere. Secundò, antecedente Ignorantiâ sivè nescientiâ, utique, quia nec prævidit, nec prævidere potuit hujusmodi casus, quia nunquàm illi hujusmodi inductiva contigerunt.

Qua Ignorantia facti excuset à peccato & qua non.

Priori modo: Non est Ignorantia Invincibilis, sed Culpabilis in causa sua antecedente: Quia non tantùm censetur dedisse causam ebrietati, sed etiam iis quæ scivit & scire debuit ex ebrietate contingere potuisse, ex experientia priorum factorum, & inclinationum, ob periculum quod anteà expertus erat.

Posteriori modo: Censetur Ignorantia Invincibilis & Inculpabilis: Quia etsi dederit causam ebrietati, non tamen censetur dedisse adulterio, vel homicidio; quia nec debuit, nec potuit illa prævidere cùm numquàm similia inductiva ad hujusmodi casus ei in aliis ebrietatibus acciderint. Undè Loth etsi causam dedisset ebrietati; incestus tamen cum filiabus, ei ad peccatum non imputatur, quia non potuit, nec debuit hujusmodi incestum prævidere. Prior itaque Ignorantia Vincibilis & Culpabilis est, ratione expertorum, à quibus tenebatur consequenter se præservare subtractione causæ: Posterior Ignorantia Invincibilis & Inculpabilis est, quia prævidere non tenebatur, cujus periculum nunquam in suspicionem venerat.

QUÆSTIO VIII.

An Excæcatio & Obduratio à Deo immissa, causet Invincibilem Ignorantiam?

DEum excæcare & obdurare cor peccatoris, trivialis est Scripturæ phrasis. Isaiæ 6. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude ne fortè videat*, &c. Quæ verba explicantur de Judæis in prædicatione CHRISTI *Ioan. 12. Excæcavit oculos eorum & induravit cor eorum ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur & sanem eos. Hæc dixit Isaias quandò vidit gloriam eius*, &c. Vide iterùm *ad Roman*, 11. & 2. *ad Corinth*. 4. Et Exod. 9. 10. 11. 12. 13: & 13. *Indurabo cor Pharaonis. Induravit Dominus cor Pharaonis*. Roman. 9. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat*: Qualiter autem fiat hujusmodi Obduratio, vel Excæcatio, explicat ipsamet Scriptura variis locis: Causam adscribens hominum malitiæ & gravissimis peccatis, quibus se planè indignos reddunt divinorum auxiliorum, & divinæ miserationis: itâ ut cæcitas illa & obduratio cordis, sit Pœna priorum peccatorum justè à Deo inflicta, ad justam derelictionem, & privationem particularium donorum. Undè causam omnium errorum ponit Sapiens cap. 2 *Excæcavit enim* (inquit) *illos malitia eorum*. Et ad Romanos 1. ob peccatum Idololatriæ *quia veritatem Dei in injustitia detinuerunt, & commutaverunt veritatem Dei in mendacium*: dicuntur Gentiles *traditi in desideria cordis, & immunditiam, in passiones ignominia, in reprobum sensum*, in peccata nefandissima contra naturam.

Isai 6. vers. 10. *Ioan. 12. vers. 40. 41.* *Exod. 13. vers. 15.* *Rom 9. vers. 18.* *Sap. 2. vers. 21.* *Rom. 1. vers. 18. 24. 25.*

Deus autem dicitur indurare excæcare, infatuare. Primò, quia in pœnam peccatorum non permittit Doctores docere

Veri-

Quibus Modis Deus obduret peccatores. Veritatē, seu permittit Dæmonē miscere in Doctotibus Spiritum erroris, propter peccata populi. Ezech. 14. *Qui posuerit immunditias suas in corde suo, & venerit ad Prophetam interrogans &c. Ego Dominus decepi Prophetam illum* (id est permisi decipi) Isaiæ 29. *Miscuit vobis Dominus Spiritū soporis, claudet oculos vestros, Prophetas & Principes vestros qui vident visiones operiet, & erit vobis visio omnium, sicut verba libri signati:* Qui nimirùm quādiu signatus est aperiri, nec legi potest 2. ad Thessal. 2. *Eò quòd charitatem Veritatis non receperunt, ut salvi fierent: ideò mittet illis Deus operationem erroris, ut credāt mendacio.* Secundò, Quia justo judicio suo aufert ab illis Conscientiæ remorsum, subtrahit lumen, gratiam, auxilia, dona specialia in justam eorū punitionē, & condemnationē. Proverb. 1. *Quia vocavi, & renuistis, extendi manum meā, & non fuit qui aspiceret,* &c. *Ego quoq; in interitu vestro videbo,* &c. Et hoc est excæcare, aggravare aures, obscurare oculos, de quibus passim; subtrahendo scilicet, lumen & gratiā, sive auxilia opportuna. Undè S. August. lib. 1. Quæst. 2. ad Simpl. definit Obdurationem. *Obduratio Dei est nolle misereri.* Et infrà se explicans: *Ut* (inquit) *& ob hoc dicatur obdurare peccantes quosdam, quia non eorū miseretur: non quia impellit ut peccant.* Et Tract. 53. in Joannem *Sic* (inquit) *excæcat, sic obdurat Deus, deserendo, non adjuvando, quod occulto judicio facere potest,* &c. Ibidē *Ergò absit ut sit iniquitas apud Deū: sive quando adjuvat, misericorditer facit: sive quando non adjuvat, justè facit.* Et in Psal. 147. Exponens frigus Dei ex quo sequitur glacies obdurationis, sive desertio. *Ecce* (inquit) *deserit peccatorē, Ecce nō vocat, Ecce non aperit sensum Ecce non infundit gratiam.* Tertiò, Obdurare & Excæcare dicitur peccatorē quia permittit Dæmonem illū quasi possidere & excæcare, sicut & Dæmoniaco muto, surdo, & cæco refertur apud Evangelistas, qui mutus, surdus, & cæcus dicitur, quia Dæmon loquelam, aures, oculos possidebat. Quo sensu dixit Apostolus 2. Cor. 4. *Deus hujus sæculi* (id est Dæmō) *excæcavit mentes infidelium,* &c. Quæstionis igitur nodus est, An qui (ut explicatum fuit) obduratus aut excæcatus est, istā excæcatione durante & perseverante à peccato sit excusatus?

Ezech. 14. vers. 4. 9.
Isai. 29. vers. 10. 11.
2. ad Thes. sal. 2. vers. 10.
Prov. 1. vers. 24. 26
S. Aug. lib. 1. quæst. 2. ad simplicianū. q. 2.
Idē Tract. 53. in Joan. num. Ibid
Ibidem in Psalm. 147

Ratio dubitandi est: Quia Homo sic excæcatus lumine necessariò & sufficienti privatus est, & consequenter laborat Ignoratiā Invincibili, aut quadā impossibilitate, quā vincere non potest, traditus utiq; in sensum reprobum. Undè Joannis 12. de Iudæis *Propterea* (inquit) *non poterāt credere, quia iterùm dixit Isaias; Excæcavit oculos eorū & induravit cor eorū, ut non videāt oculis,* &c. Et Marci 6 de Christo dicitur: quod in patria sua: *Non poterat virtutē ullā facere, nisi paucos infirmos, impositis manibus & mirabatur propter incredulitatem eorū.* Demū Eccl 7. *Considera* (ait) *opera, Dei quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Unde *S. Aug. in Epist. quarumdā Propositionū ex Epist. ad Rom. nu. 62.* de Pharaone tempore suæ obdurationis *Non ergò* (inquit) *hoc illi imputatur quòd tunc non obtemperarit, quandoquidē obdurato corde obtemperare non poterat, sed quia dignum se prabuit cui cor obduraretur priori infidelitate.*

Joan. 12. vers. 39. 40
Isai. 6.
Marc. 6. vers. 5. 6.
Ecclesi. 7. vers. 14.
S. August. expositio Epistolæ ad Rom. num. 62.

Conclusio Unica.

Obduratio & Excæcatio etiā à Deo permissa, sive ex eius justitia immissa, non efficit Ignoratiam Invincibilem, & cōsequenter non excusat à peccato Ratio est: Quia, ut superius declaratum fuit, Obduratio & Excæcatio procedit vel ex malitia formali excæcati, vel ex causa priùs data, vel ex culpa propter quam pœna hæc justissimè à Deo inflicta est. Ex quibus redditur Culpabilis aut Vincibilis omnis Ignorantia Sic ad Rom. 1. Formalis malitia illorū notatur qui in reprobū sensū & passiones ignominiæ traditi sunt: *Quia mutaverunt gloriā incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum,* &c *Quia cōmutaverūt Veritatem Dei in mendacium,* &c. Quapropter ibidem pronuntiantur, *inexcusabiles,* Sic *Sap. 2.* dicitur: *Excæcavit enim illos malitia eorum.* Et ista, malitia causa fuit omniū sequeniū delictorum in se, & in posteritate. Quia justā Dei Vindictam provocaverunt, ut lumē Veritatis ab illis abscondereretur & magis ac magis excæcarentur Undè benè *S. Aug supra,* non imputat peccata sequētia formaliter malitiæ Pharaonis, quæ tunc inerat cūm obduratus erat, sed causaliter, quia dignum se præbuerat cui cor obduraretur præcedenti infidelitate.

Quid obduratio.
ad Rom. 1. vers. 20. 23.
Sap. 2. vers. 21.

Sed dices, Quid potuerunt posteri ut lumine privarentur ob peccata parentum? aut quomodò illis cæcitas illa sive ignorantia in peccatum reputatur, cùm ipsi causam non dederint?

Excæcatio peccati pœna.

Respondeo primò. Deum si aliquam Nationem interdùm privet lumine Evangelii, vel hominem speciali illustratione aut auxiliis specialibus, justissimè id facere. Undè est illud S Augustini lib. 1. Confess. cap 18 *Deus solus magnus, infatigabili spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates* Vide suprà ex Tract. in Joan.

S. Aug. l. 1. Confess. c. 18.

Respondeo secundò, Non deesse homini quatenùs excæcato, communia Dei auxilia quæ adhibere tenetur, ut ad lumen redeat, ideoque & perseverantiā excæcationis, sive ignorantiam perseverantē non tantùm parentibus, sed etiam excæcato imputandā esse. Patet ex dictis ignorātia principiorum Legis Naturalis quoad principia per se nota ut *Deū esse, Deū esse colendū, Malū fugiendū,* non cadit sub Ignorantiam Invincibilem: Dato enim quod respectu alicujus actus vel omissionis esset in aliquo singulari vera ignorātia Invincibilis sive Inculpabilis, certum est illi hujusmodi actum vel omissionem ad culpam non imputari, quia cēsetur actus vel omissio involuntaria: Igitur quilibet quantùvis excæcatus & lumē Legis Naturalis, saltē quoad principia per se nota, habet, & liberū arbitriū, & generalia Dei & gratiæ ejus auxilia, quæ omnibus cōmunicantur: ideoq. tenetur facere secundùm statum suum quod in se est, ut ab excæcatione liberetur. Quod si non faciat sibi imputet, non Deo

Excæcatio non Deo sed Homini imputanda.

Ad rationem dubitandi, *Respondeo:* Communia Dei auxilia interdùm specialissimè excæcatis adfuisse, imò & adesse: Imputent sibi, negligentiæ, malitiæ, aut peccatis id demententibus si magis specialia auxilia eis non tribuantur à justo & misericorde salutis nostræ Arbitro.

Ad Scipturas verò, *Dico:* Locus Joan. 12. Nil facit contra Cóclusionem: *propterea* (inquit) *non poterant credere*, quia iterùm dixit Jsaias; *Excæcavit oculos eorum.* Quis excœcavit: Deus Quomodò excæcavit? Non auferendo superbia & malitiam. Quis in culpa? Iudæus: *Quia Lux venit in mundū, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucē: Erant enim eorū mala opera.* Joan. 3. Sol lippientea oculos splendote, offendit. defectus oculorū est, non splendoris. S. Aug l. 13. contra Faustū Manichæum c. 11. *Quid ergo peccaverūt Iudæi si Deus illos excæcavit nè agnoscerent* Chtistum? Respōdet: *Ex alijs occultis peccatis Deo cognitis, venire iustam pœnam huius cæcitatis.* Addo ego: Non poterant, quia non volebant, malitiā excœcante & obdurante corda eorū cui consonat. S. Aug. Tract. 53. in Ioannem. *Non itaque mirum est, quia non poterant credere, quorum Voluntas sic superba erat,* &c. *Sicut ergò quòd Dominus negare seipsum non potest, laus est Voluntatis Divinæ. ità quod illi non poterant credere, culpa est Voluntatis humanæ.* Ibidem: *Nè quisquam neget Voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatū.* Huc facit quod *Marci 6.* dicitur: Quòd quamvis Dei virtus esset tants, non potuit tamen in actum exire ob demeritum, & propter incredulitatem eorum: Quod etiam Eccles. 7. dicitur *Quod nemo possit corrigere, quem Deus dispexerit*, negationem adiutorii singularis designat, non omnimodam possibilitatem negat. Deniq; S. Aug. allegatus seipsum explicat.

REGULA I.

Regula per modum Corrolarii totum Titulum explicantes.

I*Vdicium Practicum Conscientiæ, dictans ex certis: & veris principiis cognitis, objectum & operationem hominis esse honestum, hominem & eius operationem justificat in Iudicio etiam Divino.* Ratio hujus Regulæ clara est: Talis enim operatio qualis est eius causa: atqui, Iudiciū Practicum ex certis, & veris principiis cognitis dictās operationem esse honestam est justum & honestum ergò & operatio justa & honesta judicari debet.

Dixi (*ex certis* &c.) ad excludenda dubia & incerta, seu quæ formidinem & incertitudinem includunt. Si enim dubia sunt, aut formidinem practico judicio inducunt; Conscientiam bonam rectam non faciunt, ac consequenter operatio ex tali judicio Conscientiæ, nec recta, nec bona censenda est. *Ratio est:* Quia qui cum dubio aut formidine practica malitiæ vel obliquitatis procedit, periculo mali vel obliquitatis in actu se exponit: Nemo autem honestè potest se exponere periculo inhonesti, vel mali.

Dixi (*ex veris* &c.) ad excludenda falsa: Qui enim ex falsis & erroneis principiis procedit, sicut Iudicium quod ex illis oritur, est falsum, sic & operatio est falsa & erronea, undè & Conscientia dictans, est Erronea sivè Falsa.

Dixi (*cognitis* &c.) debet enim homo non tantùm in judicio suo uti principiis veris & certis, sed debet cognoscere, & judicare quòd sint vera & certa, saltem juxta scientiā quam modò habet, vel habere tenetur. *Ratio est:* Quia principia ad honestatem actus non movent, nisi reflexè cognoscantur talia esse, quæ honestatem promoveant, alioquin periculum mali non excluditur, cùm principiorum cognitionem non habeat. Dico (*judicare quòd sint vera & certa* nimirum proportionata medio sivè motivo judicandi: ob diversas (ut diximus hoc *Tit.* 2. *Q.* 1. *annot singulari*) Legum & Principiorum infallibilitates, & varia media humanæ cognitionis. Sicut enim non eadem omnium Principiorū, & mediorum infallibilitas, sic nec eadem certitudo. Unde notāter dixi suprà (debere Principia certa excludere formidinem practicā) quia potest homo speculativè esse formidolosus, qui tamen est practice certus: Quare in materia Opinionum quæ tantùm probabiles dicuntur, etsi admittant speculativè formidinem oppositi: Nemo tamen potest ex Opinionibus quantumvis probabilibus, practice operari, nisi practicā certitudinem habeat, quòd utendo istā opinione & opinoso judicio, certus sit omne periculū malitiæ abesse, prout docebimus suo loco.

Porro Principia certa proportionatè, sunt Lex Naturalis Divina, Lex Divina positiva, Lex Humana Ecclesiastica, vel Politica prout Legi utique Naturali Divinæ & Positivæ, conformis est. Hanc enim commensurationem & conformitatem necessariam esse ad rectitudinem Legis, sequenti Tomo demonstrabimus.

REGULA II.

I*Gnorantia qualitercumq; Inculpabilis, non dat rectitudinē actui, nec à rectitudine debita inesse operationi excusat: Sed tantùm excludit Voluntariū, ex eo quod Voluntas non feratur in incognitum* Ex quo patet: Ignorantiam quantumcumq; Inculpabilem non justificare hominem, aut operationē ejus, quasi actus fuerit bonus, vel omissio fuerit justa, sed tātum excusare a formali malitia peccati & culpa ut in amente vel Ratione privato.

APPENDIX AD CONFESSARIOS.

De Iudicio qualitatis & quantitatis peccati circa Ignorantiam.

VT judicium melius & firmius procedat in hoc Tribunali, prudens Confessarius sivè Iudex hujus Tribunalis, singulariter duo advertere debet.

Primo, Ignorantiā circa quatuor diversa Objecta sivè totalia sive partialia in hac materia versari posse. Primo, circa Legem in se. Secundo circa Materiā Legis Tertio circa Obligationem Legis. Quarto circa aliquam Circumstantiam. *Explico:* Idiota aliquis vel Plebejus, potest ignorare in Lege prohibente superstitionem: Primò An talis Lex emanaverit: Secundò, An id quod agit, sit superstitio prohibita? Tertiò, An in casu (*E. g.*) vitā conservandi per superstitionē. Lex sivè præceptum obliget? Quartò An alio superstitione utente, liceat pronuntiare verba vel manū adjutricē porrigere? Potest, utiq; primò quis invincibiliter ignorare Legē aliquā prohibere superstitionē. Secundo, etsi sciat superstitionē prohibitam, potest tamē ignorare actū quem exercet, esse superstitiosum; Tertiò, etsi agnoscat & superstitionem prohibitā, & actum esse superstitiosū, (*Ex. g.* aliquā oratione febres fugare) ignorare tamen potest, An hic & nunc periclitante infirmo, nō liceat ad vitā salvandā, illā uti. Quartò, ignorare potest, An alteri dare possit orationē superstitiosam ut legat, vel legendam describat &c. Hæc enim valde sunt diversa & unū altero faciliùs sub Ignorantiā cadit

Secundò, Advertere debet: Ignorantiam vel

Ignoran in obiecta 14.

Ignorantia ... vel gravis.

vel procedere ex Malitia, vel ex Negligentia: Si ex Malitia, vocatur & est *Affectata*, omnique ratione inexcusabilis est: Si ex Negligentia; vel negligentia illa est mera desidia & pigritia: vel oritur ex sollicitudine externorum, quâ privat quis se scientiâ eorum quæ ad salutem, vel vacationem sivè Officium suum sunt necessaria; & hæc vocatur *Supina & Crassa*, quæ etiam excusationem nullam admittit. Vel Negligentia est communis & levis, quæ potius est quædam Inadvertentia, & levis Incuria: & hæc excusationem interdum admittit, si non à toto peccato, saltem à tanto, & peccatum Ignorantiæ in qualitate & quantitate sua judicari debet, idque ex ratione objecti & materiæ circa quam, ac circumstantiam: Si enim sit materiæ, sivè objecti necessarii ad salutem: & pro tempore, quo occurrit, necessaria sit observatio Præcepti; est peccatum mortale: Si verò non sit in materia necessaria ad salutem, utpotè, quæ sit puri Præcepti Humani, tunc juxta negligentiæ modum, culpa definienda est; Arbitror enim, in his Ignorantiæ gravitatem, vel levitatem computari à negligentiæ qualitate, quia simpliciter Ignorantia Præcepti humani est potius nescientia & inadvertentia quædam naturalis, quæ peccatum non est, cujus scientia non aliter obligat, nisi quatenus quid ex negligentia vel incuria illud non curavit. Omnia verò supradicta *Explico Exemplo:* Joannes ex communi quadam incuria, sivè levi negligentia sua, quia non attendit, ignoravit Contritionem in periculo mortis esse sibi ad salutem necessariam: Etsi fortè illa negligentia peccatum mortale non sit: Quia tamen est Ignorantia in re omninò ad salutem necessaria, peccatum mortale est: Nam hic & nunc conteri debebat: & consequenter id scire tenebatur, saltem pro illo tempore quo affirmativum Præceptum obligabat. In casu vero Præcepti pure humani aliud est: *Ex. g.* Joannes ex communi negligentia ignorat esse Feriam sextam, vel Vigiliam obligantem ad jejunium, sivè nescit hac die esse Festum obligationis, quod tamen scire poterat, si aliquam diligentiam adhibuisset; Non peccavit mortaliter non jejunando, vel non audiendo Missam, quia ipsa Ignorantia per se non est peccatum, sed tantum ratione negligentiæ, quæ cum sit communis & levis, peccatum tantum veniale erit.

Dixi verò (esse potius Nescientiam sivè Inadvertentiam) Pro quo advertendum est: ad hoc, ut Ignorantia sit peccatum, debere vel actu vel debito junctam esse cum aliqua advertentia. Dico (*vel actu, vel debito*) Quia (Juxta communem Theologorum doctrinam) id quod sine, omni advertentia est, Involuntarium reputatur; Peccatum autem est voluntarium, si advertentia adsit, vel hic & nunc adesse debeat: sivè Voluntarium est, quando quis se ignorare advertit, & Ignorantiam non deponit, vel quando ex obligatione hic & nunc advertere debebat Ignorantiam, & ex sua culpa non advertit.

TITVLVS III,

De Conscientia Erronea,

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Conscientia Erronea?

CONCLUSIO I.

Conscientia Erronea est, quæ ex Principiis Erroneis, apprehensis ut veris, practicè iudicat malum bonum, vel falsum verum, & econtra bonum malum vel verum falsum, *Definitio Conscientiæ Erroneæ.*

Dixi (*ex Principiis Erroneis*) ut excludatur Conscientia malitiosa & cauteriata, quæ ex pura malitia, vel ex scientia & quadam corruptione mentis, sibi bona pro malis, mala pro bonis effingit juxta illud Prophetæ Isai. 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum,* &c. Unde est illud Prosperi.

Nemo sua mentis motus, non æstimat æquos
Quodque volunt homines, se bene velle putant.

Ad Conscientiam igitur Erroneam debent concurrere aliqua per modum Principiorum, ex quibus Conscientia (absque malitia formali vel interpretativa) informetur, ad judicium efformandum.

Unde dixi (*Ex Principiis Erroneis apprehensis ut veris*) Si enim ipsa principia non apprehendantur ut vera & certa; non generabunt Conscientiam proprie & absolutè Erroneam, sed vel malitiosam, & Pravam, vel Dubiam vel Opinosam: A ratione enim Principiorum prout apprehenduntur ab Intellectu, Conscientiarum varietas distinguitur: Qualia enim Principia esse apprehenduntur, tale est Conscientiæ Judicium quod ex illis efformatur *Explico exemplo.* S. Cyprianus apprehendens hoc principium ut verum & rectum: *Baptizati ab Hæreticis sunt rebaptizandi,* format sibi Minorem; Joannes fuit Baptizatus ab Hæretico: Et concludit tandè firmo judicio: Ergò Joannes est rebaptizandus. Hic est Syllogismus Conscientiæ verè Erroneæ, quia ex principio erroneo, credito vero à Cypriano procedit: Si autè aliquis tempore Cypriani cum illud principium agitaretur, de hoc aut dubitasset, aut illi principio tantum Opinionem probabilè tribuisset, talis non laborasset Conscientia Erronea (quamvis etiam in Judicio suo errasset) sed tantum Conscientia Dubitante vel Opinosa: quia principium non

non ut Erroneum apprehendebat, sed ut Dubium, vel opinabile.

Dixi (*practice indicat*) ad excludendos errores speculativos, qui nihil ad praxim conferunt, & qui interdùm magis pertinent ad scientiam, quam ad Conscientiam, & ad Fidem contemplantem magis, quam ad operantem: ut sunt speculationes de emanationibus divinis & similibus, quæ pertinent ad solam considerationem.

Dico (*solum*) sunt enim quidam errores speculativi, qui ad actionem aliquam Voluntatis & praxim referuntur, & ad Conscientiã spectant, ut de professione Fidei, Dei Unius & Trini, de vero cultu. Imo, cum actus Fidei, ut plurimum, sit à Voluntate imperatus, ad praxim aliquo modo pertinet.

Conclusio II.

Divisiones variæ Conscientiæ Erroneæ.

Conscientia Erronea variæ possunt dari Divisiones.

Prima, Est Conscientiæ Erroneæ non Obligantis.

Conscientia Erronea Obligans simpliciter & absolutè est, quæ per modum Legis Obligantis, judicium suum ex principiis erroneis efformat. *Explico Exemplo*: Judæus noviter conversus existimat se obligari ad Circumcisionem, & alia Legalia idque sub pœna peccati mortalis, & damnationis æternæ. Iste peccat mortaliter si Circumcisionem omittat, si Legalia non observet: Quia, nimirum Judicium Conscientiæ sibi format, per modum Legis absolutè obligantis: *Similiter*, Ex suo Decalogo eredit sibi non licere sub peccato Imaginem sculpere vel formare, si Imaginem formet, peccat mortaliter: *Quia* per modum Legis obligantis ex principio erroneo Judicium sibi formavit.

Conscientia Erronea non obligans, est, Quæ ex erroneis principiis dictat aliquid dumtaxat ut licitum, non autem ut obligatorium. *Explico*: Erronea Conscientia dictat: Te posse furari à divite, ut elargiaris pauperi: Te posse fornicari causâ morbi medendi: Te posse falsum jurare, ut aliquem a morte liberes Si non fureris, non forniceris, non jures falsum, non peccas: *Quia* etsi Conscientia Erronea tibi id proponat ut licitum non tamen ut obligatorium. Et hæc Divisio multum in hac materia notanda est. Multa enim proponit Erronea Conscientia ut licita, & quæ faciendo, errore manente, homo non peccaret, omittens tamen illa in nullum peccati periculum præcipitatur, quia Conscientia id per modum Legis obligantis non proponit.

Secunda divisio est Conscientiæ Erroneæ in *Invincibilem* sivè *Inculpabilem*, & *vincibilem* sivè *Culpabilem*.

Conscientia Erronea Invincibilis est: cujus error pro tempore, morali studio & diligentiâ vinci non potest. Tales fuerunt plures etiam Sanctorum Patrum errores antequam res plenè diffinitæ essent: ut de Legalium observantia, etiam post promulgatum Evangelium; de Baptizatis ab Hæreticis, rebaptizandis, & alia id genus.

Conscientia Erronea Vincibilis est, cujus error adhibitâ morali diligentiâ, vinci poterat, tempore quo vinci debebat.

QUAESTIO II.

An Erronea Conscientia obliget operantem ad sui sequelam?

Conclusio Unica.

Qualiter obliget Conscientia Erronea.

Conscientia Erronea Obligans, quamdiu error perseverat, obligat operantem ad sui sequelam, pro tempore quo operandum esse dictat. Sub operatione intelligo etiam Omissionem juxta rationem Conscientiæ præcipientis vel prohibentis. *Ratio Conclusionis est*: Quia Conscientia obligans per modum Legis sivè præcipientis sive prohibentis, obligat & sub ratione Legis apprehenditur Lex autem præcipiens vel prohibens obligat eum qui se subditum Legi agnoscit: Sic loquitur Apostolus ad Galatas 5. *Testificor omni homini circumcidenti se: quoniam debitor est universæ Legis faciendæ* q.d. Eo ipso, quo credidit se debitorem esse Circumcisionis, sive se teneri Legi Circumcisionis, eo ipso debet credere se teneri universis Legibus quæ circumcisis impositæ sunt, ex iisdem enim principiis uterque error procedit. Et *Idem Apostolus ad Rom.* 14. ostendit clarè: Quòd Judæi conversi, judicantes ex Conscientia Erronea cibos Gentilium immundos esse, si comedebant ex illis, peccato obnoxios fuisse, non quia malum erat de cibis Gentilium edere, aut quia cibi Gentilium verè immundi essent, sed quia ex Conscientia Erronea sic credebant, nec eis licebat contra Conscientiam agere, undè monet Apostolus: *Scio* (inquit) *& confido in Domino* Jesu *quia nihil commune* (id est immundum) *per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est*. Infrà. *Qui autem discernit* (id est qui cibos Gentilium putat esse prohibitos) *si manducaverit damnatus est, quia non ex fide* (id est Conscientia dictante) *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est*, id est, omne quod fit contra credulitatem, sivè dictamen Conscientiæ, peccatum est: In hoc enim loco, Conscientia & Fides pro eodem sumuntur quia credere quis tenetur quod Conscientia pro tẽpore dictat esse faciendũ vel non faciendum. Eodem modo loquitur 1. ad Corinth. 8 de iis qui arbitrantes se non posse de cibis immolatis Idolis, comedere, nihilominùs comedebant: *Quidam* (inquit) *cum Conscientia usque nunc Idoli, quasi Idolothytum manducant & conscientia ipsorum cum sit infirma* (id est errans) *polluitur*: concluditque

ditque : Quòd ſi quis ſciens Idolum nihil eſſe, & conſequenter credat carnem Idolis immolatam non prohiberi, de illa comedat; ceſſante ſcandalo fratris, non peccat ſi comedat. Vide ibidem : *Neque enim* (ait) *ſi manducaverimus abundamus, neq; ſi non manducaverimus deficiemus*, &c.

Dices: Malum non poteſt obligare, atqui, quod Conſcientia Erronea dictat, eſt malum ergò non poteſt obligate. *Reſpondeo*, Malum ut Malum, non obligare, ſed dumtaxat prout ſub ſpecie Boni apptehenditur & approbatut. Sicut & bonum ſub ratione Boni ptohiberi non poteſt, ſed ex errote Conſcientiæ ſub ſpecie mali ptohibetut. Quia verò in genere moris, ſivè in ratione motivi, non tam attenditur Bonum in natura ſua, quàm in ordine ad Voluntatem prout eam movet, & ab ea approbatur aut reptobatur, præcipitur vel ptohibetur: Hinc eſt, quò Intellectus, prave informatus, interdum Bonum ſub tatione Mali ptoponat, & Malum ſub ratione Buni, quo errore ſtante, tenetur erroneo dictamini aſſentiri, non quia erroneum eſt, ſed quia verum & rectum reputatur.

Unde in Concluſione notanter dixit (*quamdiu error perſeveraverit*) ſi enim quis aut errorem deponat, aut in erroris ſuſpicionem deveniat, tunc non obligatur. Quod verum eſt tam in Conſcientia Erronea Vincibili, quam invincibili; quamdiu enim durat Conſcientiæ error, tamdiu dictamen eius perſeverat, & conſequenter obligatio ex hoc dictamine originem ducens.

Addidi in Concluſione (*pro tempore quo operandum eſſe dictat*) Quia etſi error in Conſcientia poſſit permanere, ſicut tamen Leges quæ ad ſemper obligant, non pro ſemper (id eſt; non pto omni tempore obligare certum eſt, ut de Præceptis affirmativis conſtat: ita proportionaliter argumentandum eſt de Conſcientia Erronea; illa enim etſi ad ſemper, hoc eſt, quamdiu non deponitur, obliget, non tamē pro omni momento, ſed ſecundum rationem dictaminis, *Ex. g* Judæus converſus ad fidem, credit erroneè ſe obligari ad Circumciſionem, non tenetur tamen pto omni momento ſe circumcidere, ſed pro opportuno tempore prout Lex illa obligabat. Non egi hic à propoſito de ſententiis quæ diſtinguunt inter *Ligare & Obligare* : quibuſdam aſſerentibus Conſcientiam Erroneam *Ligare* quidem, quia quis contra dictamen Conſcientiæ etiā Erroneæ agere non poteſt: Non *Obligare* tamen, quia aliquis non dicitur obligari niſi per Legem veram: Erroneæ autem Conſcientiæ dictamen, non eſt vera Lex: quinimò nec quis illam ſequi omninò tenetur, ſed tantum ſub disjunctione, ſi illam non deponat, ita ut non propriè obligetur ad illam ſi quoquomodò illam deponere valeat: Si autem deponere non valet, quaſi

Diſtinctio inter Ligare & Obligare.

erroris vinculis obſtrictus & ligatus manet, non autem obligatus. Verum hæc diſtinctio eſt parvi momenti nec tem ſatis explicata Quomodocumque enim ſumamus: Qui Conſcientia Erronea tenetur, non modo *ligatus* eſt, ſed & verè *obligatus*. Ex eo enim *ligatus* dicitur, quia ſi contra Conſcientiam Erroneam agat, peccatum committit, nihil autem eſt peccatum, niſi contra Legem aliquam ſaltem creditam, agat. Ergo Cōnſcientiæ Erroneæ dictamen pro Lege habetur, & conſequenter qui contra illud agit, contra Legem agere cenſetur: Ergo Conſcientia nun tantum eum *ligat* ſed etiam *obligat*.

QUAESTIO III.

An agere cuntra Conſcientiam Erroneam, ſit ſemper peccatum?

QUæſtionem intellige de Conſcientia Erronea obligante per modum Legis, non autem pet modum tantum liciti & honeſti ſuum errorem proponente, ut ſuperiùs adnotatum eſt.

Conclusio Unica.

QVicunque ait contra Conſcientiam Erroneam actu dictantem malum, ſive peccatum eſſe quod agitur, peccat juxta rationem dictaminis actualis mortaliter ſcilicet vel venialiter.

Peccatum eſt agere contra Erroneam Conſcientiam,

Ratio eſt quam ſuprà dedimus: Quia agere contra Legem obligantem, eſt peccatum: atqui ut ſupponitur, qui agit contra dictamē Conſcientiæ Erroneæ, agit contra Legem creditam ut talem; ergò peccat juxta rationem dictaminis Cunſcientiæ ſuæ.

Dixi (*contra Conſcientiam Erroneam actu dictantem*, &c.) Si enim tantum in habitu talis error habeatur in mente, poteſt quis agere contra hujuſmodi Conſcientiam habitualem abſque peccato. *Explico*: Petrus Conſcientiâ Erronea aliquando ſeductus, credidit ſibi in die jejunii ante ſolis occaſum non licere comedere abſq; jejunii violatione & peccato: nihilominus non depoſito illo errore, ad Præceptum Superioris, vel immemor ſui erroris in meridie comedit, non frangit jejunium nec peccat *Ratio eſt*: Quia Cōſcientia Erronea non habet rationē Legis habitualis, ſed tantum actualis, quæ in dictamine actuali conſiſtit; ita ut tantùm obliget, quantùm dictat & non ampliùs & ubi dictate ceſſat, ibi ceſſat obligare: Non enim error quà error eſt, obligat, ſed quà à Conſcientia actu ratiocinante & concludente. per modū Legis certæ applicatur, ita ut actu Conſcientiæ ceſſante, aut per actum ſuperioris ordinis ſuperato, error quidem remanere poſſit, obligare autem non poſſit: Undè ſi quis immemor ſui erroris aliquid contrarium agat, non contra errorem agere dicitur, quandiu error actu nun contradicit ſed tantum

Qualiter error dicatur obligare.

agere quod est errori contrarium: Duo autem ista: error & actio errori contraria, in eadem Anima simul esse possunt absq; contradictione & mutua expulsione, ac destructione: Quia error in Intellectu per modum Habitus, actio verò contraria, est in Voluntate per modum actus Intellectus errorem prævenientis aut superantis. Magnus ille Seraphion apud Cassianum Collat. 10. cap. 2. 3. 4 captus erat errore Anthropomorphitarum, non potens apprehendere & adorare Deum, nisi sub forma humana vel corporea: Phatini autem doctrinâ meliùs informatus, contra hunc errorem conatus est Deum invisibilem & spiritum in Spiritu adorare: verum errore pertinaciter per modum Habitus animo insidente, cum illum evincere non posset, in amarissimos fletus prorumpens conquerebatur: *Heu me* (inquit) *miserum, tulerunt à me Deum meum, & quem nunc teneam non habeo, vel quem adorem vel interpellem, nescio!* Ecce error necdùm expulsus erat ab Intellectu, & nihilominus ad contrariam adorationem in Spiritu meritorie Serapion contendebat. *Similiter* in altero exemplo allegato de Præcepto Superioris: Discipulus S. Bernardi scrupulis fractus, erronee credebat se non posse sine peccato mortali ad Sacram Synaxim vel Sacrificium accedere: Præcepit illi S. Pater, ut accedat & humeris suis sarcinam illam imponat: Obedivit ille, & tremulus accessit: sine dubio error prior cum accessit, necdum evacuatus erat, nihilominus Præceptum Superioris vincebat, utroque in eodem animo Permanente: altero tamen, nimirum, Præcepto non tam suadente, quam Intellectum captivante & violenter impellente Voluntatem ad actum. De quibus omnibus latiùs posteà agemus dum disputabimus de dispositione Conscientiæ Erroneæ: ubi & docebimus, Nos posse deponere Conscientiam manente errore, &, Nos posse agere contra Conscientiam Erroneam materialiter sivè passivè se habentem, idque per actiones formales Voluntatis & motus superioris ordinis.

Dixi (*juxta rationem dictaminis actualis mortaliter, vel venialiter*) sicut enim Lex non semper ad mortale, sed interdum ad veniale tantum obligat, ita Conscientia Erronea se habens per modum Legis, si dictet transgressionem sui dictaminis mortalem esse, mortale erit transgredi: sin minus, veniale. *Ratio verò est*: Quia in tali transgressione continetur virtualiter hæc propositio. *Etiamsi dictet Conscientia id esse mortale, nihilominus volo facere, vel omittere.*

Conscientia Erronea indeterminata non semper obligat ad mortale.

Petes, Quid si neutrum dictet Conscientia, sed tantum malum in genere? *Respondeo*, Ex materiæ, actus, vel objecti æstimatione, pendere æstimationem gravitatis culpæ, posito quod aliquis contemptus non interveniat. *Explico*: Dictat Conscientia Erronea in genere malum esse ungues in Dominica scindere, cibos illotis manibus manducare, sumpto jentaculo ad Missam audiendam accedere (ut idiotæ interdum confitentur) & nihilominus contra dictamen illud faciunt, & se peccare in genere putant non distinguentes peccatum quale sit: Illi peccant tantum venialiter, quia materia levis est, etsi de levitate vel gravitate judicium sibi non forment: Unde non assentiendum credo illis, qui dicunt; semper esse peccatum mortale, quando quis Conscientiâ Erroneâ dictante aliquid malum esse in genere, sine determinatione mortalis vel venialis, contra hoc dictamen procedit, pro ratione sumentes: Quia cùm non distinguat, exponit se periculo peccandi mortaliter: His (inquam) non assentior: Non enim est tale periculum nisi quis transgressionem apprehendat sub ratione gravis alicujus mali, dubitatioque sivè suspicio aliqua mentis, vel advertentia periculi insurgat, ne fortè mortale sit; ita ut in actu includatur hæc conditionalis; *Etsi peccare deberem mortaliter, volo tamen facere*, vel per modum contemptus: *sive sit mortale sive veniale, nihil refert volo facere* Quæ conditionalis vel contemptum sapicos, rarò includitur, ideoque communiter materia vel objectum actus ponderanda sunt, sicut in agentibus contra Conscientiam Rectam malum non distinguentem, periculum ex gravitate materiæ vel objecti attendendum est: Alias omnes vulgares & idiotæ, imo & multi alias sensati, qui inter peccatum mortale & veniale non possunt distinguere, semper in omni actu peccaminoso peccarent mortaliter, quia periculo illius se exponerent: Nec sequi liceret opiniones probabiles, ut tantum probabiles sunt in ratione peccati mortalis vel venialis, eo ipso quo sciretur actus esse malus; Cum enim sit formido; An sit mortalis vel venialis? Quilibet cum hac formidine oppositi (quam opinio omnis includit) operans, semper peccaret mortaliter ratione periculi. Ex quibus quantæ absurditates & perplexitates Conscientiarum orientur, prudens Lector attendat. Censeo itaque: Quod, qui malum operantur (sivè ex Conscientia Recta, sivè Erronea, non reflectentes ad periculum mortalis peccati, undè aliquis contemptus possit probari) si materia sit tantum venialis, venialiter tantum peccare: Si verò mortalis, mortaliter. *Ratio mea est*: Quia sicut ad peccandum simpliciter requiritur aliqua reflexio & advertentia quod actus sit malus, sivè reflexio ad malum: Sic ad peccandum mortaliter requiritur advertentia & reflexio aliqua quod Actus sit mortalis, vel saltem periculum peccati mortalis, alias non esset peccatum voluntarium.

Refutatur contraria assertionis.

QUÆ-

QUAESTIO IV.

An homo ex Conscientia Erronea possit ad talem perplexitatem venire, ut quidquid agat, necesse sit ut peccet?

AFfirmarunt plurimi, moti variis exemplis, ut sunt sequentia. Ioannes credit in Dominica peccatum mortale esse quovis casu Missam non audire; interim dum paratus est ad Missam ire, occurrit ei infirmus in via, cui similiter sub peccato mortali existimat se teneri succurrere; perplexus est: Et si Missam non audiat ex sua Conscientia Erronea mortaliter peccat, & si infirmo relicto, Missam audiat etiam contra Conscientiam ad peccatum mortale obligantem, facit. *Similiter*: Iuravit Ioannes se Petri secretum non revelaturum, interim Petrus revelat ei se velle Patrem occidere: Si taceat Joannes necis se complicem agnoscit: Si revelet Patri ut fugiat, se periurii Reum sentit, & alia infinita similia possunt proponi, de quibus S. Greg. cap. 17. lib. 32. Moralium in Iob. ad illa verba, *Nervi testiculorũ Leviathan perplexi sunt: Quia* (inquit) *Suggestionum illius argumenta implicatis inventionibus illigantur: ut plerosque ita peccare faciant, quatenus si fortasse peccatum fugere dant, hoc sine alio peccati laqueo non evadant, & culpam faciant dum vitant, ac nequaquam se ab una valeant solvere, nisi in alia consentiant ligari. Vide late Auctorem.*

CONCLUSIO UNICA.

Nemo ex perplexitate erronea Conscientia obligatur ad peccandum.

S*Ivè Rectâ sivè Erroneâ Conscientia dictante, nemo necessitatur ad culpam* Ratio est: Quia sicut in Recta conscientia duobus Præceptis incompossibilibus eodem tempore occurrentibus, præferendum est magis obligans, relicto minùs obligante: ità in Conscientia Erronea respectu alterutrius, debet saltem proponi quod ex dictamine Cõscientiæ videtur magis obligare, illi, quod minùs obligat. Unde respondendo ad exempla allegata sic explico.

In primo: Cùm minùs obliget, utpotè, humano tantùm *Præcepto*, Missam in Dominica audire, quàm succurrere proximo periclitanti quod est de Iure Naturæ, relinquenda est Missa ut proximo periclitanti succurratur.

In Secundò: Iuramentum non obligat cum tanto detrimento proximi, imò stante hoc casu, vitiosum esset: idcircò, aut oportet deponere Conscientiam Erroneam de obligatione Iuramenti, aut si non potest deponi, Præceptum de conservanda vita proximi, & impediendo Paricidio, proponi debet juramento de Secreto servando.

QUÆSTIO V.

Undè Conscientia Erronea originem ducat?

CONCLUSIO UNICA.

C*Onscientia Erronea sex potissimùm causæ assignantur.*

Sex causæ Conscientiæ Erroneæ.

Prima. *Ignorantia* eorum quæ debet vel potuit quis absque incommodo addiscere, sive hæc oriatur ex negligentia, sivè ex malitia, & prava affectione.

Secunda. Est *Superbia & singularitas nimia proprii sensus* sive *philautia*, quà quis putat se cæteris doctiorem, & suam opinionem aliis pertinaciter præfert: ratione cujus datur in reprobum sensum, & ut credat errori, qui non vult communi acquiescere veritati. De quibus S. Paulus ad Rom. 2. *Qui* (inquit) *sunt ex contentione, & qui non acquiescunt Veritati, credunt autem iniquitati.* Et Iudas Apostolus in Epistola sua: *Quæcumque quidem ignorant, blasphemant, quæcumque autem naturaliter tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.*

Tertia Causa est: *Prava affectio & inveterata consuetudo*, quà *Impius cùm in profundum venerit contemnit.* Et Perit omne judicium cum transierit in affectum. Et *Sap.* 14. de Jdololatria & errore Jdololatrarum. *Interveniente* (ait) *tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam Lex custoditus est, & Tyrannorum imperio colebantur figmenta.* Et cõmuniter iracundi, invidi luxuriosi suis passionibus rationes prætexunt, tantâ interdùm apprehensione, ut in profundum errorum barathrum devolvantur, undè est illud Psalm 68. *Obscurentur oculi eorum nè videant, & dorsum eorum semper incurva.* Apostolus Iudas: *Væ illis quia in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt & in contradictione Core perierunt.* Ubi in primo, Invidia & Ira, in secundo, Avaritia, in tertio, Superbia & ambitio causa cæcitatis & erroris assignantur. Solent enim homines judicare juxta passiones suas, & imagines rerum, prout informantur, & (ut ait Apostolus) *ad sua desideria coacervant sibi Magistros prurientes auribus*, &c.

Quarta Causa Erroneæ Conscientiæ est *Inconstantia mentis* in illis qui *fluctuantes omni vento doctrina circumferuntur, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ad Ephes. 4. Qui *Sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes Intellectum*, &c. Ibid. Et 1. ad Timoth. 4. *Attendentes spiritibus erroris*

Quinta Causa Erroneæ Conscientiæ est: *Pusillanimitas*, quà quis etiam terretur proprio judicio, etiamsi sit rectum, in continua timiditate actus facilè impingit & turbatur, ac ad errores declinat: Similis illi; qui in

 nocte

noćte obſcura timens, quæcumque Phantaſmata, & Spirituum occurſus fingit, ex quo facilè impingit, & formidine in præceps labitur: Et hæc tentatio vocatur Pſal. 90. *timor nocturnus, vel negotium perambulant in tenebris.*

Sexta Cauſa eſt. *Perplexitas* quædam quâ quis quidquid agat, ſemper ſuſpenſus hæret ſicque ex ſua perplexitate hærens, cùm in neutram partem ſe reſolvat, ex ſua infirmitate quocumque ſe vertat, in peccatum labitur.

QUÆSTIO VI.

Qui ſint modi deponendi Erroneam Conſcientiam?

NUllum aliud ferè remedium eſt præſervandi ſe à peccato in caſibus ex errore provenientibus, quàm Conſcientiam Erroneam deponere: ad hoc enim ex natura rei tenemur: Qualiter autē Conſcientia Erronea deponi poſſit? pono ſequentem Concluſionem.

CONCLUSIO UNICA.

Tribus modis Conſcientia Erronea deponi poteſt.

Tres modi deponendi Conſcientiam Erroneam,

Primò, *Ex ſeipſo*, per diligentem & ſinceram diſcuſſionem rationum & circumſtātiarum quæ ad caſum pertinent, legendo Libros & Tractatus Doctorum ad caſum occurrentem opportunos. Si, nimirùm qui Conſcientiâ Erroneâ laborat, ſit doctus aut aliàs intelligens: ut veritatem per ſe ſcrutari poſſit. His ferè modis, S. Auguſtinus teſtatur ſe ab errore vario liberatum, quamvia & ſequens modus ei fuerit principalior.

Secùndò, *Ex aliis* A peritis ſcilicet, & literatis, iis maximè qui ſunt probatæ vitæ & virtutis, àc qui pro talibus habentur, inquirendo ſincero & indifferenti animo veritatem, juxta illud *Interroga Patrem tuum & annuntiabit tibi, Maiores tuos & dicent tibi.*

Tertiò *Captivando Intellectum ſuum* (ut ait Apoſtolus) *in obſequium Fidei* vel *in obſequium* CHRISTI, imò & in obſequium & judicium Superioris, Confeſſarii vel Directoris: Et his tribus modis tollitur omnis erroris cauſa. *Primo*, namque *modo*, obviatur Ignorantiæ ſive negligentiæ affectatæ quæ eſt mater erroris. *Secundo modo*, præter ignorantiæ noſtræ illuſtrationem, tollitur proprii ſenſus & opinionis ſingularitas & pertinacia, quam comitatur error ut culpam pœna, & juſta ſingularitatis vindicta. *Tertio modo*, contunditur noſtra ſuperbia, inconſtantia firmatur, puſillanimitas erigitur, dum Fidei protectionis divinæ, & providentiæ communi innitimur ſincero cordis affectu, quæ non permittit nos labi nec perſonas quibus commiſſi ſumus a Deo.

Qualiter cauſa erroris tollenda

Ex quibus primò conſtat Hominem qui Erroneâ laborat Conſcientia ex natura rei teneri quovis modo ad deponendam Conſcientiam ſi vel modica ei venit ſuſpicio erroris: *Ratio eſt*: Quia error aliàs interpretativè æſtimatur vel affectatus & malitioſus: vel ſupinus ac proptereà culpabilis.

Homo Conſcientiam erroneam tenetur tollere.

Secundò, Conſtat Hominem Erroneâ Conſcientiâ invincibiliter laborantem, quādiu nullius erroris occurrit ſuſpicio, non peccare, quidquid Erroneam ſequatur Conſcientiam. *Ratio eſt.* Quia invincibiliter ignorat errorem ſuum, ac invincibiliter id etiam credit honeſtum & bonum, quod Conſcientia Erronea dictat: adeoque cùm nullo modo advertat malum, quidquid mali vel inhoneſti in actu occurrit, planè cenſetur involuntarium, & conſequenter peccatum non eſt. An verò ſit etiam bonum, quia ſub ratione boni apprehenditur? Dicant eſſe bonum qui volunt (ratione fortè ex intentione generali, & pio affectu in bonum) Ego autem dico, Actum iſtum ut talis eſt, in materia & objecto malo, malum eſſe materialiter, nec formaliter reputari bonum, ſed tantùm ob involuntarium reſpectu mali excuſari à peccato. *Explico*: Mulier erroneè credit ſe poſſe & teneri corpus ſuum tradere fornicatori ſivè ſtupratori comminanti ſeipſum occidere ſi non tradat, ad ejus, ſcilicet, vitam ſervandam, tamquàm opus charitatis. Opus illud verè malum eſt, nec ullatenùs bonum excuſatur tamen mulier à peccato dumtaxat, quia ex Conſcientia Erronea putavit non tantùm id ſibi licere, ſed & ad illud ſe teneri ad vitam proximi conſervandam. Et meâ quidem ſententia quamvis Intentio mala quemlibet actum bonum Inficiat, ità ut reputetur malus. Intentio tamen recta non poteſt actum ex natura ſua malum, rectificare; eò quòd *bonum ſit ex integra cauſa, malum autem ex ſingulis defectibus* Undè ſicut Intentio mala in actu aliàs bono cùm ſit defectus, actum ſemper vitiat, & reddit malum: ità ſine dubio actus ex Intentione & Conſcientia Erronea tantùm bonus, ſi in materia ex ſua natura mala, conſiſtat, ex iſto defectu in materia, malus ſemper cenſendus erit: Et quamvis à ratione peccati reſpectu Agentis excuſetur, id non eſt quia malus non eſt, ſed quia involuntarius eſt. Undè demùm lubens recedo ab iis qui volunt actum malum ex Coſcientia Erronea, fieri bonum & meritorium, merito ſcilicet virtutis quam Conſcientia Erronea ſequendam proponit, & agentis Intentio ſequitur. quem ego abſolutè cenſeo malum eſſe idq; ratione defectus ſaltem ex parte materiæ, qui ſolus ſufficiens eſt ut actus ſit & nominetur malus, quia, ut dixi, *Malum eſt ex ſingulis defectibus*

Quamdiu homo laborat Conſcientiâ erroneâ non peccat.

Malum ſub ratione boni apprehenſum non poteſt dici bonum.

Intentio bona non poteſt actum naturâ ſuâ malum facere bonum.

Actus ex Conſcientia Erronea bonus, non eſt meritorius, ſed tantùm excuſatur a malo.

Tertiò, Ex dictis infertur reſolutio duarum Quæſtionum.

Prior: *An Conſcientia Erronea dictanti malum bonum, vel econtrà, ſit magis obediendum, quàm Superiori,*

periori, Confessario: vel Directori contrarium affirmanti:?

Posterior: *An Errore manente in Intellectu, possit Voluntas prudenter contra niti, & contrarium agere absque peccato?*

Licet sequi sententiam Superioris contra dictamen Conscientiæ Erroneæ

Ad Primam itaque Quæstionem Respondeo licere omnino cuilibet homini agere contra dictamen Conscientiæ Erroneæ ad dictum Prælati, Confessarii, vel Directoris, si modica sit Erroris suspicio, vel mandatum Prælati, Confessarii, aut Directoris urgeat. *Ratio est*: Quia illis commissa est cura salutis subditorum, vel eorum qui se illis committunt ad judicium Conscientiæ vel directionem: Ideoque prudenter credendum est illos non velle fallere, illisque plùs luminis à Deo infundi ad regimen Animarum sibi commissarum. Unde prudenter formo hos Syllogismos etiam stante erroneo dictamine Conscientiæ: Is, cui est commissa salus Animæ meæ: censetur illam omnimodò velle & curare: Superiori, Confessario, & Directori meo est commissa salus Animæ meæ: Ergò censetur illam omnimodè velle, & curare. *Iterùm*: Qui censendus est velle omnimode salutem Animæ meæ, idem censendus est non velle docere falsa, vel in errores inducere: Superior, Confessarius, Director censendus est velle omninò salutem Animæ meæ: Ergo censendus est non docere falsa, vel in errores inducere *Item*: Quem scio curare salutem Animæ meæ, illum, me abnegato & proprio sensu & Intellectu captivato, debeo sequi: Scio Prælatum, Confessarium, Directorem, curare salutem Animæ meæ. Ergò illos, me abnegato & proprio sensu ac Intellectu Captivato, debeo sequi. *Denique*: Quilibet in propria causa cœcutire solet, hæc est mea propria causa: Ergò possum in illa cœcutire: Ergò melius est alterius dictamen sequi, Sic prudenter & absque periculo peccati deponitur Conscientia Erronea, illumque modum docuerunt, & variis exemplia confirmarunt SS. Patres.

Dixi tamen notanter: *Si modica sit erroris suspicio*: Si enim nulla omnino sit erroris suspicio, sicut non habet causam inquirendi, sic non habet causam credendi, vel quovis modo vincendi errorem, suspicio autem erroris oriri potest ex variis Capitibus Primò *Ex materia* quæ vel de se mala est, vel Lege Naturali, Divinâ Positivâ, vel Humanâ est prohibita: Etsi dictet Conscientia in aliquo casu vel circumstantiis non obligare, ut patet in suprà allato exemplo de muliere quæ credit se posse fornicari ad tuendam vitam alterius vel suam. Cum enim fornicatio Iure Naturæ sit prohibita, facilè inducere potest hominem in suspicionem vel timorem ne erret. Illâ autem suspicione aut timore posito, tenetur homo inquirere, imò contra dictamen suo Superiori sivè etiam Confessario potest assentire, argumentis suprà deductis.

Ex quibus nascatur suspicio erroris in eo qui laborat Erroneâ Conscientiâ.

Secundò, Suspicio erroria oriri potest ex auditu vel lectione contrariæ doctrinæ ex sententia, ratione cujus iterum sicut tenetur quis inquirere, sic potest contra erroneam Conscientiam ductu prudentis Superioris procedere.

Tertiò, Suspicio erroris oriri potest *ex Statu, Loco, Consortio* in quo quis vivit, si nimirum vitiis, peccatis, erroribus, licentiosæ nimis vitæ pateat: Si inibi Pœnitentiæ, virtutibus, operibus in Scriptura propositis non studeat. & hæc ferè occurrunt apud Hæreticos, & licentiosos nimis Catholicos, ratione quorum quis facilè suspicari potest illos in suis actionibus errare, cùm *locus, status*, &c. sint erroribus permixti.

Quartò, Suspicio erroris concipitur *ex reflexione super se & actibus suis*, ut si quis de singularitate, superbia, pertinacia se sentiat conscium, & aliquandò deceptum

Cautela notanda.

Dixi etiam (*ad dictum Prælati, Confessarii, vel Directoris*) quod cum grano salis intelligendum est, nimirùm: Si Prælatus, Confessarius, vel Director, æstimetur probatæ, & timoratæ vitæ, doctrinæque communiter sufficientis, quæ maximè in praxi & experientia attenditur: ità ut prudens nobis non sit suspicio ex aliquibus expertis alicujus malitiæ vel erroris in illis. Quod dico eheu! Quia perspeximus aliquos Filios Balaam docentes offendicula ponere Animabus, & mulierculas onustas peccatis obducentes, ac linientea parietem absque temperamento, denique sub cujusvis cubitu, puluilloa consuentes, &c. Undè si ex similibus excitari potest iusta suspicio erroris in alio, non minus suscitari potest respectu Superioris & Directoris si quis in eis similium errorum semina advertit. Ideò sub nomine Superioris, Confessarii, vel Directoris, intelligo eos qui verè tales sunt, & pro talibus communiter habentur.

Attendenda sanè in Directoribus probitas, & morum integritas simul cum doctrina, quæ consiliis pondus tribuunt Nam & CHRISTUS monet cavere *à fermento Pharisæorum, quod est Hypocrisis*, & pro signo donat: A fructibus eorum eos cognoscendos, quod in Hæreticos Ministrus, & Doctores maximè quadrat.

Dixi etiam (*vel mandatum Prælati, Confessarii, aut Directoris vigeat*) Tunc enim cum supponatur certitudo major in præcipientibus, consequenter, error periculosior, & magis attendendus est in homine Conscientiâ

Mandato Superioris obediens, ubi res non est manifesta non peccat.

scientiâ Erroneâ laborante: Hoc enim mandato, Superiores indicant se posse, & aliquandò debere contrarium præcipere, quia error ità pertinax est, ut indigeat violentiâ Præcepti. Hoc utique est ultimum malagma ad errorem sanandum: Quo posito, ubi aliqua dubietas subesset ex interpretatione facti, potest & debet quia contra dictamen Conscientiæ niti, & alteri potiùs qui curam suæ Animæ gerit, credere, quam sibi ipsi. Unde est illud quod de Gersone aliqui asserunt, dum in morte confligeretur cum Dæmone & convinceretur validitate argumentorum contra Fidem: Exclamabat, *Credo*, & invocabat Fidem Carbonarii credentis simpliciter quod Ecclesia credit. Hoc modo sanari vidimus plurimos: Alios econtrà, qui acquiescere, noluerunt in maxima pericula, imò & horribiles mortes incidisse.

Ad secundam Quæstionem similiter Respondeo: Errore etiam in Intellectu manente, non tantùm posse, sed interdùm teneri aliquem contraniti, & contrarium agere. *Ratio est:* Quia (ut suprà notavi) Error in Intellectu remanens etsi semper destrui omninò non possit, potest tamen captivari à mandato & declaratione superioris ordinis, vel agnitione propriæ infirmitatis. Hoc modo sanavi personam Erroneâ Conscientiâ intricatam, dum cernerem illam delirio partiali in iis quæ dictabat Conscientia Erronea laborantem, suasi ut tantùm (non obstantibus erroribus) crederet dicto meo, & agnosceret delirium partiale quod deprehenderam in illa (etsi ipsa per se illud deprehendere non posset) ut sic contra dictamen Intellectus proprii operaretur: Quod mox ut fecit, liberata fuit.

QUÆSTIO VII.

Quomodò se debeat gerere Iudex sivè Confessarius circa Pœnitentem Conscientiâ Erroneâ laborantem?

Officium Confessarii. ADvertendum primò, Confessarium gerere Officium Judicis, Pastoris, Doctoris, & Medici, ita ut non tantùm ipsius sit judicare de qualitate, & quantitate peccatorum, sed etiam salutem Pœnitentis in his quæ hoc Sacramentum vel eius finem spectant, procurare; docendo, monendo, remediis instruendo, prout diximus agentes de qualitate Confessariorum.

Varii respectus Conscientia erronea. *Advertendum secundò*, Conscientiam Erroneam vel esse respectu præteritorum peccatorum, vel respectu præsentis aut futuri peccati, aut continuationis ejusdem actus in futurum, quæ omnia exemplis infrà patebunt.

Varii Errores. *Advertendum tertiò*, Errorem versari posse vel circa ea quæ omninò necessaria sunt ad salutem & sine quibus non datur salus peccatori; vel circa ea, à quibus salus Animæ necessariò non dependet: Prioris generis sunt, scire & credere primarios Articulos Fidei, Deum unum, & Trium, Filium Dei Deum & hominem, Salvatorem, Redemptorem, &c. Contritionem, deficiente Sacramento, necessariam esse ad peccati mortalis remissionem, Baptismum in re vel in voto ad salutem esse necessarium, &c. Posterioris generis sunt alia secundaria in quibus Error, aut Ignorantia invincibilis dari potest: De quibus omnibus suprà sat superque est dictum.

Advertendum quartò: Conscientiam Erroneam vel versari circa materiam quæ de se peccatum non est, dictando esse peccatum; vel econtrà versari circa materiam, quæ de se peccatum est, dictando peccatum non esse. Quæ omnia à prudenti Confessario benè sunt notanda, ut suo muneri satisfacere possit. Responsio igitur ad Quæstionem his Regulis subjicitur. *Varia obiecta.*

REGULA I.

OMnes actus præteritos ex bona Fide & Conscientia Erronea invincibili provenientes (quantumvis velex natura sua, vel ex Præcepto aut circumstantia cadente sub Conscientia Erronea invincibili, malos) debet Iudex sivè Confessarius in Foro Conscientiæ judicare non fuisse peccata, & consequenter Pœnitentem in istis non peccasse, Ratio in superioribus sufficienter data est: Conscientia enim Erronea si, dum actus vel omissiones fiunt, sit verè Invincibilis, excusat à peccato: Tunc enim censetur actus sive omissio ejus involuntaria: quia errorem & consequenter peccatum nec scire potuit, nec debuit, & idcircò velle deliberatè non potuit. *Regula circa præterita.*

Dixi suprà (*ex Præcepto vel Circumstantia cadente sub Conscientia Erronea Invincibili*) Potest enim fieri, quòd (etsi malitia actus cadat sub Conscientia Erronea, & ejus invincibilitate) aliqua tamen ejus cõditio non possit ignorari invincibiliter, aut econtrà, ut malitia actûs in substantia sciatur, conditio tamen sub Ignorantia vel Errore Invincibili lateat; In quo casu interdùm excusatur Pœnitens à tanto, sed non à toto: interdùm nullatenùs excusatur, quià malitia peccati dependet à Præcepto vel Circumstantia, quæ ignorari, vel circa quam errare non poterat. *Ex. g.* Conscientiâ Erroneâ invincibiliter sibi dictante, credit Petrus sibi licere comedere carnes in Sabbatho, vel Vigilia, scit tamen & advertit homines scandalizandos si comedat: Etsi comedendo carnes, simpliciter non peccet, quia errore invincibili putabat sibi licere, peccat tamen ratione scandali quod prævidebat, & advertebat secuturum, vel posse sequi. *Item:* Scit Petrus se non posse ducere in uxorem Consanguineam in tertio gradu, Erronea autem Conscientia dictat hanc non esse Consangvineam

neam, etsi à patre rei sit: Talis excusatur à toto, quia tota malitia consistit in Circumstantia quam invincibiliter ignorabat, vel circa quam errabat. *Item*: Ioannes scit simpliciter se non posse fornicari, ignorat autem errore invincibili, fornicationem cum Consangvinea esse incestum, si fornicetur cum Consangvinea, fornicationem simplicem censendus est commisisse; non tamen incestum, & sic excusatur à tanto, sed non à toto. Et multi hujusmodi casus & exempla in praxi occurrunt, ad quæ prudens Confessarius tenetur attendere.

Regula III.

Quoad actuum continuationem.

Quoad præteritos actus ex Erronea Conscientia provenientes, Confessarius tenetur quãtum ex se, & natura rei, Pænitentem de errore informare, nisi probabiliter præviderel maius malũ, scandalum & Animæ periculum grave, utpotè, continuationẽ & multiplicationem peccati, orituram ex ratione informationis. Ratio clara est: Quia sivè ut Pastor, Doctor, & Medicus, tenetur in materia peccati, errores tollere, & de illis Pænitentẽ admonere, cùm dat causam sufficientem in materis ad hoc Tribunal spectante, ad errorem tollendum. Unde dixi (*quantùm est ex se, & natura rei*) ex accidenti enim potest interdùm tacere & dissimulare Causa autem illa subjungitur: *Nisi probabiliter præwideret maius malum, scandalum, grave Animæ periculum*, &c. Tunc enim obligatio Informantis vel Doctoris cessare censetur, quandò, si informatio fiat, non tantùm inutilis, sed nociva erit ac causa majoris mali, & peccati. *Explico Exemplo*: Ioannes duxit in uxorem Consangvineam uxoris defunctæ in gradu prohibito & dirimente, sciens quidem se non posse propriam Consangvineam in Matrimonium ducere: credens tamen sibi non prohibitum ducere Consangvineam uxoris; interim cognoscit illam ut suam, proles ex illa suspicit, & omnia quæ sunt Matrimonii, perficit Deprehendit Confessarius errorem, & anxius est quid agat? Agnoscit enim ex una parte Ioannem Conscientiâ Erroneâ Invincibili laborantem, & excusari à peccato durante hâc Conscientiæ invincibilitate: Ex altera verò parte: Si ex officio illum informet, prout tenetur, prævidet illum uxorem putativam non derelicturum, scandala multa oriunda, angustias graves moralis alicujus impossibilitatis ratione prolium, bonorum, &c. Tunc magis tenetur tacere & dissimulare, quia cessare censetur obligatio informandi sivè monendi de errore Conscientiæ. *Ratio verò fundamentalis* totiua est & doctrina generalis pro infinitis similibus casibus & perplexitatibus: Quia juxta commue Axioma, *Ex duobus malis, minùs eligendum est*. Quandò, nimirùm, utrumque non potest declinari, & alterutrum moraliter eligi debet: sed duo hæc mala occurrunt Sacerdoti, quorum utrumque declinare non potest, sed alterutrum eligere debet: *Alterum* quidem; Transgressio obligationis quam habet ex vi officii, tollendi errorem quem subesse clare novit, & informandi suum Pænitentem: *Alterum*: Causa & occasio quam dat Pænitenti si eum informet, continuationis in peccato jam cognito, & scandalorum, &c. Cùm autem minùs malum sit, imò veriùs, non sit malum tunc tacere & dissimulare: Quia videtur omninò cessare obligatio informandi eò quòd cesset finis ejus, & informatio non tantùm inutilis, sed & nociva foret, tenetur magis eligere tacere & dissimulare, ac relinquere hominem in Conscientia erronea invincibili, ratione cujus saltem ea durante, non peccat,

Dies: Confessarius informans Pænitentem de errore Conscientiæ, facit officium suum: Quòd si alter non recedat à peccato, dimittendo non suam, jam non est culpa Confessarii, sed est malitia Peccatoris: ergo non obstante peccato, tenetur Confessarius officium suum facere.

Respondeo neg conseq. Ad *Antecedens* dico: Quamvis informatio Confessarii non sit propriè causa peccati, est tamen occasio & conditio sine qua non imputaretur peccatum, sivè sine qua Pænitens non peccasset, cùm jam esset in possessione bonæ Fidei, Actuum, & Contractus matrimonialis ob Erroneam Conscientiam Invincibilem, consequenter præcisâ sivè rescissâ hac informatione, in actibus non peccasset. Tenetur verò Confessarius ut Pastor & Medicus more Medicorum se gerere, qui nonnunquam parcunt ferro, & medicamentis durioribus, ne vehementiam remedii æger ferre non possit & moriatur, non quia medicamentum ordinetur ad mortem, aut sit causa mortis, quin potiùs ad salutem: sed quia infirmitas aut debilitas infirmi, vehementiam remedii ferre non potest. Eodem modo hic ratiocinandum &: Etsi Confessarius aliàs teneretur ex vi officii adhibere correctionem & informationem ad tollendum Pænitentis errorem: Si tamen prævideat, tantam esse infirmitatem Pænitentis, quòd informationem ferre non poterit; sivè propter angustias in casu occurrentes, quas moraliter vix pervadere potest, sivè propter animi imbecillitatem, aut aliis de causis: tunc magis abstinere tenetur, maximè cùm ex ejus taciturnitate tantùm abest quòd Pænitens peccet, quin potiùs à peccato omninò immunis sit. Non enim minoris est prudentiæ in Medico observare si infirmus ferre possit medicinam, quàm scire virtutem naturalem medicinæ contra morbum. Et parùm videtur referre ad culpam Medici, An moriatur æger ex applicatione contrariæ medicinæ: An ex applicatione conve-

convenientis quidem, sed quam infirmua ustinere non potuit. Quae Doctrina, ut dixi, omnibus similibus casibus applicari potest, estque latissima in materia casuum.

REGULA III.

Quoad actus futuros.

Quoad actus vel omissiones futuras cùm necdùm aut incipiunt, aut esse habent extra suam causam, si deprehendat Confessarius Poenitentem laborare Conscientia Erroneâ Invincibili respectu illorum, tenetur Confessarius informare Poenitentem de errore, etsi praevideat illum non esse corrigendum, sed peccaturum Explico exemplo suprapositο: Confessarius audiens Confessionem Ioannis, deprehendit illum in futuro velle ducere in uxorem suam Consanguineam in gradu prohibito, quam Erronea Conscientia Invincibili se licitè posse ducere credit, de facto tamen necdùm illam duxit, necdùm angustiis peccati de facto est expositus, sed ipsi liberum est abstinere à tali conjugio & retrocedere: obligatur Confessarius illum de suo errore monere & informare, etiamsi praevideat quòd non acquiescet, *Ratio est*: Quia, ut supponitur, cùm sint actus merè futuri, nec ulla faveat excusatio cur minùs Confessarius suo munere illum informandi, fungatur, res adhuc est in integro, & Poenitens omnimode liber est.

Dices: Confessarius easdem patitur angustias respectu actuum futurorum in actu necdùm inchoato, sicut in eo de quo suprà, qui jam duxit uxorem ex Conscientia Erronea, quem ob periculum majoris mali futuri, non tenetur Confessarius informare, quod sic *declara.* Ioannes Conscientiâ Erroneâ dictante, deprehenditur à Sacerdote, Consangvineam in prohibito gradu velle ducere in uxorem, quia erronee quidem, invincibiliter tamen putat hoc sibi licitum, & validum fore Matrimonium: Sacerdos interim praevidet, quòd si illum informet de impedimento, non acquiescet; sed procedet ad Matrimonium, & sic peccabit ob Conscientiae Erroneae invincibilis & victae dictamen: ergò sicut in praecedentis Regulae casu: Sacerdos ad evitandum majus malum sivè peccatum simpliciter etiam debet potiùs tacere, quàm Poenitentem suum informare.

Nota.

Respondeo neg. paritatem. primo, Quia ut suprà diximus, Axioma illud: *Ex duabus malis eligendum est minus*, tantummodò verificatur, cùm aliquis ità inter duas velut materias conclusus est, ut utrimque, quidquid elegerit, malum fit: Quod in hoc casu non evenit: Cùm teneatur Confessarius tamquàm Iudex, Pastor, Doctor, ac Medicus suum Poenitentem ab errore liberare, nisi aliud ipso facto obstet: Hic verò nihil obstat quò minùs faciat, quia, ut supponitur, res in integro est, nec Poenitens exivit in actum, illumque liberè dimittere potest, & illustratus tenetur, necdùm enim natae sunt ei angustiae, & idcircò sicut non habet causam non recedendi ab errore cognito, sic nec Confessarius habet causam tacendi, vel dissimulandi. Taciturnitas enim & dissimulatio Confessarii tunc tantùm excusatur à peccato in actu jam existente, cùm vix aut nullo modo illum impedire, aut illi mederi potest, ob aliquam in Poenitente quasi impossibilitatem, quod hic non evenit. Aliud autem est de eo, qui ex Conscientia Erronea Invincibili duxit uxorem in prohibito gradu: Iste enim jam est in possessione bonae Fidei sui erroria invincibilis per factum, jam ei natae sunt angustiae, & pericula imminentia peccatorum & scandalorum, quibus moraliter vix potest se extricare, nec Confessarius illi potest aliter succurrere, quàm tacendo. Nec valet quòd in posteriori casu Confessarius aequè certò praevideat, si informet suum Poenitentem, illum nihilominùs uxorem in gradu prohibito ducturum, quam stante Erroneâ Conscientiâ Invincibili ducens, non peccaret: Hoc enim purae ejus malitiae imputandum est, cùm (ut dictum fuit) nullis angustiis veris prematur, sed sit omninò liber sequi Conscientiam correctam, aliàs non liceret, nec teneremur unquàm corripere peccatorem, quem non obstante correctione, sciremus peccaturum: *Item* Non liceret Speculatori annuntiare gladium venientem, sciens quòd ille cui annuntiaretur, non se observaret: Nec licuisset Moysi loqui Pharaoni, cùm Domino monente, sciret induratum cor ejus: Nec licuisset Isaiae annuntiare Populo Israelitico undè excaecari debebat, & auribus graviter audire. Causa igitur disparitatis est: Quòd prior qui jam Matrimonium duxit in gradu prohibito, de facto datâ informatione, sine peccato & gravissimo periculo ac scandalo, aut nullo modo aut vix extricari possit, cui idcircò necessariò providendum est ab eo, cui salus Poenitentis in ipso Sacramento est commissa. Posterior autem, qui necdùm duxit uxorem in gradu prohibito potest à Voluntate ducendi illam, cognito jam errore, cessare, adeoque Confessarius informando illum ex officio, tantùm abest ut det occasionem peccandi, cùm (ut suppositum est) nullis teneatur angustiis realibus; quin potiùs dat tali ansam ab actu peccandi retrocedendi. Undè nec Confessarius, nec Poenitens periculo peccandi per se exponitur, quia Confessarius ita officium suum facit, ut non habeat legitimam causam dissimulandi, & si Poenitens ad factum procedat, id suae malitiae imputare debet, cùm sufficienti informatione fuerit priùs praeventus ante factum vel obligationem aliquam in facto.

REGU-

REGULA IV.

Officium Confessarii quoad ducere ad salutem necessarió. In omni materia, à qua dependet necessariò salus pœnitentis, etsi Confessarius deprehendat in pœnitente conscientiam erroneam invincibilem, tenetur tamen pœnitentem informare. Explico exemplo in materia contritionis, in materia fidei unius, & trini Dei, Salvatoris Jesu Christi, in fide Baptismi & similibus, quæ sunt necessitate medii necessaria ad salutem: Si enim deprehendit pœnitentem credere conscientiâ erroneâ invincibili, se remissionem peccati mortalis quo detinetur, consequi posse coram Deo absque contritione extra Sacramentum, se salvari posse absque fide unius, & trini Dei, &c. tenetur non obstante quâcumque invincibilitate conscientiæ suppositâ, illum informare. *Ratio est*: quia hic non agitur tantùm de commissione peccati, sed multò magis de evitanda damnatione æterna. Quia ergo Confessarius tenetur, quantùm in se est, curare salutem pœnitentis, ex hoc capite tenetur informare pœnitentem de præfatis; etsi enim ratione erroris invincibilis forte pœnitens non peccaret, quia tamen non excitavit contritionem, quia non professus est fidem Dei unius & trini, nec non Salvatoris, &c. damnabitur, etsi (ut dixi) non commiserit novum peccatum.

REGULA V.

Tenetur Confessarius liberare pœnitentem ab erronea conscientia si potest. In materia qua vel peccatum non est, vel mortale non est: Si Confessarius deprehendat dictante conscientiâ erroneâ quâcumque, pœnitentem credere esse peccatum quod non est, vel esse mortale quod non est nisi veniale, tenetur illum informare de errore. Ratio est: quia tenetur quantum in se est, pœnitentem liberare à peccato quo detinetur: atqui qui putat se peccare sive venialiter, sive mortaliter (etsi à parte rei ex parte materiæ non sit peccatum, vel non nisi veniale) tamen ratione dictaminis conscientiæ erroneæ, peccat vel venialiter, vel mortaliter: ergo Confessarius tenetur, quantùm in se est, pœnitentem liberare. Quod sola informatione fieri potest.

Unde gravis imprudentia & insipientia est quorumdam, qui advertentes pœnitentem laborare conscientiâ erroneâ, eò quòd credat aliquid esse mortale, quod tantùm veniale est, tantùm abest, ut informent de errore, & consequenter liberent animam à peccato mortali, quin potiùs imprudenti pietate, quæ impietas magis dicenda est, illum confirmant. *Explico*: Monialis aliqua quæ ex vi Regulæ non tenetur ad legendas horas sub peccato mortali, putat tamen se teneri, consequenter illas omittens peccat mortaliter ex errore conscientiæ: Sunt Confessarii qui tantùm abest, ut ab illa removeant hunc errorem, quin potiùs confirment suâ dissimulatione, imò interdùm interrogati tergiversantur, nec nisi dubiè respondent; hoc quidem malefido argumento se putantes pietati favere: Si enim (inquiunt) dicamus non peccare mortaliter, erunt deinceps negligentes, & frequenter omittent horas suas: sic se gerunt in jejuniis, in aliquibus observantiis regularibus ut silentio, & quibusdam exercitiis non obligantibus ad culpam, vel non nisi ad venialem: Quòd quàm imprudens consilium, & quanta carnificina sit animarum, prudens attendat: Quid enim meliùs est, offendere Deum mortaliter ex conscientia erronea semel non legendo Horas? an decies venialiter tantùm, illas omittendo contra conscientiæ rectum dictamen de peccato veniali, aut sæpè non offendere? Quid meliùs est esse in continua anxietate & periculo peccandi mortaliter ratione conscientiæ erroneæ, quàm esse extra periculum? etsi variis negligentiis venialibus contingat animam interdùm defluere. Apage superstitiosos pietatis affectus: Noli permittere animam gravari onere indebito: Noli graviores sarcinas imponere iis, quàm imposuit Deus vel Ecclesia: scias mille negligentias, & mille millia peccata venialia, non posse pervenire ad malitiam & damnum unius mortalis: Cur igitur vis prævenire aliquot negligentias veniales, ut anima præcipitetur interdùm in peccatum mortale? urget animus vehementer calamum, quia eheu deprehendi hanc pestem non modò in monasteriis, sed etiam in paucerculis hujus sæculi animabus, quæ sub specie pietatis & timoris Domini, tali fuco camelum sæpè degluriunt, ut culicem colent.

Nota imprudentias Confessariorum.

Corollarium totius tituli.

Ex dictis *constat* 1. Dari interdùm conscientiam erroneam invincibilem.

2. In qua materia, & in quibus casibus?

3. Qualiter excuset, vel non excuset à peccato?

4. Qualiter agat partes Advocati pro reo?

5. Qualiter interdùm sit deponenda, vel contra illam agens, non peccet?

6. Qualiter Confessarius se gerere debeat cum laborante conscientia erronea?

TITVLVS IV.

De conscientia dubia.

QUÆSTIO I.

Quid sit conscientia dubia, & quotuplex dubium?

CONCLUSIO I.

Diffinitio conscientiæ dubiæ. *Conscientia dubia est, qua rationibus inter se pugnantibus, sive qua ex diverso dictamine practico ita suspensa & fluctuans redditur, ut in neutram partem se resolvere possit.*

Dixi (*sive ex diverso dictamine*) contingit enim aliquando quòd nulla subsit ratio in mente dubitantis, sed dictamen oriatur potiùs ex externa causâ, vel privatione rationis. *Explico*: Simplex idiota ab uno Sacerdote audivit tali die jejunandum, ab altero verò non jejunandum: Nec occurrit illi ulla ratio pro una parte potiùs, quàm pro altera, credendi potiùs uni, quàm alteri: Talis manet suspensus ex simplici dictamine conscientiæ fluctuantis, sive rem dubiam judicantis, ex eo solo, quòd extrinsecis contraria dicta sint, & ex privatione rationis, quâ possit discernere aut evolvere dubitationem, aut ratiocinativè concludere rem esse dubiam.

Dixi (*ex diverso dictamine practico*) si enim dictamen sit speculativum tantùm, conscientiam non generat, sed scientiam dubiam: Si verò unum dictamen sit speculativum, & alterum practicum: practicum dictamen sequendum est. Quod ultimum sic *explicatur*: dubitat quis: an votum castitatis emiserit? Dubium speculativum est, quia est tantùm de sciendo, an fecerit vel non fecerit? Interim non obstante illo dubio speculativo, consultat practicè: an possit non obstante illo dubio, matrimonium inire? Conscientia dictat practicè, posse: quia melior est conditio possidentis suam libertatem quâ per dubium speculativum spoliari non potest: in hoc casu dictamen conscientiæ, sive judicium speculativum anceps est & suspensum, sed tamen dictamen practicum conscientiæ, est certum & determinatum, illudque sequi licet. Econtrà, Joannes scit speculativè se teneri audire Missam in Dominica, interim occurrit infirmo graviter laboranti, dubitat autem practicè: an potiùs infirmo debeat opitulari, quàm audire Missam infirmo relicto? Etsi speculativè sit certus se teneri in Dominica audire Missam, practico tamen dictamine conscientiæ dubius est, & secundùm illud dictamen se pro dubio gerere debet, sive pro dubiâ conscientia laborante, donec in alterutram partem practicè se resolvat.

Dixi (*ita suspensa & fluctuans redditur, ut in neutram partem se resolvere possit*) ubi enim conscientia se in aliquam partem resolvit, jam non censetur dubia practicè, etsi angoribus, timoribus, & multâ formidine angatur, supposito quòd verè in aliquam partem se resolvat, possunt enim timores; & formidines remanere, etiam animo resoluto, sed illi tunc ad speculationem magis spectare reputantur. De quibus infrà latius.

CONCLUSIO II.

Etsi Dubium diversimodè dividi possit, quantùm ad hanc tamen materiam præcisè spectat: *Una est divisio celebrior*, nimirùm: quâ dubium dividitur in *Dubium speculativum* & *practicum*. Divisio dubii.

Dubium speculativum est: quod per se immediatè non ordinatur ad actionem, sed sistit in vera cognitione. Talia sunt dubia, quæ in propositionibus speculativis communiter oriuntur. Ut, an astra sint paria vel imparia? An Angeli omnes, specie, an solo numero distinguantur? &c.

Dixi (*quod per se immediatè non ordinatur ad actionem*) multa enim sunt dubia, ex quibus practicæ conclusiones deducuntur, & promanant: quia tamen immediatè ad actionem non ordinantur, nec per se movent ad eam, speculativa reputantur, non practica. *Explico*: In dubiis sequentibus: an tali die sit jejunium, vel non? an fundus quem possideo, verè sit meus? an votum castitatis emiserim? an juvenis clericus vel laicus in Ordine S. Francisci ante 21. ætatis annum, teneatur ad jejunia? Hæc omnia per se & immediatè speculativa sunt, quia ut sic proponuntur præcisè non applicantur ad aliquam actionem, sed tantùm ad scientiam, sive ad sciendum: Ex illis tamen practicæ conclusiones, sive etiam practica dubia deducuntur. *Ex. gr.* ex illo speculativo: *an tali die sit jejunium, vel non?* oritur sequens dubium practicum: *an ego hâc die obliger jejunare vel non?* sive: *an jejunabo vel non?* Item ex hoc: *an fundus quem possideo, sit meus?* Oritur practicum: *an hic & nunc tenear restituere, dato quòd non sit meus?* Et sic in cæteris hæc doctrina applicari potest, estque multùm notanda, quia contingit plures hallucinari putantes se esse dubios practicè, qui tantùm speculativè dubii sunt.

Dubium practicum est: quod per se, & immediatè respicit actionem: Talia sunt: an mihi hîc & nunc jejunandum sit? an hâc die audienda Missa? an tenear hîc & nunc confiteri, restituere? &c.

QUÆSTIO II.

An quis absque peccato, conscientiâ manente dubiâ, possit operari?

UT clarè & distinctè hæc Quæstio resolvatur, plurima sunt prænotanda.

Primo: Hîc agi de conscientia practicè dubia, & non tantùm de speculativè dubia: sicut enim in speculatione simpliciter & per se non potest esse peccatum, sic nec dubium merè speculativum, peccati causa esse potest, nisi ad practicum reducatur.

Dupliciter conscientia dicitur dubia.

Secundò: Dupliciter conscientiam posse dici dubiam. Primò formaliter & intrinsecè. Secundò, objectivè sive extrinsecè. *Conscientia dubia intrinsecè & formaliter*, est: Quando dictamen & judicium ejus ita in se anceps & suspensum est, ut in neutram partem practicè inclinet. *Conscientia tunc censetur dubia objectivè & extrinsecè*: Quando objectum circa quod conscientia versatur, est reverà dubium, ita ut in alterutram partem nullatenus definiri possit, conscientia tamen formaliter in se & intrinsecè se ad unam partem resolvit. *Explico*: Consultat conscientia: an teneatur restituere agrum, quem factâ debitâ diligentiâ, dubiâ fide possidet, & dubitat esse alienum? Conscientia objectivè manet dubia: quia reverà omni factâ (ut supponitur) possibili inquisitione, non potest probare suum esse agrum, & sicut non desunt probabilia argumenta quæ probant esse alienum, sic sunt & alia quæ probant suum esse: etsi necessarium sit, ut conscientia maneat, objectivè suspensa, & fluctuans in sequentibus practicis & conditionatis: *Si alienus est ager, tu non potes retinere: si tuus est, non teneris restituere*, & consequenter consentiat & judicet, ac dictet objectivè sive respectu objecti, periculum peccati esse: formaliter tamen & intrinsecè principio altero movente, se determinare potest, non restituendo quantumvis speculativè anxius esset: quia *in dubiis, melior est conditio possidentis*: Unde conscientia objectivè & extrinsecè quidem dubia est, formaliter tamen & intrinsecè determinata & certa est. Nos verò in hac Quæstione agimus de conscientia dubia intrinsecè & formaliter.

Dubium juris & facti.

Tertiò: Distinguendum etiam est hîc *dubium juris*, & *dubium facti*, sive *de faciendo*: *Dubium juris* est, quod versatur circa aliquod jus sive legem, dubitando nimirùm: An sit aliqua lex lata vel non? *Item*: An casu quo sit lata, obliget? *Item*: Quamvis communiter obliget; An his circumstantiis, hoc vel illo casu obliget? *Dubium facti*, seu potiùs *de faciendo*, est, quo quis non dubitans de jure vel lege, dubitat tamen de facto, vel faciendo aliquo actu ex lege resultante: *Ex. gr.* scit quis & non dubitat: vota esse reddenda Domino: dubitat autem primò, an voverit? Secundò, an stante hoc dubio, teneatur votum reddere? *Item*: Examinatur reus à judice: non dubitat quin lex obliget, ut juridicè interrogatus teneatur respondere? dubitat tamen *de facto*: an judex juridicè interroget? Et *de faciendo*: an stante hoc dubio teneatur respondere? *Item*: Sacerdos volens celebrare, scit Sacerdotem in peccato mortali existentem, teneri sub peccato mortali actualiter confiteri, si habeat copiam Confessarii: dubitat autem practicè: an sit in statu peccati mortalis? Deinde: an cùm occurrat tantùm aliquis Confessarius simplex & idiota, an censeatur illo ibi existente, habere copiam Confessarii? *Demùm*: an omittendo confessionem, peccet? Et similia multa dubia hoc loco proponenda & resolvenda sunt.

Alia divisio dubii facti.

Quartò: Distinguendum est de *dubiis facti præteriti, præsentis, & futuri*: *Ex. gr.* Dubitat quis de *præterito*: an peccatum aliquod mortale commiserit? an de illo confessus fuerit? an contritionem sive attritionem legitimam habuerit? an pœnitentiæ sacramentali satisfecerit? De *præsenti* verò dubitat: an obligetur iterùm confiteri? an confessionem, de qua defectu attritionis dubitat an fuerit valida, reiterare debeat? an denuò, pœnitentiam reiterare teneatur, &c.? De *futuro* autem dubitat: an obligatio confitendi, sit ad primam opportunitatem? an verò ad placitum quando sibi placuerit?

Alia divisio dubii.

Quintò: Distinguendum est, *Dubium de honestate actûs, à dubio de obligatione illius*. Hæc enim multùm sunt diversa: *Dubium de honestate* est: quando dubitatur, an id quod debet fieri, sit per se & ex sua natura bonum vel malum? *Dubium* autem *de obligatione* dicitur: Quando constat quidem rem ex se non esse malam, dubitatur autem an sit mala ratione præcepti vel prohibitionis? *Ex. gr.* Maria quæ simplex votum castitatis emisit, dubitat an possit nubere? non quia dubitat: an matrimonium sit malum, sed an sit voto simplicis castitatis obstrictis licitum? *Similiter*: Novit Joannes ebrietatem per se, & ex sua natura esse inhonestam: dubitat tamen, an ad curandum morbum liceat sibi hîc & nunc inebriari? Sic dubium de honestate esset, si quis dubitaret: an liceret tyrannum, aut latronem se aggredientem, causâ justæ defensionis occidere?

CONCLUSIO UNICA.

Cum dubio practico intrinseco non licet operari.

N*Unquam licet, manente conscientiâ practicè dubiâ, operari absque peccato, si conscientia dubium sit intrinsecum & formale, ac de re facti seu facienda in præsenti, seu imminenti tempore, & de honestate actionis* Ratio fundamentalis est: quia qui sic operatur, exponit se

se manifesto peccandi periculo: *Qui autem* teste Sapiente Ecclesiastici 3. *amat periculum, in illo peribit*: Et S. Paulus ad Rom. 14. agens de Christiano ex Judæo converso, manducante cibum de quo dubitat, an sit immundus, & consequenter sibi lege prohibitus? *Qui* (inquit) *discernit, si manducaverit, damnatus est*: In quem locum Theophilactus: *Qui ambigit* (inquit) *non ex fide ducitur, sed ex dubitatione*. Ut autem pleniùs hæc Conclusio intelligatur, particulæ sunt declarandæ.

Eccle. 3 Vers. 27. — Ad Rom. 14. v. 23. Theophilactus.

Dixi igitur (*manente conscientiâ practicè dubiâ*) quia si dubium tantùm sit speculativum, licet liberè agere contra dictamen ejus, modò tamen conscientia practicè sit resoluta: ad operandum enim, semper est necessaria rectitudo quædam moralis, periculum peccati excludens per dictamen aliquod practicum: Exempla sunt data quæst. 1. & 2. per totam.

Dixi (*si dubium sit formale & intrinsecum*) quia ut ostendimus suprà notatione 2. potest quis esse objectivè & extrinsecè dubius, qui tamen formaliter & intrinsecè est certus.

Dixi (*si sit de re facti, vel faciendâ*) sub quibus comprehendo omissiones: quia (ut etiam suprà notavimus, *in hac quæst. not. 3.*) potest quis esse certus de jure & præcepto prohibente vel mandante, dubius tamen de facto vel faciendo hic & nunc, ut per multa exempla demonstravimus. *Similiter*: potest quis esse certus de facto, dubius autem de jure: ut *Ex. gr.* certus est quis se peccasse mortaliter, dubitat autem: an lex hic & nunc ad confessionem obliget? Requiritur igitur, ut sit dubium de re quæ debet hic & nunc fieri, aut hic & nunc omitti: unde singulariter

Dixi (*de re facti seu faciendi in præsenti*) sub quo iterùm comprehendo omissiones; ad excludenda ea quæ respiciunt præteritum, ratione cujus præcisè transeunt magis in dubium speculativum, ex materia tamen practica: *Declaro exemplo*: Dubius sum, an fecerim confessionem integram? an aliquod peccatum mortale confessus fuerim? an contritionem habuerim? an restitutionem fecerim? Ista dubia in se abstractim sumpta, cùm non sint per se de re facienda, vel omittenda, sed de præterito actu, vel ejus omissione, dubia speculativa sunt reputanda, & manentibus illis dubiis, potest quis operari, nisi ex ipsis deducatur aliquod dubium de re facienda, vel omittenda in præsenti, vel imminenti: ut: an tenear confessionem repetere hic & nunc? an id de quo dubito, debeam nunc confiteri? &c. Tunc enim tenetur quis se resolvere in unam aut alteram partem, ad hoc ut sine periculo peccati omittere, vel agere censeatur.

Dixi etiam (*de faciendo in imminenti*) sunt enim quidam actus vel omissiones, quæ etsi in se, & in præsenti non sint malæ, in imminenti tamen peccaminosæ sunt, unde qui dubitat de peccato imminenti, tenetur omittere. *Ex. gr.* Etsi per se Joanni liceat ire ad tabernas: ex expertis tamen, quia in illis frequenter aut in graves ebrietates, vel alia gravia peccata incidit, dubius hæret, an propter proximum peccandi periculum quod advertit imminere, possit ire? Quamdiu dubius manet, non potest sine peccato ad tabernas ire: quia eodem loco haberi debent periculum præsens, vel imminens: quia in causa, quasi incipit esse: sic exemplifica de eo, qui frequentiùs ratione potûs indormiscit, & omittit horas suas: Dubius verò est, an etiam hâc vice omittet, si potui vacet? debet dubio manente abstinere à potu, aliàs censetur se exponere manifesto peccandi periculo.

Dixi (*dubio manente, sive quamdiu dubius manet*) potest enim alio medio se resolvere, ut posteà dicemus.

Advertendum etiam est: Nos inter dubia facti, seu rei faciendæ computare actus præsentes voluntatis: *Ex. gr.* An dubitans de integritate confessionis, teneatur dubio manente, vel confiteri tempore opportuno, aut confessionem repetere, sive saltem contrariam voluntatem non habere? Certum est enim debere hoc velle, sive non posse hoc nolle. Hic enim agitur de actu practico voluntatis præsentis, etsi ipsa confessio actualis, sit tantùm futura. Nota.

Dixi (*si dubium sit de honestate actionis*) cùm enim honestas sit de intrinseca ratione actus boni moralis: si dubitatur de honestate, jam dubium est de natura actûs, adeoque qui sic dubius est, absque periculo peccati ex ratione intrinseca actûs, proveniente, nullatenùs operari potest. Aliud est: quando dubium est ab extrinseco, ex ratione juris sive legis: tunc enim aliquando dubius de lege prohibente, potest procedere in actu, qui aliàs de se est honestus, absque periculo peccati. *Ex. gr.* Scit quis esse honestum per se conversari charitativè cum homine, dubitat autem, an sit excommunicatus? & consequenter, an lege prohibente, id sibi liceat? manente dubio, potest conversari: quia ut posteà explicabimus: *In dubiis melior est conditio possidentis*: Censetur autem (quamdiu sibi certò non constat hominem excommunicatum) esse in possessione honestæ conversationis. Et aliàs exposuimus de eo qui dubitat: an fundum retinere possit? quia dubitat, an sit alienus? Cùm enim in possessione fuud simpliciter & per se, nulla sit inhonestas? Dubium autem tantùm sit ex parte juris: potest retinere possessionem, donec ipsi clarè constet quòd sit alienus.

CON-

CONCLUSIO II.

Judicium de peccato ex dubio quale?

Juxta rationem materiæ & obligationis de qua quis dubius operatur, est judicandum de peccato mortali, vel veniali, qui enim dubitans ut suprà, an quod agit vel omittit, sit peccatum mortale? mortaliter peccat; si verò dubitat, an sit veniale? tantùm venialiter peccat. Conclusio ex terminis manifesta est: obligatio enim dubiæ conscientiæ, sequitur ejus dictamen; si ergo dictamen inferat dubietatem mortalis, mortale erit, si venialis, veniale erit: quia se exponit periculo illius de quo dubitat, juxta rationem dubietatis. Unde si à parte rei fuit materia peccati mortalis, tantùm verò dubitavit de veniali, censebitur tantùm veniale, quia supponitur error sive conscientia erronea invincibilis respectu materiæ in se, quæ excusat à mortali. *Explico exemplo*: Joannes credens erroneè, invincibiliter tamen, omissionem unius peccati mortalis in confessione non esse peccatum mortale, dubius tamen an quod omittit, sit veniale? tantùm offendit venialiter, etsi de se, sit materia mortalis: Ex una enim parte ob conscientiam erroneam invincibilem à peccato mortali excusatur: Ex altera autem, ratione dubietatis in actu operandi, quà tantùm dubitat de veniali, censendus est peccare tantùm venialiter. *Ratio est*: quia durante erroneâ conscienriâ invincibili, periculo tantùm venialis peccati se exponit, idque ratione dubii.

QUÆSTIO III.

Quomodo in omni materia se quis gerere debeat circa conscientiam dubiam, ad hoc ut non peccet?

Pro resolutione pleniori hujus Quæstionis, advertendum est, unumquemque dupliciter se posse habere circa conscientiam dubiam, ad hoc ut non peccet. Primò, Deponendo formaliter dubium. Secundò, Declinando ab illo per tertiam aliquam actionem vel omissionem quæ absque peccati periculo est. *Prioris partis exemplum est*: ut si quis antequam actionem inchoet, de qua dubitat, an sit peccatum? priùs informatione acceptâ, vel ratione sufficienti legitimè appræhensâ, se in alterutram partem omninò resolvat. *Posterioris autem*: ut si quis dubitans: an hodie teneatur ad jejunium, vel non? Etsi dubius semper maneat, nec resolvat: statuit tamen (etsi non teneretur) jejunare: cùm enim in illa dubii parte nullum sit peccati periculum, quamvis in dubio se non resolvat, declinans tamen à dubio, eligit partem periculo peccati non subjectam. *Similiter*: Quis recedens manè ex domicilio ubi non est festum, dubitat; an illuc eodem manè perveniens, teneatur ad audiendam Missam, quam tamen audire non intendit: manente dubio declinat & eligit pervenire tantùm ad locum circa meridiem, quâ finitæ sunt Missæ: Hæc est declinatio; Dubio tamen priori semper manente. His prænotatis, resolutionem pono per regulas certas.

REGULA I.

Quando teneatur quis dubiam conscientiam deponere?

Quandocumque dubium est de honestate vel *malitia actionis in se: nemo potest absque peccato operari, nisi conscientiam dubiam deposuerit, sed tenetur absolutè omittere.* Ratio est: quia honestas est de intrinseca ratione actûs moraliter boni: unde qui de honestate actûs dubitat, manifesto periculo peccati se exponit, si stante dubio operetur. *Explico*: Joannes dubitat: an malè loquendo in aliquo casu de proximo, peccabit mortaliter? Si non deponat hoc dubium, sed stante dubio loquatur, mortaliter peccat: quia omnis operans debet esse certus de honestate operis, aliàs se exponit periculo peccati: sic Medicus dubitat, an ad medendum liceat tangere verecunda mulieris? stante dubio & non deposito, si operetur, peccat: quia reverà de honestate operis dubius est.

Dixi (*sed tenetur omittere*) nulla enim ei alia via supetest, quàm aut depositio dubii, aut operis omissio. Et hæc regula est generalis in omnibus dubiis quæ in materia rectitudinis naturalis occurrunt, sive etiam in casibus qui sunt puri facti, & non juris. *Ex. gr.* Medicus scit se non posse occidere hominem, dubitat autem an adhibendo talem medicinam, illum occidet? stante dubio, tenetur omittere: *Similiter*, Confessarius scit se non posse revelare audita in confessione: dubitat autem an id quod vult revelare, audierit in confessione? tenetur stante dubio, tacere. Ratio eadem est, quæ suprà: quia dubius est de honestate actus.

REGULA II.

Quid in dubio juris, an fit.

Quando dubium est juris, vel præcepti, si dubitetur de lege, an sit lex talis data vel non? stante dubio, potest quis absque peccato liberè operari. Explico: Dubitat quis: an indictum sit festum vel jejunium in talem diem, si verè dubitat, potest tali die operari, potest comedere. *Ratio est*: quia *in dubiis legis sive juris, melior est conditio possidentis*: Cùm enim lex sit servitus quædam, non obligat nisi sciatur, sive nisi debitè promulgetur: respectu autem verè dubitantis, non censetur debitè promulgata. Unde cùm quis sic dubius suâ libertate necdùm sit spoliatus, illam adhuc possidet. Porrò advertendum est, quatuor in quacumque lege debere distingui. Primum, est ex ipsa quatenùs à legitimo legislatore fertur. Secundum, est sensus legis, sive ejus interpretatio.

tatio. Tertium, est obligatio legis. Quartum, est concurrentia duarum legum sibi invicem contrariarum. Super his umnibus contingere possunt diversa dubia conscientiæ. *Explico*: Dubitare possum: an lex sit lata? *Ex. gr.* An in die S. Marci indicta sit abstinentia? Secundò, An abstinentia illa interpretanda sit ad modum jejunii, sicut in nonnullis locis cum præcepto abstinentiæ includitur jejunium usque ad meridiem? Tertium, dubitat Belga, an hæc lex illum per Italiam itinerantem, obliget? cùm in istis locis abstinentia non servetur. Quartum, concurrit lex de conservanda vita, sive gravi morbo evitando, & dubito, an mihi liceat istâ die carnes comedere ob præceptum abstinentiæ quod impedire videtur.

De primo itaque dictum est: In dubio, an lex sit lata? posse hominem absque peccato, stante dubio, contra prætensam legem operari. Quando nimirùm actus de se non est malus, sed tantùm censeretur malus, quia prohibitus. De aliis dubiis consequenter dicemus.

REGULA III.

Quid in dubio sensus legis?

QVando quis dubius est de sensu sive interpretatione legis, potest non obstante dubio operari, secundùm favorabiliorē sibi partē. Explico. Scit quis esse præceptum abstinentiæ in Belgio in die S. Marci, dubius autem est, an lex abstinentiæ intelligatur secundùm formam jejunii, quoad refectionem meridianam? talis non obstante dubio, potest sumere jentaculum. *Ratio est*: quia quoad illam partem, *melior est* iterùm *conditio possidentis*, nec tenetur subire partem illam servitutis, nisi sibi constet impositam.

REGULA IV.

Quid de dubio in casu.

QVando quis dubius est: An in aliquo casu occurrente lex obliget, tenetur obedire legi, & stante dubio, abstinere à transgressione legis: nisi ratione probabili dubium priùs deponat. Ratio clara est: quia in tali casu lex prævalet, & jus obligandi possidet contra transgressores: unde vel dubium deponendum est per probabilem aliquam certitudinem, vel ad aliquod tertium declinandum erit.

REGULA V.

Quid de dubio ubi duo præcepta occurrunt.

DVobus præceptis contrariis occurrentibus, & eodem tempore obligantibus, si non possit utrique satisfacere: ita autem dubius hæreat, ut sive unum omittat sive faciat, apprehendat in utroque periculum peccandi si non potest dubium deponere, potest manente dubio, alterutrum absq; peccato eligere. Modò tamen reflectat se super generali illa resolutione quod id liceat, etsi nulla major probabilitas sibi sit in uno, quàm in altero. Explico exemplo: Pastor puero in hoc instanti existenti in periculo mortis tenetur Baptismum administrare: dubitat autem si aquæ quantumlibet parùm adhibeat, quòd puero mortem causabit, & homicida erit ac incurret irregularitatem: Si omittat, peccabit mortaliter contra justitiam & charitatem, quia defectu Baptismi anima pueri perdetur. Duo enim hic præcepta concurrunt. Alterum, Non occides: Alterum; ex officio & justitia puerum baptizabis: imò & tertium, ex charitate teneris procurare salutem proximi. Qui itaque sic dubius est: tenetur, si potest, dubium deponere, & puerum baptizare: quia salus animæ præferenda est saluti corporis. Si autem non potest; manente dubio, poterit absque peccato alterutrum bonâ fide eligere: quia non tenetur manere perplexus, ideoque non apparente quòd sit majus vel minus malum in electione, si non potest utrumque omittere, liber manet ad utramvis partem: Et si quis error fuerit in electione, imputabitur ignorantiæ invincibili, seu invincibili perplexitati. *Similiter*: In Dominica occurrunt alicui duo præcepta: Alterum audiendi Missam: Alterum tempore quo tenetur audire Missam, subveniendi proximo in gravi necessitate: Dubius hæret, quid sibi sit potiùs faciendum aut omittendum; nec potest dubio deposito, in unam aut alteram partem aliquâ probabilitate inflecti: potest tunc alterutrum etiam manente dubio, eligere. *Ratio verò totius regulæ est*: quia libertas in eligendo tamdiu manet indifferens, quamdiu per rationem eligibilitatis non determinatur, ergo (supposito quòd sit operandum) deficiente ratione eligibilitatis ad aliquam inclinante per seipsam, potest se determinare in quamlibet partem, cùm ex parte objecti & circumstantiarum non possit in aliquam certam partem inclinari. Potentia enim libera, quà libera, ita suæ libertatis est domina, ut sicut inter duo bona potest quodlibet eligere, sic inter duo mala æqualia (supposito quòd unum sit eligendum) alterutrum sine differentia eligere potest absque peccato. Aliud est, quando ex objecto vel circumstantiis unum minùs malum apparet, tunc enim non est verè in possessione libertatis ad utrumlibet absq; peccato: Et prævalet regula: *Quòd in dubiis tutior pars sit eligenda*. De qua posteà.

REGULA VI.

De dubio respectu præcipientis.

IN præceptis sicut & in legibus: si constet de persona præcipiente quid sit superior, similiter & de honestate, & justitia rei præceptæ; Dubium autem occurrat: An superior non excedat potestatem suam in hoc singulari præcepto, tenetur inferior (deposito dubio vel etiam manente) obedire. Ratio est: quia cùm certum sit esse superiorem, jam possidet jus suum, nec propter dubium inferioris potest illo spoliari. Jus autem Superioris est justa & honesta præci-

præcipere. *Explico exemplo*: Superior mandat suis subditis observari jejunium pro necessitatibus patriæ sub peccato mortali: etsi verò sit res honesta & justa, dubitat inferior: an hoc possit Superior suâ ordinariâ potestate? Sic dubitans tenetur obedire: quia Superior in justis & honestis possidet jus mandandi, nec dubium inferioris illum spoliare potest: aliàs omnis forma regiminis confunderetur.

Dixi (*si constet quòd persona præcipiens sit Superior*) in casu enim dubietatis de persona, an sit Superior? jam prætensus subditus adhuc in possessione suæ libertatis est respectu personæ illius, quâ non potest spoliari, nisi sibi de superioritate ejus super se constet.

Dixi ampliùs (*si constet de re præcepta quòd sit justa & honesta*) si enim dubitaretur de inhonestate aut injustitia rei præceptæ, tunc aliter disputandum esset. Aut enim dubium est de honestate rei præceptæ in se, nimirùm: an sit in se & ex natura sua bona, an mala? Aut dubitatur de bonitate vel malitia ab extrinseco, super quibus pono Regulas sequentes.

REGULA VII.

De dubio honestæ rei præceptæ. Q*Vando inferior verè dubitat de honestate rei præceptæ in se, sive in natura sua, nec debet, nec potest existente & manente tali dubio obedidire.* Ratio est: quia exponeret se periculo manifesto peccati. Neque enim potest Superior supplere defectum actûs in se mali, si fortè contingeret esse malum: nec illi conferre bonitatem: & inferior non habet causam credendi Superioris judicio de malitia vel bonitate illius actûs. *Explico*: Præcipit Superior inferiori, ut audiat confessiones mulierum in loco non patente: dubitat verò inferior, an sibi liceat? tum ob periculum scandali, tum ob suam fragilitatem, vel muliebrem malitiam: durante hoc dubio, inferior non tenetur obedire mandato superioris: quia exponeret se periculo peccati; Etsi enim audire simpliciter mulierem in loco non patente non sit semper malum, aut peccatum: quia tamen ex se causam dubitandi potest movere subdito, si subditus dubitet, eò ipsò quò dubius est, operari nō potest, nec tenetur obedire.

Dices: Tenetur magis acquiescere judicio superioris, quàm suo proprio; ergo & tenebitur non tantùm asserente prælato rem non esse malam, sed magis illo præcipiente, deponere dubium, & obedire. *Respondeo primò*: Posse interdùm ad judicium Prælati deponere dubium, & sic cum certitudine probabili obedire, maximè si Prælatus sit prudens & sufficienter doctus, prout in superioribus docuimus: sed hoc supponit jam depositionem dubii ex fide & credulitate congrua, quam habet de judicio superioris. *Respondeo secundò*: Sæpè non teneri, nec prudenter posse deponere dubium ob causas quas habet eodem modo dubitandi de ejus legitimo præcepto, ratione rei præceptæ de qua dubitat practicè an sit mala? Unde quamdiu dubium non deponit, tamdiu operari non potest, & consequenter non tenebitur obedire. Pro quorum omnium pleniori resolutione, advertendum est: præceptum superioris respectu rei per illud demandatæ, de qua inferior dubitat an sit mala, posse se habere dupliciter. *Primò*, simpliciter & præcisè, nihil immutando circa rem demandatam, sed simpliciter illam præcipiendo, in modo & forma quâ potest obligare. *Secundò*, conjunctim, cum aliqua formali vel virtuali interpretatione, declaratione, vel dispensatione. *Ex. gr.* Superior regularis præcipit inferiori ut in die jejunii religionis comedat carnes, nullâ adjectâ aliâ ratione, hoc est præceptum simplex & præcisum. Alio modo præcipit idem superior ut inferior comedat carnes in die jejunii, declarando & interpretando ob necessitatem eum non obligari ad jejunium, aut casu quo obligaretur, de potestate legitima se cum illo dispensare. Dubia igitur diversa inferiores agitare possint, utpotè, in præcepto præciso: An frangere jejunium aut comedere carnes in die jejunii Regularis possit præcipere Superior, ex parte materiæ quæ videtur mala, & peccaminosa? *Item*: In præcepto conjuncto: an Superior habeat potestatem declarandi vel interpretandi? sive, an sufficiens judicium habeat de necessitate? *Item*: an possit dispensare? Super quibus omnibus pono Regulam sequentem.

REGULA VIII.

I*N omnibus dubiis quæ concernunt potestatem ordinariam Superioris (sive in declaratione, & interpretatione præcepti vel legis, sive in dispensatione & judicio causæ) potest inferior acquiescere præcepto, declarationi, vel dispensationi Superioris, nisi manifestè constet de errore, vel abusu.* *De dubio concernente potestatem Superioris.* Ratio est: quia Superior eò ipsò quò est Superior, est in possessione suæ potestatis ordinariæ, & inferior cùm suam voluntatem, & salutem animæ suæ deposuerit in curam Superioris tamquam pastoris sui, ductu ejus rationabiliter se subjicere potest juxta illud commune S. Bernardi: *Si vos nobis vos totos commisistis, quid de vobis iterùm vos intromittitis?* *S. Bern.* Estque communis omnium sensus, & totius Ecclesiæ doctrina: Judicium Superioris in dubio debere præferri judicio inferioris; nimirùm, in iis quæ ad Superiorem quà Superior est, pertinent, tum ratione auctoritatis; tum ratione correlativæ obligationis; tum denique ratione assistentiæ divinæ particularis in iis quæ muneris sui sunt, cùm vicariam sub Deo potestatem gerat. De quibus omnibus vide Doctores.

Dixi notanter (*in iis quæ concernunt potestatem ordinariam Superioris*) in aliis enim quæ ad ejus ordinariam potestatem non pertinent, frequentiùs oritur quòd inferior non debeat, nec possit acquiescere superiori. *Ex. gr.* Præcipit mihi Prælatus ut detegam alterius crimen occultum, dubito autem an mihi liceat detegere? tum quia occultum est, nec de simili unquam fuit infamatus, aut mihi secretò est commissum, aut ex mea revelatione periclitatur fama vel vita proximi: etsi Prælatus declaret mihi licere, non teneor nec possum acquiescere; quia materia secreti non pertinet ad potestatem ejus ordinariam quia Superior est, & sicut non est illius disponere, sic nec illius interpretari vel declarare materiam quæ soli judicio divino subjacet. *Similiter*: Præcipit Superior regularis inferiori ut audiat confessiones sæcularium, inferior autem verè dubius est an habeat jurisdictionem, sive an sit approbatus ab Episcopo? Solâ declaratione vel mandato Superioris non potest acquiescere, quia dare jurisdictionem in sæculares vel illam declarare, non dependet à Superiori regulari, sed ad Papam vel Episcopum pertinet, Dico (*solâ declaratione vel mandato*) potest enim Superior tam probabiles rationes dare, ut inferior acquiescere possit, & interdùm debeat non vi mandati, sed vi rationum & causæ cur idipsum mandet.

Dixi iterùm in Regula (*potest inferior acquiescere*) non enim tenetur semper omni præcepto acquiescere ob circumstantias & causas occurrentes. *Ex. gr.* Joannes Oeconomus, sive dispensator monasterii accipit mandatum ab Abbate, non dandi eleëmosynam alicui personæ pauperi, ob causas aliquas sibi benè visas: Interim Joannes putat personam illam extremâ necessitate laborare, & fame perire: Dubius est, an peccabit dando? quia contra præceptum Superioris facit in materia quæ ad illius potestatem pertinet: Aliundè dubitat, an peccabit non dando? quia necessitati indigentis ex charitatis præcepto tenetur subvenire, etsi enim dare pertineat ad Prælatum, ita, ut sine licentia ejus regulariter monachus dare non possit, circumstantiæ tamen putatæ extremæ necessitatis & indigentiæ quæ sunt charitatis obligantis, pro ipso contra præceptum Superioris probabiliter concludunt: tunc non tenetur omninò acquiescere, sed potest dare.

Nota. Dixi tandem (*nisi manifestè constet de errore vel abusu*) si enim constet Prælatum in sua opinione vel judicio errare contra regulam vel Dei mandata, etsi millies contrarium declaret vel præcipiat, non licet dubitanti illi acquiescere.

Ratio est: quia oportet magis obedire Deo, quàm hominibus. Et ut ait S. Hieronymus in cap. 6. ad Ephesios: *Cùm Dominus carnis à Domino spiritûs diversa imperat, non est obtemperandum.* Quin si benè advertatur, cùm manifestum est Superiorem in sua opinione errare, aut potestate abuti; tunc inferior non censetur dubius respectu opinionis erroneæ peccati, sed certus est quòd erret, ideoque non tenetur obedire, aut dubium deponere. S. Hier in cap. 6. ad Ephes.

ANNOTATIO.

De signis conscientiæ verè dubiæ.

EX his Regulis patet, qualiter conscientia dubia communiter deponi possit, ad hoc ut homo non peccet: Generaliter enim tenendum est in dubio practico, quòd quamdiu non deponitur dubium, vel à dubio quis non declinat, in sensu composito neminem posse absque peccato operari, si verè dubitet. Porrò advertendum est semper, an verè quis dubitet? sive an laboret conscientiâ verè dubiâ? Interdùm enim sunt potiùs angores & timores nocturni, aut scrupulositates, sive metus planè inutiles.

Duo autem sunt signa conscientiæ verè dubiæ. Primum, si utrimque rationes apparentes, & aliquo respectu probabiles, saltèm ratione subjecti, dictamen conscientiæ antecedant: si enim sint rationes ex alterutra parte futiles & vanæ, nulliusque planè momenti, tantùm censentur causare inutiles timores & agitationes, ac scrupulositates, non veram in conscientia dubitationē. *Signa conscientiæ dubiæ.*

Dixi (*aliquo respectu probabiles saltèm pro ratione subjecti*) etsi enim docto viro nullatenùs sint probabiles, fortè tamen ratione personæ parvi cerebri & capacitatis, sufficient ad constituendum dubium. *Explico*: Muliercula aliqua simpliciter in pietate juxta morem regionis educata: dubitat: an peccet mortaliter non eundo ad Vesperas in Dominica? *Item*: Jentaculum sumendo ante auditam Missam: si sic dubia, absentet se à Vesperis, vel jentaculum ante Missam præsumat, peccabit mortaliter, & erit conscientia dubia ob rationes sibi secundùm suam capacitatem probabiles: quæ tamen viro docto vel aliquantulùm exercitato sunt inanes & futiles, quia non sunt nisi cōsuetudines piæ quas sibi proponit, ut piam observantiam festi & reverentiam Missæ, &c. Quamvis aliundè sibi non desint rationes contrarium asserentes, ut multorum etiam proborum exempla & dicta, quæ suspensum animum meritò reddunt.

Secundum signum conscientiæ dubiæ est: quando apud se maturè deliberans, in neutram partem resolutoriè propendet. Si enim propendeat resolutoriè in unam partem cùm apud se maturè deliberat, etsi non possit satisfacere argumentis contrariis, & timor ac formido quædam maneat in mente: jam non censetur agere ex conscien-

tia

tia dubia; sed ad minùs ex opinione sive ex resolutione in unam partem. Quod valde notandum est ob animas multùm afflictas; quæ etsi, cùm apud se quietè deliberant, ad unam partem probabiliter & sufficienter ad agendum se resolvant, adhibitâ etiam interdùm resolutione alicujus viri docti: nihilominus quando sunt in procinctu actionis, vel etiam posteà, variis timoribus usque ad tremores infestantur, id procurante salutis adversario, vel naturæ pusillanimitate & animi perturbatione id causante. Hæ enim se dirigere debent juxta dispositionem quam in quieta deliberatione in se deprehendunt, non secundùm timores quos in procinctu actionis patiuntur: Vidi certè aliquando personas aliquas devotas utriusq; sexûs, dubiis primò resolutis & maturè sedatis, accedentes ad sacram Synaxim, in procinctu actionis tremore concuti usque ad stridorem dentium ex timore & anxietate remanente, etiã sedatâ conscientiâ dubiâ: ideoq; bene advertant spirituales judices & Confessarii, ne facile turbentur, nec veritatem rei in aqua ista turbida considerent, sed in aperto aëre & cœlo: Sed de his omnibus in sequenti titulo de conscientia opinosâ.

QUÆSTIO IV.

Qualiter intelligi debeant duo illa Iuris axiomata: In dubiis melior est conditio possidentis: Item: In dubiis tutior pars est eligenda, & quo eorum usus ad sedandam conscientiam dubiam?

Varia variè locuti sunt Doctores super istis axiomatibus, ita ut tantùm abfit, ut lumen attulerint, quin potiùs tenebras ampliores in usu istarum regularum juris offuderint. Meo more nolo disputare, confidenter tamen sensum meum aperiam: antequam verò ad resolutiones accedam,

Axiomata non sunt invicem contraria. Advertendum est primò, duo illa axiomata juris: *In dubio melior est conditio possidentis*, Et: *In dubio tutior pars sive semita est eligenda*, non esse sibi invicem contraria, sed se invicem explicare.

Non enim conditio possidentis dicitur melior, nisi quia contra peccati periculum vel obligationis vinculum, possidentem, non obstante dubio, reddit tutum & securum: ac consequenter in dubiis ratio possessionis indicat partem tutiorem, sive tutam & securam, unde & concluditur: *Tutior pars sequenda*. Ita ut idem sit sequi meliorem conditionem possidentis in dubiis, ac sequi tutiorem partem vel semitam.

Duplex poss. sor. Advertendum secundò: In hac materia nos debere hic distinguere duos possidentes, sive possessores sibi contrarios; prior possessor est *lex* sive sit justitiæ, sive virtutis contra hominem; Posterior est *homo* contra legem. Dicitur verò *lex possidere*, quando in quacumque materia respectu subditi habet vim obligandi. Dicitur autem *homo possidere contra legem*, quando in aliquo casu, vel ex aliqua ratione eximitur & liber est à legis servitute, onere, sive obligatione. Unde illa dicitur pars tutior vel melior, quæ favet possidenti, sive sit *legis* contra *hominem*, sive hominis contra *legem*.

Advertendum tertiò: Illa comparativa *Tutior* & *melior* in hac materia non dici respectu positivorum quæ sunt *tuta* & *bona*, sed respectu *periculosi*, sive respectu *non tuti* & *non boni*. Unde si utraque pars dubii ex variis opinionibus probabilibus sit *tuta* vel *bona*, non refert quam partem dubius sequatur: sufficit enim ad prudenter & honestè operandum, ut quis absque periculo peccati vel mali operetur, & consequenter sufficit ut partem *tutam* vel conditionem *bonam* in dubio sequatur, etsi comparativè nec sit tutior nec melior.

Explico: Dubitat quis: An possit celebrare absque peccato ante Matutinum lectum? stante opinione ex utraque parte probabili, posse & non posse, quilibet potest alterutram eligere, quia utraque pars est *tuta*, etsi negativa videatur *tutior*, eò quòd longiùs removere videatur peccati periculum. Sufficit enim, quòd alterutra sit *tuta*, & simpliciter peccati periculum removens; non enim tenemur sequi quod meliùs est, sed sufficit sequi bonum, sive quod justè credimus non esse malum. His sic prænotatis pono conclusiones, & primò quidem super Regula juris: *In dubio melior est conditio possidentis.*

Conclusiones super Regula Juris:

In dubio melior est conditio possidentis.

CONCLUSIO I.

Regula Juris: *In dubio melior est conditio possidentis*, respectu dubitantis duo supponere debet; Alterum: ut id cui regula applicatur, respectu agentis verè dubium sit: Alterum; ut agens sit in vera possessione bonæ fidei alterius partis. *Duo requiruntur ad valorem axiomatis.*

Explico: Ut quis per hanc regulam juris: *In dubio melior est conditio possidentis*, se resolvere possit quando dubitat, an fundus quem actu possidet sit alterius, & an restituere teneatur? Debet primò, esse verè dubius: si enim majoribus vel gravioribus rationibus magis inclinetur in partẽ contrariã quòd fundus non sit suus, tunc hoc axioma illum juvare non potest, sed ad aliud mediũ confugiendum erit de opinione probabili, vel improbabili. *Ratio est*: quia jam cessat

integritas bonæ fidei, ex inclinatione in contrariam partem.

Secundò, Ut quis utatur hoc axiomate, debet esse in vera possessione bonæ fidei alterutrius partis, si enim cesset bona fides, cessabit & possessio. *Similiter*, si incæpit possessionem malâ fide. *Explico in præcedenti exemplo*: Possidet quis agrum de quo ab initio vehementes rationes habuit quòd esset alterius, fortè ob litteras visas, vel injustitias quas notavit in parente suo defuncto, in causâ illius agri: etsi perseveret in possessione agri, & videatur per præscriptionem illum justè possidere, verè tamen non possidet, quia malâ fide incæpit illum possidere. *Possessor* autem *malæ fidei*, juxta commune Juris axioma, *non præscribit*. Et hæc Conclusio benè notanda est pro resolutione infinitorum dubiorum quæ singulis diebus occurrunt. *Ex. gr.* Dubitat quis, an peregrinationem, castitatem, religionem, jejunium voverit, eò quòd ex una parte magno affectu se trahi senserit, ut promitteret vel voveret: ex altera tamen parte occurrunt rationes, quòd actualiter non videtur promisisse, aut vovisse cum obligatione voti, sed si quid actum fit, illud potiùs per modum vehementis propositi esse actum circa præfata: potest liberè deponere dubium si verè dubitet: quia melior est conditio possidentis; Ipse autem possidet adhuc libertatem suam quâ spoliari non debet, nisi de contraria obligatione voti constaret. *Item*: Dubitat quis an peccaverit, sive an actum peccaminosum commiserit, vel præceptum aliquod omiserit? quamdiu re examinatâ sic verè dubitat, non tenetur confiteri: *Ratio est*: quia tali dubio manente verè possidet innocentiam suam, melior autem est conditio possidentis. *Item*: Joannes verè dubitat, an ager sit suus? & quamvis nonnulla videantur probare non esse suum, sunt tamen etiam plura quæ ostendunt esse suum, ut quòd à parentibus acceperit, de quorum probitate non habet justam causam malè judicandi: quamdiu Joannes sic manet dubius, justè debet credere esse suũ: quia *melior est conditio possidentis*, tum parentis qui possedit usque ad mortem suam probitatem, tum suiipsius ad quem ordinariâ lege devenit agri hæreditas. Exempla in contrarium sequenti Conclusione afferentur.

CONCLUSIO II.

Quid de Dubiis de legis possessione.

Quotiescumque constat de possessione legis sive præcepti, aut de facto contra legem, dubium autem tantùm est de aliqua circumstantia actûs, tunc manente dubio, deficit illa regula juris: In dubiis melior est conditio possidentis. Non enim in favorem dubitantis, sed in favorem legis & obligationis interpretanda est. *Ratio est*: quia tunc dubitans per certitudinem juris & facti contra legem, possessione suâ censetur spoliatus. *Explico variis exemplis*: scit aliquis certò se peregrinationem, castitatem, religionem, jejunium, &c. vovisse; dubitat tamen, an intervenerit deliberatio sufficiens ad obligandum? tenetur manente dubio, tale votum implere.

Ratio est: Quia hòc ipsò quò vovit, jam seipsum suâ libertate spoliavit, & nisi defectum conditionis requisitæ probaverit ob certitudinem juris & voti emissi, habetur pro reo & obligato, ac subjecto juri verè voventium. *Item*: Constat Joanni quòd peccaverit, dubitat autem, an mortaliter, an venialiter, utpotè, defectu materiæ vel deliberationis? Dubio illo manente, tenetur peccatum confiteri.

Ratio est: Quia per actum peccaminosum deturbavit se à possessione innocentiæ, & reus legis est factus, ut de quantitate aut qualitate examinetur. *Item*: constat Petro quòd ager quem possidet, de facto fuerit alieni juris, vel non suus, dubitat tamen an restituere teneatur ob dubiam præscriptionem, vel ob alias causas, utpotè, compensationis alicujus interesse, vel detrimentorum? tenetur manente isto dubio, agrũ restituere, quia ex supposito, constat quòd non sit suus, sive quòd illum verè non possideat; Dubium enim non in ipsum jus vel factum cadit, sed tantùm circa aliquam circũstantiam, quæ quamdiu manet dubia, non potest firmare possessionem veram: Jus enim dubium non potest excludere jus certum.

Dixi verò notanter in Conclusione & omnibus exemplis (*manente sive perseverante dubio*) si quis enim alio modo legitimo deponat dubium suum, utpotè per judicium, sententiam, consilium, vel opinionẽ probabilẽ quæ dubium practicum excludat: tunc ut prænotavi, cessat quæstio de isto axiomate, quod tantùm in veris dubiis formaliter remanentibus, debet & potest applicari.

Petes primò: Quando censeatur lex sive præceptum esse in possessione obligandi contra dubitantem? *Respondeo* per puncta nonnulla velut regulas generales

Regula de possessione legis contra dubitantem.

Primò, quandocumque dubitanti de lege sive præcepto, constat legẽ fuisse promulgatam, & usu communi apud probos receptam, quamdiu certò non constat de ejus abrogatione (quamvis ex rationibus apparentibus contingat dubitari) possessio stat à parte legis sive præcepti, & dubio manente, dubitãs obligatur ad legem. *Explico*: Prohibuit Pontifex lectionẽ aliquorum librorum sub pœna excommunicationis, quam legem scio legitimè promulgatam, & communi usu receptam: Procedente autem tempore (quia video aliquos legentes, vel audivi aliquem dicentẽ) dubito: an lex sit revocata vel legi derogatum? Dubio manente, legere non possum absque peccato & incursu censuræ: quia possessio stat à parte legis: Generalis enim regula est: Quandocumq; lex incœpit obligare, tamdiu

dari censetur obligare, donec constet probabiliter eā esse derogatum.

Secundò, quando lex obligat ad certum tempus; si quis dubitet an tempus obligationis expiraverit, dubio manente tenetur legem observare: eâdem ratione quâ supra: quia stat possessio à parte legis. *Explico*: Præceptum est abstinentiæ à carnibus, durans à media nocte ante feriam sextam, usque ad mediam noctem post Sabbathum, dubitans igitur in nocte sequente. Sabbathum an duodecima mediæ noctis sonuerit, ut possit edere carnes? tenetur abstinere: quia toto illo tempore stat possessio à parte præcepti sive legis. *Similiter*: Dubitat quis an compleverit legitimam ætatem ad Ordines suscipiendos? manente dubio suo, non potest suscipere: quia lex prohibens, ne quis ante talem ætatem Ordines suscipiat, obligat usque ad ultimum instans inclusivè.

Tertiò, Quotiescumque constat de obligatione legis principalis, etiam judicandum est de obligatione ejus quæ in lege illa fundatur, vel legem illam consequitur: sicut enim accessorium sequitur suum principale, sic possessio accessorii sequitur possessionem principalis. *Explico*: scit quis se habere rem non suam, dubitat verò, an teneatur restituere? hôc ipsô quòd dubius est, restituere tenetur: quia sicut possessio stat pro præcepto non retinendi rem alienam, sic stat pro præcepto consequenti, & in eodem fundato, nimirùm: Illam suo domino restituendam. *Similiter*: Scit quis se percussisse clericum, dubitat verò, an incurrerit excommunicationem? utpotè, quia dubitat, an sibi licuerit vim vi repellere, aut rapientem sua bona, impedire? Quamdiu dubius manet, & se in alteram partem non resolvit, tenetur se pro excommunicato habere: quia possessio sicut stat à parte legis quæ Clericum prohibet percuti, sic ex consequenti stat à parte excommunicationis: nisi absolutè & probabiliter judicet & concludat sibi licuisse percutere Clericum, & consequenter excommunicationem se non incurrisse.

Dixi (*de obligatione quæ in lege fundatur, vel legem consequitur*) sunt enim nonnulla, quæ tantùm legem circumstant, super quibus etsi lex in possessione sit, illa tamen non sequuntur legis possessionem. *Ex. gr.* Jejuniis Quadragesimæ in nonnullis regionibus, ita est conjuncta abstinentia lacticiniorum, ut graviter peccet qui absque dispensatione illis utitur: quia tamen est circumstantia quædam legis, contingit ut quamvis cum lege promulgetur, in regionibus aliis non censeatur obligare, sive quia censetur abrogata, sive ex communi interpretatione ut in Belgio: quò fit ut, Belga dubius an possit lacticinia in Belgio tempore Quadragesimæ comedere? possit manente dubio affirmativam partem eligere: quia etsi lex in possessione jejunii sit, non tamen in possessione hujus circumstantiæ, cui per communem usum proborum fuit derogatum; ita ut respectu hujus circumstantiæ Belga sit in possessione contra legem. Et similia prudenti judicio trutinanda sunt.

Quartò, Lex naturalis divina, & divina positiva semper in possessione suot contra dubitantem, ita ut præscriptio vel bona fides contra illam non currat. Quapropter quando est dubium, semper pro illa judicandum erit. *Ratio est*: quia legum illarum immutabilis legislator, est Deus, contra quem non currit humana præscriptio, aut derogatio. *Explico*: Lex divina præcipit honorare parentes, succurrere pauperi in gravi & extrema necessitate, vota Deo reddere, &c. Evenit casus in quo quis dubitat, an ad hæc teneatur, utpotè parente malè vivente, paupere vitioso, aliquâ difficultate in votis occurrente, &c. stante dubio, possidet lex, nec illam absque peccato transgredi licet.

Nota semel pro semper. In tota hac materia nos semper supponere dubium permanere: si enim per opinionem & rationes probabiles in alterutram partem judicium inflectatur, tunc aliter dicendum erit, ut infrà de conscientia opinosa videbitur.

Adverte etiam, cùm quis conscientiâ erroneâ vel ignorantiâ invincibili laborat, jam non censeri dubium, sed defectu debitæ cognitionis veritatis, eum in altero extremo hærere: undè qualiter circa legem se habere debeat, docuimus suprà locis suis.

Petes secundò, Quando censeatur dubitans contra legem possidere? *Respondeo* similiter per nonnullas regulas. *Regula de possessione dubitantis contra legem.*

Primò, Quandocumque rationabiliter dubitatur de legitima institutione, promulgatione, receptione legis, vel auctoritate legislatoris: manente dubio, possessio adjudicanda est in favorem dubitantis. Vide quæ diximus in superioribus.

Ratio est: Quia cùm lex & præceptum sint quædam servitus, & gravamen, semper in favorem gravati interpretanda sunt; cùm enim de gravamine dubitetur, dubitans tamdiu libertatem suam possidet, quamdiu illâ non est spoliatus.

Secundò, In lege pœnali quando dubium est de delicto fundamentali, vel principali circumstantia, super qua pœna fundatur: manente dubio, possessio stat à parte dubitantis contra legem. *Explico*: Joannes percussit Petrum Clericum, ignorans clericum esse, dubitat an sit excommunicatus? manente dubio, possidet Joannes libertatem suam contra legem, sive contra pœnam legis, etsi enim constet de præcepto sive lege

lege quòd non liceat percutere Clericum: quia tamen lex illa pœnalis non simpliciter percussionem prohibet, sed cum tali circumstantia quòd sit Clericus, stat possessio in favorem Joannis percutientis, quia non ex intentione & scienter percussit Clericum: Excommunicatio autem fundatur super morali & deliberata percussione Clerici. *Similiter*: Sacerdos concurrens ad impediendum latrones, ex quibus unus occiditur, scit quidem se unum ex illis percussisse, dubitat verò practicè an percusserit illum qui occisus est? manente Dubio, non censetur irregularis: quia etsi (ut postea docebimus ex *cap. Significasti* 2. & ex *cap. Ad audientiam de homicidio*) quando constat aliquem vulnerasse Presbyterum quem constat esse mortuum, dubitatur autem an ex illo vulnere sit mortuus? Presbyter teneatur se pro irregulari gerere? In hoc tamen casu, quo dubitatur, an Presbyter occisum vulneraverit sive percusserit, possessio innocentiæ in foro conscientiæ stat à parte Sacerdotis. *Similiter*: Dubitat quis an Ordines sacros susceperit, vel castitatem voverit? manente Dubio, possidet libertatem suam ut matrimonium inire possit.

Tertiò, In præcepto certo instanti temporis incipiente obligare, quamdiu dubitatur, an instans illud inchoatum sit? manente Dubio, possessio stat à parte dubitantis. *Ex. gr.* Præceptum de abstinentia à carnibus incipit horâ duodecimâ noctis ante feriam sextam, dubitat quis feriâ quintâ comedens carnes, an post inchoatam duodecimam comederit? manente dubio, censendus est non violasse præceptum abstinentiæ sequentis diei.

Ratio est: quia non spoliatur libertate prioris diei, nisi constet alterum diem inchoatum, Nemo enim per jus dubium, potest privari jure certo: Certum autem est illi quòd feriâ quintâ usque ad ultimum instans mediæ noctis possit comedere carnes, dubium verò est de instanti immediatè sequenti, an sit inchoatum? Et plura similia exempla formari, & in praxi occurrere possunt.

Quartò, Quotiescumque in omni lege quis dubitat de actu transgressionis præcepti; manente dubio, possidet innocentiam suam contra legem. *Ratio est*: quia non nisi per actum transgressionis potest quis legem violare, ergo quamdiu de actu dubitat, tamdiu innocens censendus est, juxta commune axioma: *Quilibet habendus est innocens, quamdiu non probatur nocens* Et in hoc fundatur regula generalis: Quòd nemo teneatur confiteri aliquod peccatum, nisi certò affirmare possit se commisisse, & se confessum non esse. De quo infrà.

Explicatio alterius axiomatis.

Quòd, in dubiis tutior pars, sive semita sit eligenda.

Etsi in superioribus ostenderimus illa axiomata non esse sibi invicem contraria, sed semper invicem includere saltem in virtute: Illa enim pars tutior censetur, quæ stat à parte possessoris, sive sit lex præceptum, sive dubitatio contra legem: sunt nihilominus aliqua hic addenda, ut plenior cognitio habeatur. *Quid de axiomate in Dubiis tutior pars est eligenda.*

Advertendum igitur primò, quod suprà est annotatum, comparativum *tutior*, non sumi hic respectu positivi *tuta*, sed respectu negativi *non tuta*, ut sit sensus: illam partem dici tutiorem quæ excludit *non tutam*. Vide suprà.

Advertendum secundò, Axioma illud in Jure desumi partim *ex cap. Ad audientiam de homicidio*, partim *ex cap. Significasti* 2. partim *ex cap. Petitio tua, eodem titulo*. In capite namque Ad audientiam: proposito casu Presbytero qui aliquem domesticum correctionis gratiâ cingulo percutiens, cultro de vagina cingulo appensâ egrediente, domesticum illum vulneravit, qui posteà superveniente morbo mortuus est: Dubitantibus, an mors ex vulnere, an ex superveniente morbo fuisset subsecuta? & an Presbyter habendus esset homicida & irregularis? Respondet Pontifex: Habendum ut homicidam & irregularem, nisi appareat illum aliâ infirmitate obiisse: *Quia* (inquit) *semita tutior in dubiis est eligenda*. In cap. autem *significasti* 2. continetur casus similis de Presbytero qui furem ornamenta Ecclesiæ suæ auferentem ligone sive fossorio percussit in capite, quem supervenientes parochiani cum gladiis & fustibus occiderunt: Dubitantibus autem, an ex percussione parochianorum, an verò ex percussione Presbyteri obiisset? ac consequenter, an Sacerdos esset homicida, & irregularis habendus? Respondet Pontifex: Habendum esse pro homicida & irregulari, ex eo quòd certum sit de vulnere à Sacerdote inflicto, idq; instrumento periculosissimo, nimirum ligone, in membro delicatissimo, videlicet in cap. *Cùm enim* (inquit Pontifex) *in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur*. Iterum in *cap. Petitio tua.* Proponit clericus casum: Quòd dum inimici Crucis Dominicæ invaderent quoddam castrum, exeuntibus tam Clericis, quam Laicis contra illos, plures occisi sunt: Dubitabat autem Clericus, sciens se aliquos percussisse, An aliquem occidisset? & an ipse incurrisset irregularitatem? Respondet Pontifex: Si de interfectione cujusquam in illo conflictu illum sua conscien- *Varia exempla ex Canonibus desumpta.*

tia

riæ remordeat, à Ministerio altatis abstineat, cum sit consultius in hujusmodi Dubio abstinere, quam temerè celebrare.

Alius habetur Casus in *cap. Iuvenis de sponsalibus*, de quodam Juvene qui puellam nondùm septennem duxerat, quamvis ætas repugnaret, ex humana tamen fragilitate forsan tentavit, quod complere non potuit: contigit autem eundem Juvenem ducere puellæ prædictæ Consobrinam, mandat Pontifex ut separetur: Quia puellam necdùm septennem vere duxit, & conjux eius est habita, & quamvis is dubitetur de validitate ob repugnantem ætatem, nihilominùs, *In his quæ dubia sunt, certius est timendum.*

Advertendum tertiò, in omnibus illis relatis exemplis ex Iure, semper supponi aliquam transgressionem ex parte Legis cujus transgressio periculum importat, ex quo Lex in possessione esse censetur: supponitur enim in tribus primis exemplis: Quòd Presbyteri extra rationem debitæ aut inculpatæ tutelæ, eos qui occisi sunt vulneraverunt, undè Pontifex in tertio ubi maius dubium esse poterat, addit: *si te de interfectione cuiusquam remordeat Conscientia* (si enim tantum de percussione in genere, nec remorderet Côscientia de percusione alicujus ex interfectis, tunc staret possessio à parte sua ut nuper diximus.) Et in *cap. iuvenis* similiter supponitur Iuvenis puellam necdùm septennem duxisse, & pro conjuge habuisse, unde affinitas eum Consobrina contracta erat. His sic animadversis, pono Conclusionem sequentem per modum Regulæ Universalis.

Conclusio Unica.

Explicatio axiomatis. **I**Lla pars tutior censenda est ad hoc ut in Dubiis eligi debeat: Quæ verum peccati periculum excludit, absque iniusto & irrationabili gravamine dubitantis.

Dixi (*In dubiis*) si enim alterutra Dubii pars sit certa, vel sub probabili opinione apprehendatur, jam cessat ratio hujus axiomatis.

Dixi (*quæ verum periculum excludit*) si enim verum periculum peccati non sit, alterutram partem Dubii sequi vel non sequi poterit, utràque enim pars tuta erit: Quisquis autem tutam partem sequitur, prudenter & honestè sequitur. Non enim tenetur sequi tutiorem, sed sufficit quòd tutam sequatur, ut omne periculum evadat. Si verò econtrariò pars quæ videtur tutior, peccati verum periculum non excludat, tunc tuta censenda non erit, multò minùs tutior: Undè si fuerit perplexitas, & utrimque periculum peccati appareat, jam recurrendum erit ad alterum Axioma: *Ex duobus malis eligendum est minus*; si verò perplexitas absoluta non fuerit, id est, si dubitans alterutrum eligere non cogatur, ab utroque abstinendum erit, cùm utrimque supponatur periculum peccati.

Dixi (*absque iniusto & irrationabili gravamine dubitantis*) Tunc autem esset injustum & irrationabile gravamen; si aliàs sibi deberetur conditio possidentis contra Legem; Hæc duo enim se invicem includunt, ut suprà notavimus, & sicut conditio possidentis censetur *melior in Dubiis*, sic & censetur *Tuta*, ut quis eam sequi possit, quamvis ut sæpè repetitum est, altera tutior videretur.

Hinc Pontifex in allatis exemplis semper supposuit obligationem sive possessionem ex parte Legis: Quia constabat de vulneratione gravi in duobus primis exemplis; in tertio remordebat fortiter Conscientia de interfectione sive vulneratione interfecti. In quarto constabat de Matrimonio & attentata copula quæ omnia dant vim Legi ut possideat contra Dubitantem, & quæ sufficientem adserunt causam ut dubitans gravetur.

Ex quibus *Infero*, non dici tutiorem illam partem in hoc axiomate, quæ à peccato est remotior ut nonnulli intelligunt, sed simpliciter quæ excludit verum peccati periculum etsi altera pars longius fortè ab omni occasione removeret quæ quidem in aliquibus esset majoris perfectionis, non tamen obligationis quæ interdum esset infirmo homini in laqueum.

QUAESTIO V.

An peccatum dubium subjiciatur huic judicio, sive sit confitendum, & qualiter ista communis Doctrina Certa ut certa, Dubia ut dubia sunt confitenda, *intelligatur*?

HIc iterùm repetendæ sunt nonnullæ distinctiones in superioribus relatæ & aliæ addendæ.

Repetendum igitur est: Aliud esse *Dubium iuris*, aliud *Dubium Facti*. Rursus, Dubium Juris: Aliud esse *Iuris in genere*: Aliud, *Iuris in specie vel individuo singulari*: Dubium *Iuris in genere* est, quo dubito, An actus à me commissus vel committendus, sit contra Legem, sive An sit peccatum? Dubium *Iuris in specie* sive *de individuo* est, quo dubito, Quale & quantum sit peccatum, sive sub quali & quanto peccato Lex actum commissum vel committendum prohibeat? id est, in qua specie sit peccatum, & an sit mortale vel veniale? Rursùs, *Dubium* vel actum antecedit, & vocatur *Antecedens*: vel illum concomitatur, & dum sit actus, perseverat, vocaturque *Concomitans*: vel actu transacto exurgit, & vocatur *Consequens*: *v. g.* Joannes auditurus Confessionem antequam audiat, dubitat: An habeat potestatem? & hoc Dubium vocatur *Antecedens*, potest autem illud deponere antequam audiat, & si deponat, erit *Antecedens* tantùm.

Si autem Dubio practico remanente, nihilominus audiat, hoc vocatur *Concomitans.* Poteſt autem fieri ut Ioannes nec ante dubitaverit, nec cùm audivit, ſed poſt Confeſſionem auditam inſurgit ipſi vehemens Dubium an audire potuerit, & hoc dicitur *Dubium Conſequens*, prout à *Concomitante* & *Antecedente* diſtinguitur. Et hæ ſunt ferè diſtinctiones omnes quæ in hac Quæſtione debent memoriâ obſervari.

Conclusio I.

Dubium facti non eſt cõfitendum.

D*Vbium Facti non cadit ſub Confeſſionem ſivè non debet in Confeſſione & Iudicio Sacramentali ad abſolutionem proponi.* Ratio eſt: Quia quamdiu Dubium manet, peccatum non eſt, nec ut peccatum confitendum eſt, & ut duximus ſupra: *Melior eſt conditio poſſidentis*: poſſidet autem quis ſuam innocentiam ab hoc individuo facto ſivè peccato, quandò ſibi non probatur, aut conſtat peccaſſe. *Explico exemplo:* Petrus dubitat An pridie legerit horas ſuas, quamdiu dubitat, non debet, neque tenetur confiteri, Dubio nimirùm in æquilibrio ſivè ſuſpenſo permanente. Quid enim ſcientiæ dabit Iudici ad abſolutionem, ſi omninò ipſe Dubius ſit? quinimò quamdiu ſibi non conſtat horas ſuas omiſiſſe cùm conſueverit dicere, cenſendus eſt dixiſſe.

Dixi (*ad abſolutionem*) poteſt enim ſi velit, per modum inquiſitionis cauſas ſuæ dubitationis proponere, ut in alterutram partem ſe reſolvat, ſed hoc nihil ſpectat ad abſolutionem.

Conclusio II.

Dubium Iuris in genere non confitendũ.

Q*Vandò eſt Dubium Iuris in genere de peccato, ſive: an actus commiſſus vel omiſſus, ſit peccatum: non tenetur quis confiteri*: Ratio eſt Quia ut jam ſæpe dictum eſt: *Melior eſt conditio poſſidentis*: Quia enim dubitat: An id quod fecit in genere ſit peccatum? quod nihil eſt aliud, quàm dubitare, An Lex in genere obliget vel non obliget? in iſto caſu diximus dubitantem poſſidere libertatem ſuam.

Conclusio III.

Dubium de qualitate vel quantitate peccati confitendũ.

Q*Vando quis eſt certus ſe peccatum commiſiſſe, ſive actum commiſſum vel omiſſum, eſſe peccatum, dubitat autem: An ſit mortale vel veniale? tenetur confiteri.* Ratio eſt. Primo, Quia ut diximus, jam ratione tranſgreſſionis Legis, dubitans ſpoliatus eſt poſſeſſione & libertate ſuâ, & Lex poſſeſſionem accepit, ut tranſgreſſio ejus examinetur in judicio: Secundò, Quia exponeret Sacramentum obici & nullitati, & conſequenter ſeipſum periculo Sacrilegii caſu quo illud peccatum mortale eſſet. Undè *Ex. g.* Qui ſcit ſe habuiſſe cogitationem impudicam circa Conjugatam, dubitat verò practicè an conſenſum deliberatum & ſufficientem ad peccatum mortale dederit? tenetur perſeverante Dubio confiteri, exprimendo & ſe cogitationem ſive delectationem impudicam habuiſſe in tali ſpecie circa Conjugatam, & ſe dubitare, An conſenſum ſufficientem dederit? Quia ex eo quòd cogitationem talem admiſit, ſub poſſeſſione Legis eſt, ut Iudici ſiſtatur; nam caſu quo ſufficienter conſenſiſſet defectu integritatis, Sacramento obicem voluntariè poneret

Conclusio IV.

Dubium tantum antecedens nõ eſt confitendum.

D*Vbium Antecedens tantùm, ſi ante actum vel omiſſionem deponatur in favorem dubitantis non debet ſubjici Confeſſioni* Explico: Qui dubitavit, An liceret tali die carnes comedere, *Ex. g.* Morſillos in Hiſpania in Sabbatho? ſi antequàm comederet, reſolverit ſe probabiliter poſſe, etſi poſt comeſtionem, Dubium denuò reſurgat, non tenetur confiteri *Ratio eſt*: Quia ut ſupponitur, non comedit dubius, ſed moraliter certus, ideoque non peccavit.

Conclusio V.

Dubium cõcomitans confitendũ.

SIquis, cum Dubio Concomitante quo dubitat, An actus qui committitur vel omittitur, ſit peccatum mortale, operatur vel omittit, peccat mortaliter & tenetur non tamquàm Dubium, ſed tamquam certum confiteri. Qui enim exponit ſe periculo peccandi mortaliter, omninò cenſendus eſt mortaliter peccare, juxta illud Sapientis: *Qui amat periculum in illo peribit.* In ipſius enim actu hæc conditionalis virtute continetur: *Etſi eſſet peccatũ mortale, nihilominùs volo facere.*

Idem dicendum eſt de eo, qui Dubio Concomitante Dubitat, An ſub peccato mortali teneatur aliquem caſum vel circumſtantiam exprimere dum confitetur? manente enim hoc Dubio, tenetur exprimere ſive confiteri ſaltem ſub Dubio, alias mortaliter peccat, eâdem ratione quâ ſuprà immediate: Cùm exponat ſe periculo Sacrilegii, per conditionalem virtute contentam: Nimirum: *Etſi teneor confiteteri, tamen nolo.*

Conclusio VI.

Dubium Iuris conſequens cõfitendum.

DUbium Iuris Conſequens tantùm, ſive quod oritur poſt factum, ſi ante ſequentem Confeſſionem non deponatur, obligat ad Confeſſionem. *Ratio eſt*: Quia licet non attigerit actum præteritum dum fieret, attingit tamen examen actus in ordine ad Confeſſionis obligationem quæ actum ſequitur, niſi deponatur, quia format alterum Dubium de negligentia, vel obligatione. *Explico*: Ioannes omiſit jejunare præcedenti die quia putavit ſe habere cauſam ſufficientem non jejunandi, aut certè ex advertentia non reflectens, ſivè non examinans priùs an habuiſſet cauſam jejunandi

nandi; sequenti die examinans Conscientiam incipit dubitare, An habuerit causam sufficientem? & An adhibuerit sufficientem diligentiam,& deliberationem ad causam sufficientem discutiendam? adeoque dubitat, An mortaliter peccaverit? Etsi non dubitaverit dum operaretur, quia tamen jam dubitat de transacta obligatione vel negligentia, tenetur aut deponere Dubium, aut confiteri *Similiter*: Qui dubitat: An aliquod mortale, vel circumstantiam mortalem dixerit in Confessione praecedenti, si non deponat Dubium, tenetur illud confiteri: Eadem ratione casus praecedentis.

ANNOTATIO NECESSARIA.

Nota. ADvertendum tamen: Non facilè admittenda ista Dubia Poenitentium, quae ut plurimum Dubia non sunt, sed scrupuli, anxietates, timores pusillanimitates, maniae hypocondriacae. Ubi igitur Confessarius advertit non esse vera & fundata dubia, cogendi sunt illa deponere, etiam per Praeceptum vel fortem persuasionem ac repulsam & alijs modis, de quibus in superioribus latè egimus: Quod fere in omni materia Dubiorum observandum erit, si non constet vere Dubia esse, vel dubitantem ex vero Dubio operatum fuisse vel operari.

COROLLARIUM.

EX dictis constat qualiter intelligenda sit illa propositio, *Dubia ut Dubia esse confitenda*: Nimirum ut intelligatur de veris Dubiis Concomitantibus actum dum fit vel omittitur, aut etiam ipsam Confessionem, si nimirùm sint Dubia Juris quibus dubitatur, An actus qui committitur vel omittitur in praesenti, sit peccatum mortale? aut veniale tantùm? vel An actus qui commissus vel omissus est, sit sub peccato mortali hic & nunc confitendus? Caetera Dubia sive sint antecedentia, sive consequentia non cadunt sub Confessionem in ordine ad Absolutionem, sicut nec dubia Facti.

TITULUS V.

De Conscientia Opinosa, sive Opinione.

QUAESTIO I.

Quid sit Opinio, & qualiter à Dubio distinguatur?

CONCLUSIO UNICA.

Diffinitio Opinionis. OPinio nihil est aliud, quàm *Assensus Rationis alteri parti propositionis contrariae vel contradictoriae, ex principiis tantùm probabilibus ortus.*

Dixi (*Assensus*) Quamdiu enim Ratio non assentitur, Opinio dici nequit, sed vel Argumentatio vel Ratiocinatio, aut certè Dubium dicendum est.

Dixi, *Rationis*) sive enim ab extrinsecâ auctoritate, sive à principiis & argumentis assensus procedat, ad hoc ut Opinio vocetur, Rationis inclinationem requirit; alias potiùs vocari deberet *Resignatio*, quàm *Opinio*. Explico: Regularis credit se non teneri ad jejunium idque non ob aliud, quàm quia Superior dicit, etsi cum formidine oppositi; si ratiocinativè hoc concludat illo, vel simili argumento: Quod Superior asserit, possum licitè sequi: Superior asserit me non teneri ad jejunium; ergò licet sequi. Hic est assensus Rationis; etsi enim totum fundamentum sit ab extrinseco, non nisi tamen prout ab intrinseco Rationem movet ad assentiendum, vocatur Opinio.

Alius est modus simplicis resignationis sine actu Rationis, & ratiocinationis: quò simplex & idiota absque Ratione & ratiocinatione facit quod ei dicitur, & hic assensus non tam vocatur opinio, quàm simplex resignatio & abnegatio omnis rationis, & ratiocinationis.

Dixi *alteri parti propositionis contrariae vel contradictoriae*) si enim Ratio neutri parti assentiatur, non jam Opinio, sed Dubium vocabitur & erit. *Item*: Si propositiones sint disparatae, non vocabitur Opinio sed resolutio simplex Opinio enim non dicitur, nisi alia ei ratiocinatio opponatur. Unde singularis Opinionis proprietas est, quod subsit semper formido de opposito, quia nimirum semper oppositum habet.

Dixi (*Ex principiis tantùm probabilibus ortus*) Si enim ex certis, jam non erit *Opinio* sed *certa scientia*, si ex improbabilibus ut talibus cognitis; erit *Error* vel *Obstinatio*. Unde iterum singularis proprietas Opinionis est, quòd, cùm non sit certa, formidinem de opposito veritate conjunctam habet. Ex hac diffinitione.

Infero primò. Dubium in hoc distingui ab Opinione: quòd non sit assensus; sed potiùs suspensio assensus, sive in utramque partem ratiocinatio absque assensu, vel inclinatione in alterutram. Secundò quòd formidinem aequalem habeat de utraque parte. *Dubium prout distinguitur ab Opinione.*

Infero secundò. Nunquam dari Opinionem respectu opinantis, nisi per modum sententiae, & firmae resolutionis etsi non sit infallibilis, & omninò certa. Quod maximè omni operanti ex Opinione, advertendum est, in hoc enim plurimi falluntur & peccant. *Opinio includit resolutionem sive sententiam.* *Explico*: Canonicus legit diversas Opiniones pro requisita attentione in horis: Aliquorum quidem dicentium sub peccato mortali requiri internam: Aliquorum solùm externam: Aliquorum neutrâ, modò verba pro-

pronuntientur. Supet hoc non curat quid agat,& cùm omnea dicantur probabilea, velut problematicus,æqualiter se habet ad omnes. Talis non censetur habere Opinionem, nisi reflexe judicio Rationis adhibito, sive ex causa intrinseca, sive ex auctoritate extrinseca, actu assentiatur, alicui per modum sententiæ firmæ, etsi non omninò certæ. *Ratio est*: Quia aliàs nullum habet assensum Rationis, ut supponitur: sed tantùm habet scientiam Opinionum prout in alieno judicio sunt. Quod ad Opinionem non sufficit, cùm Opinio essentialiter dicat Assensum Rationis actualiter de probabilitate judicantis. Unde dixi non dari Opinionem nisi per modum sententiæ respectu Opinantis; Qui enim asserit ex sua Opinione, sub peccato mortali requiri attentionem internam in legendis horis: concludit per modum sententiæ firmæ, etsi non infallibilis, se judicare ita esse. *Similiter*: Qui ex sua Opinione asserit non requiri, concludit se ita judicare. Quisquis vero non format ullum judicium aut assensum, nec quidpiam concludit, velut dubius vel incuriusin operatione peccaminosa, periculo se exponit. De quo latius infrà.

Quid sit Conscientia Opinosa.

Infero tertio, Illam dicendam Conscientiam Opinosam: *quæ ex probabilibus tantùm judicat practicè in re morali posse operari, vel non operari.*

QVÆSTIO II.

Quatuplex sit Opinio?

DIversæ adferunt divisiones Opinionis ab Auctoribus: Nos magis necessarias hic adferemus.

CONCLUSIO I.

Divisiones Opinionum. Quid speculativa.

PRima igitur divisio est Opinionis in Speculativam, & Practicam *Speculativam* voco, quæ tantùm gratià sciendi est, & nullatenus refertur ad actionem, sed pure in speculatione consistit. Tales sunt Opinionea: An mundus fuerit ab æterno? An cœli quoad materiam sint corruptibiles? An Filius procedat à Patre per Intellectionem, An per dictionem? & infinitæ tales Quæstiones quæ cadunt sub Opinionem Philosophorum & Theologorum.

Nota.

Dixi (*nullatenus*) si enim aliquo modo ad actionem vel operationem referâtur, eatenùs debent dici Practicæ, non Speculativæ. *Explico*: Opiniones Speculativæ An aliquid sit peccatum vel non? An Matrimonium sit Sacramentum? An Matrimonia Clandestina fuerint vera Matrimonia, vel vera Sacramenta? & infinitæ aliæ: etsi primò & per se causa simpliciter discendi, suscitentur: quia tamen multarum practicarum notitia ex illis dependet, & judicium practicum ex illis formatur, in hac materia pro practicis habentur; Ex eo enim quòd aliquid sit peccatum vel non, infertur, licere vel non licere: Ex hoc quòd Matrimonium sit Sacramentum vel non, infertur, quòd contrahentes debeant actu esse in Gratia, vel non; Ex eo quòd Clandestina sint vera Matrimonia vel non, infertur, quòd licuerit contrahentibus se cognoscere carnaliter absque peccato vel non; vel quòd Matrimonia ista dissolvi potuerint vel non; Et id genus plura. Opinio Practica est quæ directè vel indirectè, mediatè vel immediate refertur ad aliquam actionem. Terminorum explicatio intelligitur ex immediatè dictis.

Quid practica.

CONCLUSIO II.

Quid Opinio probabilis.

SEcunda divisio Opinionis, est in Probabilem, & Improbabilem. Probabilis dicitur: Quæ ex principiis probabilibus opinanti, sive ex ea operanti, nascitur.

Dixi (*opinanti sive ex ea operanti*) non enim sufficit ut alteri sint probabilia principia; nisi sint etiam ei qui ex ea operatur; Cùm enim Opinio sit directiva operationis, ut censeatur honesta & prudens: si principia operanti non sint probabilia, jam non cēsetur honestè & prudenter agere, sed imprudenter in periculum mali, sive peccati se præcipitare. Porrò sicut duplicia sunt Principia probabilia, nimirum extrinseca & intrinseca: sic duplex est Opinio probabilis operanti, Alia *Probabilis probabilitate extrinseca*; alia *Probabilis probabilitate intrinseca*; quibus tertium membrum addere possumus nimirum, *Probabilem probabilitate utraque.*

Quid Opinio probabilis extrinsece.

Probabilis probabilitate extrinseca est: Quæ ex Principijs probabilibus extrinsecis nascitur Principia probabilia extrinseca sunt: Auctoritas & probitas, ac doctrina dicentia, Interpretatio communis, & usus proborum, &c. eaque maximè respectu idiotæ vel minus eruditi, qui rationes intrinsecas examinare, vel de ijs judicium ferre non potest.

Quid Opinio probabilis intrinsece.

Probabilis opinio probabilitate intrinseca dicitur, quæ rationibus fundamentalibus vel ut è re nata oritur, vel ex circumstantijs & conditionibus rei alijsque adjacentibus, probabilitatem acquirit. Talis est omnia Opinio quæ non ab auctoritate vel dicente, sive etiam à consuetudine, sed à probabili argumentatione infertur.

Quid Opinio improbabilis.

Ex his constat Diffinitio alterius membri secũdæ Divisionis: Illa enim *Opinio improbabilis* dicitur, quæ nec sufficienti auctoritate, nec ratione probabili saltem respectu opinantis sive operantis originem ducit: Tales sunt multæ Opiniones quæ à scripturientibus subtiliter magis & metaphysicè, seu speculative probantur, quam practice & juxta præcos ordinaria principia, de quibus

bus suis locis in secundo Tomo huius operis Deo præstante.

Dixi (*saltem respectu opinantis sive operantis*) Non sufficit enim, ut superiùs notavi, quòd Opinio respectu alterius sit probabilis, nisi etiam operans illam reputet probabilem. Certum verò est quòd una Opinio possit esse Petro probabilis, quæ Paulo omninò improbabilis & falsa videtur : Undè non licet Paulo ex ea operari, quamdiu sibi apparet improbabilis ex omni parte, etiam ex loco auctoritatis : debet enim ex motivo probabili necessariò opinioni assentiri, ad hoc ut honestè operetur.

Opinio improbabilis est Error. Ex quo iterum *constat* : Opinionem Improbabilem quà improbabilis est, sivè respectu eius qui eam improbabilem sentit, potiùs vocari debere Errorem, quàm Opinionem.

Signa tandem Improbabilis Opinionis sunt: si non nititur auctoritate dignâ Fide, ut si aliquo modo repugnet veritatibus in Ecclesia receptis, aut evidenti Rationi, aut communi Doctorum & proborum sensui, ac judicio.

Conclusio III.

TErtia divisio sumitur à Materia vel Objecto : *Alia enim est Opinio Iuris, Alia Opinio Rei.*

Opinio Iuris. *Opinio Iuris* dicitur, quæ versatur circa Jus prohibens vel præcipiens, nimirùm, Quandò altercantur Auctores : An aliquis actus sit prohibitus vel præceptus?

Opinio Rei *Opinio Rei* est, quæ versatur circa ipsius rei substantiam aut internam qualitatem, ex qua dependet effectus bonus, vel ejus subsistentia & moralitas. Tales sunt opiniones, de materia & forma Sacramentorum, de Potestate & Jurisdictione Ministrorum in Sacramentis: De forma & materia Contractuum ad hoc ut subsistant : & apud Medicos, De utilitate vel pernicie medicinarum, & pharmacorum. Generaliter, de ijs quæ pertinent ad essentiam vel quasi essentiam rerum, respectu effectus qui, per usum rerum istarum prætenditur.

Conclusio IV.

RUrsùs *Opinio Iuris*, sive quæ versatur circà præceptum vel probibitionem Juris: Alia est *Iuris Divini, sivè Naturalis, sive Positivi* : Alia est *Opinio Iuris Humani.*

Opinio Iuris Divini *Opinio Iuris Divini* est, quæ versatur circa aliquid quod videtur Lege Naturali, vel Positivâ Divinâ præceptum vel prohibitum. *Opinio Iuris Humani* est, quæ versatur circa aliquid quod Jure Humano Ecclesiastico vel Politico videtur præceptum vel prohibitum, aut non prohibitum. *Opinio Iuris Humani.*

Conclusio V.

RUrsùs Opinionum Probabilium : Alia est *Probabilior* : Alia *minùs Probabilis.*

Opinio probabilior dicitur, quæ videtur seu apparet niti majoribus & firmioribus rationibus, aut quæ majori auctoritate fulcitur. *Opinio minùs Probabilis*, quæ minoribus sivè minùs firmis, minorique auctoritate inniti judicatur, etsi tamen etiam suam veritatem habere videatur. *Opinio probabilior.* *Opinio minùs probabilis.*

Conclusio VI.

RUrsùs Opinionum Probabilium : Alia dicitur *Tutior* : Alia *minùs Tuta.* *Opinio Tutior.*

Tutior est: Quæ magis removet à peccato ejusq; periculo juxta omnes suas circumstantias, vel quæ ad finem sivè effectum est magis utilis & secura. In Opinionibus enim, ratio magis Tuti, sivè magis Securi, non semper ab ipsa re mensuranda est, sed frequentiùs à circumstantijs, sive effectu vel utilitate rei *Explico*: Confessarius dubius. *Nota.* An habeat potestatem absolvendi ab aliquo Casu quia reservatus est? invenit duas opiniones probabiles, Una quidem dicit non esse Casum reservatum, adeoque illum posse ab eo absolvere : Altera verò reservatum affirmat, adeoque absolvere non posse : *Tutior* est illa quæ asserit posse absolvere, & reservatum non esse. Quia cùm Absolutio ordinetur ad bonum Pœnitentis, tutius est illum absolvere, quàm in peccato relinquere : Sed de his latiùs infra. Has enim omnes divisiones præponendas censui ad distinctiorem resolutionem omnium quæ de Opinionibus dicenda restant.

QUÆSTIO III.

An liceat operari ex quacumque Opinione Probabili?

OMissis variis Auctorum sententiis, ut in re multùm intricata aliquid certi dicamus, & nos variis tricis extricemus, pono sequentes Conclusiones & Regulas firmas in natura rei de qua tractamus, fundatas.

Conclusio I.

NOn licet unquàm uti aliqua Opinione Probabili cum formidine intrinseca, & practicè oppositi. Ratio est : Quia (ut suprà notavimus) formido intrinseca & practica causat Dubium, nemo autem manens dubius, potest honestè operari, sed peccati periculo se exponit, quod non licet. Unde hic notare oportet duplicem formidinem : Alia est *Intrinseca*, Alia *Extrinseca* : *Intrinseca Formido* est, quæ operantem reddit anxium, & irresolutum in interiori Judicio Rationis: *Non licet operari cum formidine practicè oppositi.*

Extrinſeca eſt, quâ etſi operans intrinſecè ſeu in interiori judicio ſit reſolutus ad unam propoſitionis partem, ab extrinſeco tamen ob rationes & auctoritatem aliorum timet nè judicio ſuo ſubeſſe poſſit aliquis error vel falſitas, juxta illud Prov. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Et illud ibidem 14. *Eſt via quæ videtur homini juſta, noviſſima autem ejus deducunt ad mortem* Et hæc potius in ſpeculatione & in humani Judicij incertitudine innata conſiſtit. Undè non deſtruit nec opponitur propriè rectitudini practicæ, quâ quis moraliter certò ſcit ſe poſſe operari. Quare in Concluſione ſtudiosè diximus (*Cum formidine practica & intrinſeca non licere operari*) Tenetur enim quis eſſe practicè certus, & intrinſeco Judicio practico reſolvere ſe operari poſſe abſque peccato: etſi diverſæ ſpeculationes, & quædam agnitio incertitudinis ſcientiæ humanæ, relinquat aliquam extrinſecam & ſpeculativam incertitudinem.

Prov 3 v 5. Ibid 14. V. 12.

Dices: Eſſe certum & incertum ſunt contradictoria, quomodò ergò poſſunt eſſe in eodem? *Reſpondeo*: Illa non dici de eodem, nec eodem modo, nec eodem reſpectu: Quia etſi reſpectu præſentis judicii, ac cujuſdam poſſibilitatis in genere, argumentis in diverſa ventilatis, poſſet eſſe quædam incertitudo: reſpectu tamen actionis hic & nunc eſt ſufficiens certitudo ad operandum. *Explico exemplo*: Joannes egreſſus à loco in quo non eſt abſtinentia ſivè jejunium, venit ad locum in quo jejunandum & abſtinendum eſt, verſat itaque animo iſtam Quæſtionem: An teneatur abſtinere à carnibus & jejunare? An econtrà poſſit veſci carnibus & non teneatur jejunare? *Pro priori parte* occurrit ipſi; quòd Legibus locorum ſit ſtandum, juxta illud: *Cum fueris Romæ, Romano vivito more: cum fueris alibi vivito ſicut ibi*. *Pro poſteriori parte*: Occurrit altera Opinio quòd nec abſtinere teneatur, nec jejunare: Quia illud Axioma à multis Doctoribus intelligitur dumtaxat habere locum, quandò ex contraria actione ſequeretur periculum ſcandali puſillorum: abſque tamen ſcandalo, præcisè ad illam Legem non teneri illum, qui non eſt ſubditus nec de territorio ubi Lex invaluit. Inter utramque igitur Opinionem eligit ſecundam, & in abſcondito abſque ſcandalo carnes comedit, reſolvens hanc opinionem eſſe probabilem, & ſibi tutam eamque licere ſibi ſequi: Etſi tamen nolit ſpeculativè derogare alteri, maneatque quædam formido oppoſiti, quæ non eſt niſi generalis quædam apprehenſio, quòd alteri opinioni poſſit ſubeſſe veritas: quâ non obſtante judicat ſe hic & nunc poſſe alteram partem propoſitionis ſequi.

Stat certitudo practica cum incertitudine ſpeculativa in Opinione.

Prov. 28. v. 14 ad Phil. 2. v. 12

Quòd verò certitudo practica & moralis non excludat omnem formidinem, res eſt clara ex ipſis Scripturis Prover. 28. *Beatus* (ait) *homo qui ſemper eſt pavidus*. Et ad Philip. 2. *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini*. Ex quibus locis & ſimilibus colligitur, quòd, quamvis ſit certitudo in Fide Theologica, & certa fiducia in Spe Chriſtiana reſpectu ſalutis, remanet tamen ſemper nonnullus timor qui eſt parens & origo ſollicitudinis & vigilantiæ, reſpicitque noſtram ignorantiam & fragilitatem. Similiter in electione Probabilis Opinionis contingit, ut remaneat quædam ſpeculativa formido, quæ non tam afficit ipſam Opinionem ſive reſolutionem, & aſſenſum probabilem, quam humani judicii labilitatem. Quod maximè contingit in homine ſuæ ſalutis ſollicito, qui ſuæ fragilitatis conſcius, ſemper timorem aliquem foris habet, velut ſui ipſius cuſtodiam. Quæ omnia pro Conſcientiarum tranquillitate notanda ſunt.

Undè ſingulariter advertendum ex Opinione tantum probabili operanti, certitudinem in opinione requiſitam: primò, reſpicere rem quæ controverſa eſt, ut certò concludat Opinionem non continere aliquam manifeſtam falſitatem, ſed ſivè in ſe, ſive ab extrinſeco in illa apparere aliquam veritatem. Secundò, Certitudinem in Opinione probabili practica requiſitam, potiſſimùm reſpicere actionis moralitatem & honeſtatem: ità ut quamvis ſit altercatio de re apud Doctores, nihilominus operans judicat ſe certò & tutè operari, ità ut certitudo operationis non tam referatur ad rem quæ controverſa eſt, quàm ad ipſam operationem ſivè actionem quæ etſi ex objecto non ſit omninò certa, ex natura tamen moralitatis humanæ certa & tuta eſt: Quia in operando ad plura non tenetur homo; quâ ut adhibitâ ordinariâ vigilantiâ, bonâ Fide credat ſe honeſtè agere ex rationabili motivo, quod ſemper in Opinione Probabili invenitur.

Quid certitudo practica.

Neque enim ſemper magis apparentia, ſunt magis vera: Neque quod multitudinem pro ſe habet, certiorem habet veritatem, ſed interdum in Conſilio Seniorum prævalet Daniel, & Pſalmiſtæ ac Sapientis teſtimonio, Sapientia & aſtutia interdùm datur parvulis. Et quamvis loquendum ſæpè ut multi, ſapiendum tamen ut pauci, & cum paucis. De his latiùs in Quæſtione de Opinionum electione; pono autem modò Regulam unam Generalem.

Regula Generalis.

Quicumque in ſequenda Opinione probabili, vult ſecurus eſſe: neceſſe eſt ut & de probabilitate rei per Opinionem propoſitæ, judicium humano & morali modo ſibi formet, & in actione & operatione ſua certitudinem moralem habeat, abſque practica formidine oppoſiti.

Securitas in Opinione quæ?

Ratio hujus Regulæ clara eſt ex antedictis: Qui enim aliter ſe habet, practicè dubius

dubius est: Qui autem practice dubius est, periculo peccandi se exponit: *Qui autem amat periculum in illo peribit.* (Eccl. 3. v. 27.)

CONCLVSIO II.

(Opinio consequens non iustificat factum)

OPinio probabilis consequens non iustificat factum præcedens, sed ad Conscientiam Operosam salvandam requiritur ut Assensus sive Opinio vel antecesserit, vel fuerit actum ipsum commitata. Explico: Martinus Canonicus diversas conventiones fecit, sive cum collatore Beneficij, sive cum Beneficiario resignante aut commutante, adhibita debita reflexione & deliberatione, ad id quod agebat. Post factum occurrunt ei variæ anxietates ne Simonia aliqua intervenerit: Examinat diversas Opiniones, reperit unam probabilem ex illis sibi faventem, & illam applicat: Ista postrema applicatio Opinionis non sufficit ad justificandas conventiones priores factas à peccato præterito, etsi conventionem sequentem fortè revalidare possit *Ratio est.* Quia Martinus imprudenter egit, & periculo peccati manifestè se exposuit in materia quam debebat priùs examinare, ad quam tenebatur reflectere, ac deliberatè de illa inquirere ante factum, ut ipse ex Opinionis probabilis motivo procederet. Quod magis concludit, se priùs nonnullam dubitationem habuisset eamque contemplisset.

Dixi tamen (*Etsi conventionem sequentem forte revalidare possit* Cum enim Conventio sit actus externus, pertinens ad forum externum (qui censetur perseverare post factum) non repugnat quin in foro externo revalidetur per Opinionem probabilem: Etsi, qui convenit, vel ex imprudentia vel ex mentali aliqua labe mortaliter peccaverit, sive fuerit negligentia, sive dubietas. Opinio autem probabilis nunquam excusat factum à peccato, nisi quatenus in actum vel antecedenter, vel concomitanter influit; hic verò supponitur esse consequens, & ipso actu posterior.

ANIMATVERSIO NOTABILIS

(Nota.)

VNde advertant graviter, Primò. Qui post actus commissos vel omissos antequam vadant ad confessionem, Auctores revolvunt ut sibi faventem aliquem reperiant, ut Opinionem aliquam probabilem suo facto applicare possint. Abusus est pessimus & damnabilis. Si enim antequam operarentur vel in ipsa operatione non adhibuerint debitam diligentiã & reflectionem ut scirent An actus esset licitus vel illicitus? juxta modum negligentiæ vel ignorantiæ, sive omissionis debitæ advertentiæ peccarũt mortaliter vel venialiter: si verò ex tunc dubij & anxij fuerint, exposuerunt se manifesto periculo peccati, & jam peccatũ est commissum. Nec ut dixi, Opinio probabilis postea inventa, ipsis suffragari potest respectu actus præcedentis, cùm in actum præteritum influere non possit: Etsi tamen in actibus sequentibus, vel in aliqua continuatione prioris possit favere.

Secundo. Explodendum est Axioma (Nota.) quorundam Aduocatorum, sive etiam Theologorum Aduocatis consulentium in Opinionibus, quo asseruot interdum: Opinionem quidem Aduocati esse falsam, & Causam quam assumit esse iniustam; posse tamen subtilitate aliqua ingenij subtilioris reddi probabilem & Causam reddi iustam: Quomodo enim Clientes mala fide litigantes super actibus præcedentibus iustificabunt, Quomodo & Aduocatus qui mala fide litem suscepit, à peccato per posteriorem subtilitatem excusabitur, Aut quomodo subtilitas poterit cognitam Injustitiam justificare, ubi fundamenta iudicantur injusta, Absint à Christianis auribus huiusmodi Axiomata, quæ velim aliquid speculativæ considerationi conferre posse, nil tamen practicæ probabilitati, cum ex dictis supponatur Opinio ex natura rei improbabilis & Causa iniusta. Unde sit iterum.

REGULA GENERALIS.

OPinio probabilis consequens actum sive posteriora suo actum præteritum qua præteritus est, non potest reddere bonum, si alias dum fieret, malus fuerit sive ex Opinione sive ex dubitatione, sive ex culpabili negligentia vel inaduertentia. Partes Regulæ constant ex supradictis.

CONCLUSIO III.

(In materia Sacramentorum quomodo utendum Opinione.)

IN materia & forma Sacramentorum nunquam licet uti Opinione probabili, quamdiu possumus uti certa à Christo instituta, sive ab Ecclesia usurpata. Ratio est: Quia hoc modo quis exponit se periculo nihil faciẽdi, cum effectus Sacramentalis nõ possit suppleri per quamcumque probabilem rationem, sed alligatus sit signis Sacramentalibus à CHRISTO institutis & ab Ecclesia usurpatis, præterquam quod in re tam gravi facit iniuriam Sacramento. *Explico Exemplis.* Etsi apud Auctores sit probabilis Opinio, quod liceat in lixivio vel tenui brodio aquæ in quo decocta est caro baptizare, quod liceat cõsecrare in pane siligineo vel spelteaceo, &c. ubi adest aqua pura ad baptizandum, vel panis triticeus ad consecrandam, non potest quis in lixivio baptizare vel in pane siligineo consecrare. Idem dicendum est de nonnullis formis, quæ ut probabiles assignantur ab aliquibus Auctoribus: Ut *Baptizo te in Nomine Genitrius. Genitis & Spiriti.* vel corrupto idiomate: *In nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta,* de qua est Resolutio Zachariæ Papæ.

Dices: In necessitate licet uti istis male-

rijs, utpote, lixivio deficiente aqua, & siligineo pane deficiente triticeo, iudicaturque verus Baptismus, & vera Consecratio Eucharistica, sicut iudicatus est Baptismus validus, datus *In Nomine Patria*, &c. ob ignorantiam idiomatis: Ergo ex illis iudicatur sequi effectus Sacramentalis: Ergo qui utitur illis extra necessitatem non exponit se alicui periculo nihil faciendi. *Respondeo negando conseq.* Etsi enim in necessitate iudicetur potius baptizandum in lixivio, quam hominem relinquere absq; Baptismo, adeoque debeat homo agere quidquid in tali casu potest, non ideo iudicatur Baptismus omnino certus, sed tantum licite quaecumque speculative probabilis materia assumi, ut in bonum indigentis eveniat, si evenire possit; quamvis nulla sit de effectu certitudo. Et inter duo incerta, iudicat Ecclesia potius Sacramentum incertitudini effectus exponendum, quam hominem periculo aeternae damnationis relinquendum, sed omnia possibilia attentanda, etsi non sint certa: Unde ordinariè qui sic Baptizati sunt, sub conditione postea rebaptizantur, pro quo pono duas Regulas Generales.

Quid in Casu non constato.

REGVLA I.

Nunquam licet uti opinione probabili tantum extra casum necessitatis, in rebus a quibus pendet effectus dubius, ratione cuius operans exponit se periculo peccati. Ratio est: Quia etsi speculative Opinio praesupponat aliquam veritatem & certitudinem, practice tamen & respectu operationis, actus Opinionem illam consequens, est plane dubius ad effectum & consequenter ad peccatum: Qui autem se periculo exponit voluntarie & absque ulla necessitate, censetur peccare. Explico vero Regulam. *Primo* In materia & forma Sacramentorum & alijs necessario requisitis ad illorum effectum: Qui enim relicta aqua pura naturali, baptizat in lixivio, speculativam quidem Opinionem probabilem sequitur: in praxi tamen vere dubius est: Quia cum effectus pure pendeat à voluntate instituentis, iuxta quam tibi constat de sufficientia aquae purae, non autem de lixivio: si uraris lixivio, dubius sane es de effectu, cum meritò dubius sis de voluntate instituentis: nec tua quantumcumque rationabilis Opinio aliquid potest variare respectu signi vel effectus. Et sanè Opinio quae asserit lixivium esse materiam probabilem Baptismi, non tam respicit effectum vel ad illum ordinatur, sed in Quaestione purè speculativa sistit, nimirùm: An lixivium sit aqua naturalis elementaris, An potiùs aliquid mixtum ex cineribus & aqua physicè compositum, & in alteram speciem ista alteratione translatum? sic amplificari potest in alijs pertinentibus ad essentias Sacramentorum ex Christi determinatione.

Aduertendum tamen in Sacramentis, nonnulla interdum esse quae etsi ex Christi institutione sint necessaria, eorum tamen constitutio ab hominum dispositione pendet, ut est Iurisdictio in Sacramento Poenitentiae; ratio Contractus in Sacramento Matrimonij: In quibus quidquid simpliciter est ex Institutione Christi per Opinionem quantumvis probabilem, relicta certa scientia non potest immutari: In ijs autem quae ab humana dispositione pendent, ex causs interdum uti licet Opinione probabili tantum, etiam relicta probabiliori. *Explico Exemplo:* Poenitenti in extremis ea stenti adest Pastor & Sacerdos alius simplex qui Confessionem audiant, Opinio probabilis est, quod Sacerdos simplex habeat Iurisdictionem sufficientem ad absoluendum Poenitentem in extremis, etiam Pastore praesente: Certa autem Opinio seu potius scientia est de Iurisdictione Pastoris: Potest nihilominus Poenitens in extremis agens ex causa (utpote quod non libenter confiteatur Pastori suo) confiteri Sacerdoti simplici, & ab eo Absolutionem accipere propter Opinionem probabilem, relicta certa. *Ratio est:* Quia in hoc nulli periculo se exponit, cum ex Opinione probabili generaliter cuicumque Sacerdoti pro hac extrema necessitate sit collata sine restrictione Iurisdictio: Et alias: In Jurisdictionibus vere controversis censeatur Ecclesia communi auctoritate supplere Jurisdictionem ad evitanda pericula Animarum. Vide quae suo loco in anterioribus sunt dicta.

Secundo, Clare explicari potest Regula assignata exemplo ex Medicina assumpto: Aegrotanti periculose Medicus debet subministrare Medicinam: Occurrit vero Medicina quae probabiliter potest aegro medelam praestare, cum periculo tamen ne etiam sit mortifera: occurrit alia quae creditur etiam posse medelam praestare, absque tamen periculo alicuius nocumenti casu quo medelam non praestaret, hac praesente, non potest Medicus aliam adhibere. *Ratio est:* Quia haec saltem quoad rationem non nocendi certa est, unde in praxi est praeferenda illi quae in speculatione forte probabilior est, in praxi autem de opposito effectu formidinem habet & periculum aliquod involuit. Debemus enim in Opinione, quae est rei à qua effectus aliquis pendet, non tam attendere probabilitatem quae est speculativa rei in se, quam illius probabilitatem quae moraliter ex communi saltem eventu effectum speratum concludit, absque alio nocumento.

Dixi in Regulae contextu (*extra casum necessitatis*) ubi enim est necessitas operandi & gravis anxietas, deficiente certa sententia vel scientia, licet frequenter in rebus Sacramentorum & alijs à

quibus

quibus dependet effectus, adhibere Opinionem etiam speculativè tantùm probabilem, & hæc sit.

REGULA II.

Quid ubi deficit certa sententia,

VBi est necessitas operandi vel gravis anxietas, deficiente sententia practicè certa, vel probabiliori communiter recepta licet adhibere quamcumque etiam speculativè tantùm probabilem. Ratio est: Quia censetur homo prudenter operari, quandò non occurrit sibi aliud medium juxta præsentem cognitionem, vel judicium magis probabile; unde in materia & forma Sacramentorum, si, periclitante puero recenter nato, non occurrat aliud quàm lixivium, licet illud adhibere: Imò, si non occurrat qui formam sciat; nisi mulier balbutiens & incongrua, potest & interdùm debet qualemcumque novit formam, proferre. *Similiter*: Medicus periclitanti extremè potest interdùm probabilia remedia adhibere, etsi interdùm timeat ne officiant infirmo propter aliqua extraordinaria symptomata. *Ratio est*: Quia in simllibos casibus utitur obviis remedijs Rationi ratiocinanti occurrentibus, quia alia desunt, & ex charitate vel justitia tenemur quibus possumus modis, extremè laboranti succurrere.

CONCLUSIO IV.

In Legem Divinam non cadit opinio.

IN Lege Divina Naturali vel positiva non datur per se opinionum diversitas vel probabilitas quoad substantiam Præcepti. Ratio est: Quia vel constat Legem esse Divinam; vel non constat: si constat jam ut data est, obligat, nec judiciis aut opinionibus humanis subjici potest: si non constat, donec constiterit, pro Lege Divina habenda non est.

Dixi (*quoad substantiam actus*) nam quoad aliquas circumstantias qoalitatis vel quantitatis actus, possunt interdùm opiniones variari (de quarum electione posteà disseremos) sed quia hæ potiùs factum respiciunt, non sunt tam de Lege, quàm de modis aliquibus & circumstantijs facti. *Explico*: Quæritur: An Machabæi in Sabbatho nolentes pugnare propter honorē Sabbathi & se permittentes occidi, peccaverint vel meritoriè egerint? deinde: An Sabbatho pugnare potuerint absque peccato? *Item*: An Hebræi potuerint Legitimè Ægyptum sub titulo mutui spoliare, & optima quæque Ægyptiorum diripere? etsi variæ opiniones super his Quæstionibus moverentur: Quæstiones non tam essent de substantia Præceptorum *Memento ut diem Sabbathi Sanctifices*, & *Non furtum facies*, quàm de circumstā-

Exod. 20. v. 8. 14.

tijs facti: Nimirùm: An Præceptum illud de Sabbatho in hoc casu & his circumstantiis obligaverit ad non pugnandum? An spolia Ægyptiaca per modum mutui accepta, potuerint absque furto detineri? Quæ omnia sunt summoperè advertenda, pro quo pono Regulam universalem totius Conclusionis explicativam.

REGULA UNIVERSALIS.

Nota.

OMnis Opinio quæ substantiam Divini Præcepti sive Naturalis sive Positivi alterat, vel sub probabilitate opinantium & ratiocinantium constituit ut blasphemia ablegandæ est à Christiano corde. Regula clara est: Neq; enim Dei summi Præcepta, disputationi hominum sunt relicta, cùm sit nefas de Divina auctoritate, sapientia, potestate, fine, & intentione disputare, ubi de Præcepto constat.

Dixi (*quæ substantiam Divini Præcepti alterat, vel sub probabilitate ratiocinantis constituunt*) quia si quæ Opiniones interdùm circa Divina Præcepta permittantur, illæ non sunt circa ipsa Præcepta, sed circa aliquas accidentales circumstantias quæ magis respiciunt ipsum hominem operantem, ut sunt imperfecti actus indeliberatio, inadvertentia, levitas materiæ, concursus diversorum Præceptorum, &c. quæ accidentalia & extrinseca sunt Præcepto. Et de his quidem in singulari in secundo Tomo. Notet autem Lector velot in transitu: Quòd si Apostolus ad Galat. 5. recensendo opera carnis, *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia inimicitiæ, contentiones æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, & his similia*; De illis omnibus concludat: *Quæ prædico* (inquit) *vobis, sicut prædixi quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*: Ad quid de his & similibus post tantam resolutionem Apostoli, Opiniones moventur? Nisi Forte, ut dixi, de imperfectionibus actuum, tum ex parte agentis, tum ex parte substratæ materiæ agatur. Hoc verò corrupto Sæculo propter opiniones varias; vix modò scitur quid sit impudicitia aut immunditia? apertis omnibus velis ad omnem licentiam & turpes nuditates patet via; vix modo scitur, quid sint contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissentiones, sectæ, invidiæ? quæ honoris & magnanimitatis titulo habentur, & sub favore opinantium excusantur. Quinimò bestiales ebrietates, & commessationes sub recreationum titulis & charitatis stipendijs militare videntur conclamante nihilominus expressis verbis Doctore Gentium Paulo: *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*. *Væ* (ait Ezechiel cap 13.) *qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas Animas Et cùm caperent Animas populi mei vivificabant Animas eorum, & violabant me ad populum meum, propter pugillum hordei & fragmen panis, ut interfi-*

Ad Gal. 5. v. 19.

Nota.

Ad Gal. 5.

Ezech. 13. v. 18. 19.

terficerent Animas quæ nan mariuntur, & vivificarent Animas quæ non vivunt mentientes populo meo credenti mendacijs.

Parcat Lector: Ab eo enim tempore quo Opinantium Secta intravit in Legem & Maodata Dei, omnis simulatio & mendacium subintravit, & Christiana simplicitas deperijt Quid fuit temporibus Ecclesiæ primitivæ, temporibus SS. Doctorum Ambrosij, Jeronimi, Gregnrij, Chrysostomi Basilij, &c. ubi nec de Opinione in Mandatis Dei, ulla unquam vel modica mentio? omnes utique judicabantur ex Lege Dei, Scriptura Sancta, sensu Ecclesiæ: Modò verò dicta S. Scripturæ interpretationibus à proprio sensu convelluntur, contemoitur Paulus, oihil fit Petrus, contra planam doctrinam Petri & Pauli præfertur unns Jurisperitus, aut Aromatarius Theologus qui scit sua componere, vel singularis Murarius qui novit parietem absque temperamento linire. *Labia* (inquit Malachias 2. cap.) *Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore eius*: utique non proprij capitis sensus & imagines, sed Legem Dei prout in Scripturis est tradita & prædicata, ac Sanctorum Patrum Doctrinis explicata, sed ad alia transeamus.

Malach. 2. Vers. 7.

CONCLUSIO V.

Opiniones in Lege humana quæ tenus est Humana.

IN *Lege Humana & Ecclesiastica, ac Politica dantur Opiniones probabiles, in materia quæ per se Divini Iuris non est.* Ratio est: Quia Intellectus humanus natura sua fallibilis est, & in multis igoorans, obliviosus, obscurus, &c. Uode quæ per se & simpliciter pendent à Lege Humana, qua Humana est, Epikejæ, Interpretationi, dubitationihus varijs & consequenter opinionibus Doctorum & proborum subjacent.

Dixi idcircò (*in materia quæ per se Divini Iuris non est*) Cum enim Leges Humanæ ut plurimum fundentur in Lege Divina, vel ex ejus principijs deriveotur, ita ut in certis actibus ferè declaratoriæ sint Juris Divini: *Ex. g.* quæ politicè decernuntur super Principium Obedientia, Vectigalibus, Justitia conservante bonum commune & particulare, ac similibus: In his, quo ad ea quæ per se spectant ad Divinam Legem, oon cadit Opinio (prout supra dixi) quia cum Deus sit Prima Veritas immutabilis, & Sapientia ipsa scrutans corda & renes, ubi de eius Præcepto constat, sive ex Scripturis Sanctis, sive ex Traditione aut Ecclesiæ declaratione, sicut nec Dubio rationabili locus datur, sic nec Opinioni. Vide quæ immediatè dicta sunt. Quia verò noonullæ sunt Leges quæ purè Civiles sunt, & ad Civilitatem & Politiam dumtaxat ab humana potestate ordinatæ: Aliæ verò velut Mixtæ, quæ & de Lege Divina & de ordinatione humana participant: Illæ quæ suut Juris humani, Opioionibus hominum subjici possunt, propter obscuritatem, fallibilitatem, imprævisas circumstantias, impossibilitatem, aut intolerabile aliquod gravamen quod justè Legislatores intendere non potueruut (In istis enim & similibus totum fundamentum, sive rstio opinandi consistit) illæ verò quæ sunt Juris Divini, hominum opininnibus subjacere non possunt, ut dictum est supra.

Legi Divinæ affinis est Lex Ecclesiastica, in ijs quæ Fidei principia & mores Fidei conjunctos coocernunt. In his enim ubi declarata sunt, maximè ex Cathedra & Decreto Apostolico, sicut oefas est dubitare, sic nefas est variè opinari.

Lex Ecclesiastica Lege Divina affinis.

Ratio est: Quia Primæ Veritati & infallibilitati Ecclesiæ iounguntur. Unde Notandum est: Quod etsi Ecclesia io istis soleat coodere absoluta decreta, ita ut Hæreticus habeatur aut temerarius qui contra sentit: Non videmus tamen Ecclesiam aliquid decernere super materia opinionũ, ubi agitur de Fidei principijs, moribus Fidei conjunctis aut præceptis Divinis, quia probabilitas in illis nõ admittitur, sed omnis certitudo opiniones excludeos. Quæ verò judicat pertinere ad dispositiones purè humanas, illa ut humanæ fallibilitatis, hominum disputationi relinquit. Quod multum notandum est ijs qui propter diversitatem opinionum in eadẽ materia scandalizantur: Quia si de Divinis Præceptis agitur, Opinioues propriè noo attingunt ipsa præcepta, quandò cõstat esse præcepta: Sed attinguot duntaxat modum aliquem & circumstantiam quæ præcepto includi non videtur, aut modos aliquos ignorantiæ, oblivionis, inadvertentiæ, metus, indeliberationis, quæ in hominem facilè cadnnt. *Ex g.* Machabæi primò anxij & opinantes se non posse pugnare io Sabbatho, permiserũt se occidi; Altera vice: Resolverunt & opinati suot non obstante Sabbatho, posse pugnare & de facto pugnaverunt: In his dubium non fuit vel Opinionum diversitas de obligatione Præcepti de Sabbatho Sanctificando per se sed, Quid in tali casu ob concursum duorum Præceptorum (quorum unum erat de vita propria tuenda, & populo ac Lege Dei servanda: Alterum de abstinendo à pugna ob Sabbathum, sive Sabbathi Sanctificationem) faciendum esset: Prima ergò Opinio ex interpretatione nimis litterali, resolvit non pugnandum: Altera ex Præcepto altero tanquam validiore, resolvit esse pugnandum. Unde Quæstio non fuit de Præcepto in substantia, sed tantum de aliqua circumstantia Præcepti: Et negativam interpretationem nimis litteralem damnabat CHRISTUS proponens Quæstionem *Si licet Sabbatho curare?* & tandem resolvens ait: *Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet*

Nota.

Luc. 14. v. 1. 5.

extrahet illum die Sabbathi ? & concludit: *Licet Sabbatho benefacere* His modis mensurandæ sunt Opiniones quæ videntur interdùm moveri in Præceptis Divinis cognitis: si autem ipsam Præcepti substantiam attingant, omninò sunt resecandæ: Quod si quis benè consideret tantùm abest, ut scandalizetur, quinimò ipsi solatium erit; Quia ad humanæ fragilitatis & miseriæ consolationem, Opiniones in humanis Legibus, & circumstantiis etiam Divinarum Legum ob infirmitatem subditorum sunt subortæ. Quod clarius perspicitur in Opinionibus Legum Humanarum: Quia enim Legislatores humanæ mutabilitati, & incertitudini humanæ fallibilitatis sunt subjecti, idcircò variis Opinionibus interdum Leges illorum examinantur & distrahuntur, nè jugum Legis humanæ fiat subdito intolerabile.

Resolutiones principalis Quæstionis propositæ per Regulas Generales

Latius quam oportet videbor superiora prosecutus; fateor, interdum terminos præcisos Instituti hujus excessi, necessitate tamen ductus: *Quia* sine iis ad quæ me effudi: vix benè comprehendi possunt quæ de Opinionibus passim dicuntur: Ut igitur ad terminos Quæstionis propositæ, revertamur; pono Generales Regulas.

Resolutio et Regula I.

Quid agendum ubi sententia certa concurrit cum opinione?

NUnquam licet absque peccato uti probabili Opinione, relicta sententia certa & infallibili, si illius usus in nostra sit potestate. Ratio est. Quia ubi datur sententia certa & infallibilis, non censetur illa Opinio absolutè & per se probabilis, cum omnis Opinio semper aliquid fallibilitatis, & formidinem oppositi includat, ideoque censebitur potius Opinio temeraria & periculosa. Unde talis convincitur se voluntariè exponere peccandi periculo, qui, cum certam sententiam & infallibilem in praxi sequi possit, illam voluntariè relinquit & oppositæ adhæret. Et hæc Regula satis clara est in materia & forma sacramentorum, & in materia de Præceptis Dei manifestè cognitis, ut superiùs demonstravimus.

Dixi (*si in potestate nostra sit*) si enim hic & nunc praxis sententiæ certæ & infallibilis in potestate nostra non sit, tunc ad probabilia recurrendum est: Nec censetur quis relinquere id, quod in potestate judicatur non habere, ut suprà de baptizante in lixivio deficiente aquâ purâ, exemplificatum est Et de pugnante, imò operante in Sabbatho ad tuendam vitam propriam, vel proximi, ubi aliter commodè fieri nequit. Et advertendum est: Opiniones quæ data certa & infallibili Opinione contraria, dicuntur nihilominus probabiles: Probabilitatem illam non dici simpliciter habere respectu Opinionis in se, sed respectu perplexitatis aut impossibilitatis utendi contraria certa, aut respectu alicujus alterius Præcepti concurrentis, & casum promoventis. Exemplificatur ex immediatè citatis de operante vel pugnante in Sabbatho, vel de Baptismate in lixivio: In primis enim, urget aliud Præceptum de tuenda vita, In alio verò urget Præceptum Charitatis ut adhibeamus quidquid etiam tantum speculative probabile est, ut justificetur puer à peccato originali per Baptismum.

Dixi (*relicta sententia certa*) Quandò enim neutrum verè certum & infallibile est, utrumque autem probabile, licet alterutrum eligere, pro quo sit.

Resolutio et Regula II

Probabili Opinione utrimque potest alterutra eligi.

QVandocumque utrimque Opinio est tantum probabilis, nullaque alia certitudo apparet & operandum est: Alterutra Opinio eligi potest modo tamen electio deliberata præcedat aut comitetur actionem Ratio est: Quia cum, ut supponitur, utrimque Opinio sit tantùm probabilis, non est major certitudo de una, quàm de altera; nec minor formido utrimque ergò cùm quis vult aut judicat operandum, utrumlibet eligere potest, cùm ex ratione certitudinis vel incertudinis, non possit esse certior ratio ex una parte, quam ex altera.

Dixi (*Quando Opinio est tantùm utrimque probabilis*) si enim alterutra pars sit certa, vel rationem probabilitatis excedat: jam Opinio non est, sed certa scientia vel sententia, adeoque præferenda est parti tantum probabili: Undè quantumvis una pars appareat probabilior, cum non excedat rationem probabilitatis, nihil plus certitudinis adfert, sed tantum apparentiam melioris rationis. Quæ autem tantum apparent non semper sunt magis vera, imò sæpe contrarium accidit, ut postea dicemus.

Dixi (*modo tamen electio deliberata præcedat, aut comitetur actionem*) Quia ut docuimus in prima Conclusione, si actionem non præcedat aut comitetur, nihil potest conferre ad actum practicum. *Vide ibi.*

QUAESTIO IV.

Quæ censeatur Opinio verè probabilis.

Hoc opus, hic labor est: Quot enim capita tot sensus, & qui alicujus Opinionis assertor est, illi veram probabilitatem assignat: Et jam cruda illa assertio incipit in auribus prurire, quòd, *Unius aut alterius Auctoris dictum, fundet Opinionem probabilem.* Quod quàm sit periculosum sentire; appello ad solidum sapientis judicium.

Primo

Duplex pro-babilitas.

Primo. Igitur advertendum est: Quòd sicut Opinionum alia est *Practica*, alia *speculativa*, sic probabilitas debet distingui in *Speculativam & Practicam Speculativa probabilitas* est, quæ proprie non respicit actionem aut practicum assensum; sed tantùm abstractivam quandam ratiocinationem, sive alicujus veritatis, ut in Intellectu manet, apprehensionem quam explicare possumus per *Posse esse*, vel, *Posse verum esse*. *Practica probabilitas* est, quæ ad assensum practicum & ad dirigendam actionem ut honesta sit, inclinat, quam explicare possumus per *Rationabiliter posse*, vel *licere agere absque peccato*: Quòd si hoc ultimum in judicio Probabilitatis non concludatur, vere probabilem Opinionem Practicam posse formari omninò diffiteor. Undè aversor quorundam Doctorum sensum; qui dicunt se imaginari non posse, Qualiter, quòd speculative probabile est, id practicè probabile quando-que non sit? cum sit eadem ratiocinationis vis, quæ ex speculatione sive conclusione speculativa veritatis derivatur in practicum assensum, & electionem: Etsi enim verum sit, quòd ex speculativa Conclusione omnis practica derivetur, non tamen sufficiens est ad practicam probabilitatem, sive Conclusionem inducendam: Ut enim dixi, *speculativa* tantùm concludit *Posse esse verum*, sive *veritatem conceptus subesse posse*, *Practica* autem superaddit etiam *in actum licitè exire*, sive *ad actum deduci posse*, quod majoris difficultatis est & ampliura principia requirit. *Explico Exemplo*: Concludo speculativè cum multis Theologis Baptismum posse subsistere adhibitâ formâ *Abluo te in Nomine Genitoris, Geniti, & spirati*, sive ut alii, *Baptizo te in nomine* CHRISTI, ut dicunt Apostolos Baptizasse: Aut ut & nonnulli speculativè concipiunt, si quis ex fenestra puerum dejiciat in fluvium formam Baptismi pronuntiando, verè Baptizare. An autem omni alio peccato circumscripto, practicè liceret uti prædictis formis aut actione simili ad Baptismum concurrere? Concludendum practicè esset, non licere: Etsi enim illi dicant: Posse stare veritatem Baptismi in similibus, non concludunt tamen licere similibus uti in praxi. Undè in sola speculatione manent, nullatenùs autem ad praxim inclinant: nisi fortè in extrema necessitate, ubi quæcumque possibilia, quantumvis speculativè tantùm probabilia, interdùm applicantur ex aliquo motivo apprehenso. Quapropter communis est Doctorum sensus: Multa esse speculativè & metaphysicè probabilia & possibilia; quæ in praxi & improbabilia & impossibilia sunt. Quod infinitis exemplis potest demonstrari, sed instituti angustia id non permittit, sit itaque.

CONCLUSIO UNICA.

Conditiones Opinionis probabilis.

Illa sola debet æstimari Opinio probabilis, quæ principiis Legis Divinæ Naturalis, & Positivæ, & Præceptis Charitatis est conformis sive non repugnat. Ratio est: Quia non habemus aliam mensuram honestæ actionis, nisi Divinam Legem & Præcepta Charitatis; quidquid ergò declinat, & extra hos limites egreditur; aut peccatum est, aut peccato proximum ratione imminentis periculi cui homo se exponit: Undè CHRISTUS compendium totius veritatis & moralitatis Christianæ docere volens Matth. 22. *Diliges* (ait) *Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo, & in tota Anima tua, & in tota Mente tua, Hoc est maximum & primum mandatum, secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum: In his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ.* Hæc est linea perpendicularis, hæc mensura omnis probabilitatis, quidquid ab hac linea declinat; probabile non est, sed damnabile.

Ad hanc lineam collimant omnia signa quæ à Doctoribus ad Opinionem probabilem cognoscendam, referuntur, ex quibus pauca hic congero.

Signa Opinionis verè probabilis.

Signa opinionis probabilis.

PRimum, Si sit conformis Præceptis & Innato Juri, ut Synderesi vel lumini Naturali, vel Iuri Scripto ut Decalogo, vel Iuri Tradito, ut iis quæ per Apostolos & Ecclesiam absque scripto nobis innotuerunt.

Secundum, Si sit conformis Scripturæ: Omnis enim Scriptura Legem Dei aut signat, aut declarat, aut interpretatur; aut exemplis demonstrat.

Tertium, Si sit conformis humanis ordinariis actionibus CHRISTI, qui est *Via Veritas, & Vita*, nec non Sanctorum. Dico, *humanis*, ad excludendas Divinas actiones CHRISTI in quibus magis adorandus & laudandus est, quàm imitandus.

Dixi (*ordinariis*) ob actiones extraordinarias Sanctorum, quæ magis admirandæ, quàm imitandæ proponuntur, nec possunt esse Regulæ actionum ordinariarum.

Quartum Signum, est sensus Ecclesiæ & Conciliorum, quæ est Columna Veritatis.

Quintum Interpretatio & sensus Sanctorum Doctorum qui *fulgent sicut splendor firmamenti ad Iustitiam erudiunt multos*, & sunt velut *stellæ in perpetuas æternitates.*

Sextum Signum est: Sensus & Doctrina Theologorum, quorum Doctrina in Ecclesia Dei communiter auctoritatem obtinuit sive sint Classici sive non: quatenùs tamen prioribus signis est conformis.

Dixi (*sensus & Doctrina Theologorum*) Iurisperiti

risperiti enim etsi ritè ostendere possint conformitatem opinionis ad legem humanam, sive sit Canonica, sive civilis: quia tamen lex humana rectitudinem non habet (nisi prout conformis est principijs legis Divinæ, à qua habet, ut sit certa) Theologorum est leges humanas commensurare cum principijs legis Divinæ, idque in ijs, quæ conscientiam spectant. Undè hæc est differentia inter Jurisperitum & Theologum: quòd Jurisperitus facilè assignabit legem vel Canonem, cui actus est conformis vel difformis: sed, An lex sit justa, vel injusta? An absolutè obliget? An ex circumstantia & conditione? An obliget in foro conscientiæ, An tantùm in externo foro? pertinet ad Theologum. Quapropter probabilitas opinionis, quam infert Jurisperitus, est à posteriori, & velut ab effectu, quia nimirùm judicat actionem esse conformem Canonibus aut Legibus, quæ supponuntur inniti justitiæ: probabilitas autem, quam infert Theologus, est velut à priori ex ipsa lege Divina, prout Scripturis sanctis, Concilijs, & interpretationibus Patrum ac CHRISTI, & Sanctorum operibus est declarata.

Distinctio inter opinantem Theologum & Jurisperitum.

Dixi (*Theologorum, quorum doctrina in Ecclesia Dei communiter auctoritatem obtinuit*) Tot enim sunt Scripturientes, quibus unicum studium est nova edicere, vel subtiliter adinvenire, quorum certè sola auctoritas vel subtilitas inutilis est ad fundandam opinionem verè probabilem in conscientia, nisi aliundè fundetur.

Qui Theologi sequendi.

Undè notanter addidi: *Quatenùs tamen prioribus signis eorum auctoritas est conformis*: nulla enim, quantumvis docti & probi viri auctoritas, sufficiens est ad fundandam opinionem verè probabilem: si opinio ipsa à principijs & signis relatis dissentiat, aut discordet. Pro quo quæstio sequens ponitur.

QUÆSTIO V.

Quomodò, & qualiter Doctoris auctoritas fundare censeatur opinionem verè probabilem?

Docuimus suprà dari probabilitatem aliam intrinsecam, quæ niteretur fundamentis intrinsecis rei. Alteram extrinsecam, quæ auctoritati, aut causæ externæ tribueretur. Ut hæc distinctio manifestiùs appareat, hæc quæstio proposita est.

CONCLUSIO I.

Non potest auctoritas quorumvis Doctorum se solâ fundare opinionem verè probabilem: nisi fortè in ipsam legem influat, aut lex aliquo modo ab illa dependeat. Ratio est: Quia cùm vera probabilitas sit sumenda ex conformitate ad legem: nisi dictum Doctoris ipsius in aliqua ratione vel interpretatione legi conformi, fundetur, aut fundari supponatur; sicut nulla apparebit ad legem conformitas, sic nolla apparebit probabilitas, & consequenter opinio probabilis non erit. *Explico*: Martinus de Magistris citatus à Cajetano, docuit simplicem fornicationem non esse peccatum mortale: quia toto cœlo opinio illa difformis est legi, etsi iste auctoritatem habuerit ut Doctor, sola tamen ejus auctoritas opinionem fundare non potest. Ex hoc capite multæ Doctorum opiniones, quamvis magnâ auctoritate in Ecclesia excelluerint, falsæ & erroneæ indies apparent & dijudicantur, revelatis scilicet fundamentis difformitatis rationum à primaria lege.

Sola auctoritas non fundat opinionem.

Undè dixi (*Auctoritatem per se solam non posse fundare opinionem verè probabilem*) quia adjunctâ ratione, vel interpretatione conformi ipsi legi saltem in apparentia, auctoritas Doctoris multùm energiæ habet ad suadendum & firmandam opinionem.

CONCLUSIO II.

Ut auctoritas Doctoris fundet probabilem opinionem, debet formaliter, vel virtualiter præsupponi, aut intelligi inniti rationi legibus conformi, aut aliquam potestatem habere in legem. Hæc Conclusio indiget magis explicatione, quàm rationibus, ut omnibus manifesta appareat.

Auctoritas ratione juncta fundat opinionem.

Explico igitur quoad primam partem, nimirùm (*debere formaliter vel virtualiter præsupponi, aut intelligi inniti rationi legibus conformi*) Motiva enim, cur credo hujus vel illius Doctoris sententiam sive opinionem probabilem, sunt: vel quia ipsas rationes pro meo captu examinavi: vel quia credo Doctorem tantæ esse auctoritatis, & qui pro viro docto habetur, rationes & fundamenta meliùs penetrâsse: vel, quia est pius & probus, quem existimo temerè non velle opiniones pro suo libitu adinvenire, vel quia Superior est, quem scio curam animæ meæ gerere: vel, quia scio sæpè hominem in propria causâ cœcutire, & meam incapacitatem adverto, ideò meliùs judico alterius dicto & auctoritati me subijcere, etiam non examinatâ ratione, maximè ubi doctrina, probitas vitæ & integra fama Doctorem commendant. Et hæ sunt rationes pro ista parte, quæ cum auctoritate conveniunt ad fundandam opinionem operanti verè probabilem, ex quibus suppono Auctorem rationi congruæ & legibus conformi inniti, quamvis eam plenè penetrare non possim. Undè si mihi aliundè appareat, quòd opinio, sive ratio opinantis à lege discordet; quamdiu suspicionem illam practicæ difformitatis non depono, non possum ullatenùs in virtute talis opinionis operari, quia (ut sæpè dixi superius) non sufficit, ut opinio sit Doctori probabilis, sed debet opinanti verè probabilis esse: non potest autem esse probabilis opinanti, nisi quatenùs auctoritati dicentis ex rationibus implicitis vel deductis jam im-

Duplex probabilitas.

Primo. Igitur advertendum est: Quòd sicut Opinionum alia est *Practica*, alia *speculativa*, sic probabilitas debet distingui in *Speculativam & Practicam Speculativa probabilitas* est, quæ propriè non respicit actionem aut practicum assensum; sed tantùm abstractivam quandam ratiocinationem, sive alicujus veritatis, ut in Intellectu manet, apprehensionem quam explicare possumus per *Posse esse*, vel, *Posse verum esse*. *Practica probabilitas* est, quæ ad assensum practicum & ad dirigendam actionem ut honesta sit, inclinat, quam explicare possumus per *Rationabiliter posse*, vel *licere agere absque peccato*: Quòd si hoc ultimum in judicio Probabilitatis non concludatur, verè probabilem Opinionem Practicam posse formari omninò diffiteor. Undè aversor quorundam Doctorum sensum: qui dicunt se imaginari non posse, Qualiter, quòd speculativè probabile est, id practicè probabile quando que non sit? cùm sit eadem ratiocinationis vis, quæ ex speculatione sive conclusione speculativa veritatis derivatur in practicum assensum, & electionem: Etsi enim verum sit, quòd ex speculativa Conclusione omnia practica derivetur, non tamen sufficiens est ad practicam probabilitatem, sive Conclusionem inducendam: Ut enim dixi, *speculativa* tantùm concludit *Posse esse verum*, sivè *veritatem conceptus subesse posse*, *Practica* autem superaddit etiam *in actum licitè exire*, sive *ad actum deduci posse*, quod majoris difficultatis est & ampliora principia requirit. *Explico Exemplo:* Concludo speculativè cum multis Theologis Baptismum posse subsistere adhibitâ formâ *Abluo te in Nomine Genitoris, Geniti & spirati*, sivè ut alii, *Baptizo te in nomine* CHRISTI, ut dicunt Apostolos Baptizasse: Aut ut & nonnulli speculativè concipiunt, si quis ex fenestra puerum dejiciat in fluvium formam Baptismi pronuntiando, verè Baptizare. An autem omni alio peccato circumscripto, practicè liceret uti prædictis formis aut actione simili ad Baptismum concurrere? Concludendum practicè esset, non licere: Etsi enim illi dicant: Posse stare veritatem Baptismi in similibus, non concludunt tamen licere similibus uti in praxi. Undè in sola speculatione manent, nullatenùs autem ad praxim inclinant: nisi fortè in extrema necessitate, ubi quæcumque possibilia, quantumvis speculativè tantùm probabilia, interdùm applicantur ex aliquo motivo apprehenso. Quapropter communis est Doctorum sensus: Multa esse speculativè & metaphysicè probabilia & possibilia; quæ in praxi & improbabilia & impossibilia sunt. Quod infinitis exemplis potest demonstrari, sed instituti angustia id non permittit, sit itaque.

CONCLUSIO UNICA.

Conditiones Opinionis probabilis

Illa sola debet æstimari Opinio probabilis, quæ principiis Legis Divinæ Naturalis, & Positivæ, & Præceptis Charitatis est conformis sive non repugnat. Ratio est: Quia non habemus aliam mensuram honestæ actionis, nisi Divinam Legem & Præcepta Charitatis; quidquid ergò declinat, & extra hos limites egreditur; aut peccatum est, aut peccato proximum ratione imminentis periculi cui homo se exponit: Unde CHRISTUS compendium totius veritatis & moralitatis Christianæ docere volens Matth. 22. *Diliges* (ait) *Dominum Deum tuum ex toto Corde tuo, & in tota Anima tua, & in tota Mente tua, Hoc est maximum & primum mandatum, secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum: In his duobus mandatis universa Lex pendet & Prophetæ.* Hæc est linea perpendicularis, hæc mensura omnis probabilitatis, quidquid ab hac linea declinat; probabile non est, sed damnabile.

Ad hanc lineam collimant omnia signa quæ à Doctoribus ad Opinionem probabilem cognoscendam, referuntur, ex quibus pauca hic congero.

Signa Opinionis verè probabilis.

Signa opinionis probabilis

PRimum, Si sit conformis Præceptis & Innato Juri, ut Synderesi vel lumini Naturali, vel Iuri Scripto ut Decalogo, vel Iuri Tradito, ut iis quæ per Apostolos & Ecclesiam absque scripto nobis innotuerunt.

Secundum, Si sit conformis Scripturæ: Omnis enim Scriptura Legem Dei aut signat, aut declarat, aut interpretatur: aut exemplis demonstrat.

Tertium, Si sit conformis humanis ordinariis actionibus CHRISTI, qui est *Via Veritas, & Vita*, nec non Sanctorum. Dico, *humanis*, ad excludendas Divinas actiones CHRISTI in quibus magis adorandus & laudandus est, quàm imitandus.

Dixi (*ordinariis*) ob actiones extraordinarias Sanctorum, quæ magis admirandæ, quàm imitandæ proponuntur, nec possunt esse Regulæ actionum ordinariarum.

Quartum Signum, est sensus Ecclesiæ & Conciliorum, quæ est Columna Veritatis.

Quintum Interpretatio & sensus Sanctorum Doctorum qui *sicut splendor firmamenti ad justitiam erudiunt multos*, & sunt velut *stellæ in perpetuas æternitates*.

Sextum Signum est: Sensus & Doctrina Theologorum, quorum Doctrina in Ecclesia Dei communiter auctoritatem obtinuit sivè sint Classici sivè non: quatenùs tamen prioribus signis est conformis.

Dixi (*sensus & Doctrina Theologorum*) Iurisperiti

risperiti enim etsi ritè ostendere possint conformitatem opinionis ad legem humanam, sive sit Canonica, sive civilis: quia tamen lex humana rectitudinem non habet (nisi prout conformis est principijs legis Divinæ, à qua habet, ut sit certa) Theologorum est leges humanas commensurare cum principijs legis Divinæ, idque in ijs, quæ conscientiam spectant. Undè hæc est differentia inter Jurisperitum & Theologum: quòd Jurisperitus facilè assignabit legem vel Canonem, cui actus est conformis vel difformis: sed, An lex sit justa, vel injusta? An absolutè obliget? An ex circumstantia & conditione? An obliget in foro conscientiæ, An tantùm in externo foro? pertinet ad Theologum. Quapropter probabilitas opinionis, quam inten Jurisperitus, est à posteriori, & velut ab effectu, quia nimirùm judicat actionem esse conformem Canonibus aut Legibus, quæ supponuntur inniti justitiæ: probabilitas autem, quam infert Theologus, est velut à priori ex ipsa lege Divina, prout Scripturis sanctis, Concilijs, & interpretationibus Patrum ac CHRISTI, & Sanctorum operibus est declarata.

Distinctio inter opinantem Theologum & Jurisperitum.

Dixi (*Theologorum, quorum doctrina in Ecclesia Dei communiter auctoritatem obtinuit*) Tot enim sunt Scripturientes, quibus unicum studium est nova edicere, vel subtiliter adinvenire, quorum certè sola auctoritas vel subtilitas inutilis est ad fundandam opinionem verè probabilem in conscientia, nisi aliundè fundetur.

Qui Theologi sequendi.

Undè notanter addidi: *Quatenùs tamen prioribus signis eorum auctoritas est conformis:* nulla enim, quantumvis docti & probi viri auctoritas, sufficiens est ad fundandam opinionem verè probabilem: si opinio ipsa à principijs & signis relatis dissentiat, aut discordet. Pro quo quæstio sequens ponitur.

QUÆSTIO V.

Quomodò, & qualiter Doctoris auctoritas fundare censeatur opinionem verè probabilem?

Docuimus supra dari probabilitatem aliam intrinsecam, quæ niteretur fundamentis intrinsecis rei. Alteram extrinsecam, quæ auctoritati, aut causæ externæ tribueretur. Ut hæc distinctio manifestiùs appareat, hæc quæstio proposita est.

CONCLUSIO I.

Sola auctoritas non fundat opinionem.

Non *potest auctoritas quorumvis Doctorum se solâ fundare opinionem verè probabilem: nisi fortè in ipsam legem influat, aut lex aliquo modo ab illa dependeat.* Ratio est: Quia cùm vera probabilitas sit sumenda ex conformitate ad legem: nisi dictum Doctoris ipsius in aliqua ratione vel interpretatione legi conformi, fundetur, aut fundari supponatur; sicut nulla apparebit ad legem conformitas, sic nulla apparebit probabilitas, & consequenter opinio probabilis non erit. *Explico:* Martinus de Magistris citatus à Cajetano, docuit simplicem fornicationem non esse peccatum mortale: quia toto cœlo opinio illa difformis est legi, etsi iste auctoritatem habuerit ut Doctor, sola tamen ejus auctoritas opinionem fundare non potest. Ex hoc capite multæ Doctorum opiniones, quamvis magnâ auctoritate in Ecclesia excelluerint, falsæ & erroneæ indies apparent & dijudicantur, revelatis scilicet fundamentis difformitatis rationum à primaria lege.

Undè dixi (*Auctoritatem per se solam non posse fundare opinionem verè probabilem*) quia adjunctâ ratione, vel interpretatione conformi ipsi legi saltem in apparentia, auctoritas Doctoris multùm energiæ habet ad suadendum & firmandam opinionem.

CONCLUSIO II.

Auctoritas rationi juncta fundat opinionem.

Ut *auctoritas Doctoris fundet probabilem opinionem, debet formaliter, vel virtualiter præsupponi, aut intelligi inniti rationi legibus conformi, aut aliquam potestatem habere in legem.* Hæc Conclusio indiget magis explicatione, quàm rationibus, ut omnibus manifesta appareat.

Explico igitur quoad primam partem, nimirùm (*debere formaliter vel virtualiter præsupponi, aut intelligi inniti rationi legibus conformi*) Motiva enim, cur credo hujus vel illius Doctoris sententiam sive opinionem probabilem, sunt: vel quia ipsas rationes pro meo captu examinavi: vel quia credo Doctorem tantæ esse auctoritatis, & qui pro viro docto habetur, rationes & fundamenta meliùs penetrâsse: vel, quia est pius & probus, quem existimo temerè non velle opiniones pro suo libitu adinvenire, vel quia Superior est, quem scio curam animæ meæ gerere: vel, quia scio sæpè hominem in propria causa cœcutire, & meam incapacitatem adverto, ideò meliùs judico alterius dicto & auctoritati me subjicere, etiam non examinatâ ratione, maximè ubi doctrina, probitas vitæ & integra fama Doctorem commendant. Et hæ sunt rationes pro ista parte, quæ cum auctoritate conveniunt ad fundandam opinionem operanti verè probabilem, ex quibus suppono Auctorem rationi congruæ & legibus conformi inniti, quamvis eam plenè penetrare non possim. Undè si mihi aliundè appareat, quòd opinio, sive ratio opinantis à lege discordet; quamdiu suspicionem illam practicæ difformitatis non depono, non possum ullatenùs in virtute talis opinionis operari, quia (ut sæpè dixi superius) non sufficit, ut opinio sit Doctori probabilis, sed debet opinanti verè probabilis esse: non potest autem esse probabilis opinanti, nisi quatenùs auctoritati dicentis ex rationibus implicitis vel deductis jam im-

mediatè relatis, judicat se posse rationabiliter inniti.

Nota. Quoad secundam verò partem, videlicet (*nisi intelligatur Doctor habere aliquam potestatem in legem*) sic illam explico in legislatoribus vel Superioribus, quorum interest vel legem dare, vel interpretari, vel declarare, vel in ipsa dispensare. Si enim Doctor sit simul legislator, vel Superior, cui supradicta competunt, & ab illo explicationem casûs, cujus materia ipsius potestatem aliquo modo respiciat, recipiam: etsi videam Resolutionem, sive opinionem aliquo modo à lege deviare, illam propter ejus auctoritatem sequi possum: quia intelligo & præsuppono, quòd ipse sic resolvens legitimâ potestate aut legem tollat, aut illam legitimè declaret & interpretetur, aut in singulari dispenset. Et hæc *est Ratio*: cur dicatur Inferior etiam contrà propriam opinionem posse, & interdùm teneri sequi opinionem, sive Resolutionem Superioris.

Explico: Postulo à Pontifice, sive sacra Congregatione resolutionem alicujus dubij: etsi resolutio mihi videatur contrà legem aliquam Ecclesiasticam militare, acquiesco tamen, quia suppono esse ipsius aut legem interpretari, aut in lege dispensare, aut obligationem in isto casu tollere. Idem accommodè sentiendum est in Episcopis & Prælatis respectu Inferiorum, cùm deliberatas dant resolutiones in ijs, quæ à sua potestate aliquo modo dependere videntur. Et hoc est, quod in prima Conclusione notanter dixetam (*nisi fortè in ipsam legem influat, aut lex aliquo modo ab illis dependeat*) Ex his:

Patet primò: Quàm periculosum sit sequi quorumlibet Auctorum & Doctorum opinionem ex sola auctoritate, quòd illas suis libris referant, & permittantur imprimi; neque enim prælum, neque impressio, aut etiam Censura evulgari permittens librum, dat auctoritatem opinionibus singulis, aut Auctorum sententijs, quæ in libro repetiuntur: neque liber ipse, eò quòd approbatus est, indicat omnes opiniones probatas: sed sufficit, quòd liber, sive Auctor nil contrà fidem, aut bonos mores apertè doceat, aut apertos errores seminet. In tantum verò eorum opiniones existimandæ sunt, in quantum rationes sunt legi conformes, & non plùs.

Quomodò auctor unus vel duo fundent opinionem. Patet secundò: Quomodò intelligendum sit quod communiter dicitur: *Duos, tres, imò & unum gravem Auctorem posse fundare opinionem in Praxi verè probabilem.* Hoc enim tantùm verum est, quandò ea, quæ supradicta sunt, nimirùm, ratio legis conformis, sive formaliter, sive virtualiter ex suprà deductis rationibus, & potestas in legem auctoritati suffragentur, & non aliter. Quapropter caveant sibi, qui juxtà dictum sancti Pauli 2. ad Timotheum 4. *Coacervant sibi Magistros prurientes auribus, ut à veritate quidem auditum avertant, ad fabulas autem convertantur.* 2. ad Tim. 4. vers. 3. Caveant, qui *Universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratiâ.* Ad Tit. 1. vers. 11. Caveant, qui *secundùm sua desideria ambulantes, quorum os loquitur superba, mirantes personas quæstûs causâ.* Iudæ v. 16. *Et qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium,* à quibus declinandum monet Apostolus. Rom. 16. vers. 18. Ad legem, ad legem Dei, prout SS. Scripturis, Traditionibus, & Ecclesiæ judicio, sanctisque Doctoribus explicatur, recurrendum est, ut opinionum veritas vel probabilitas primæva & genuina appareat.

Dubium.

An idem rigor sit servandus in dijudicandis opinionibus verè probabilibus in lege humana?

Respondeo, In lege humana, quatenùs in conscientia sub peccato mortali obligat, & ex ea parte, qua ex lege Divina derivatur, eundem rigorem adhibendum. *Ratio est*: Quia ut suo loco Tomo 2. docebimus, cùm potestas obligandi ad peccatum in Magistratu sive Ecclesiastico, sive Politico ex Dei Ordinatione sit, ut censeatur, qui potestati resistit, Deo resistere: consequenter debet illa potestas regulari ad Ordinationes & leges Divinas, quæ in potestatem ut mensura rectitudinis & justitiæ, influunt. Undè opinio in lege humana in conscientia obligante, ut sit verè probabilis, debet esse conformis legi humanæ, lex autem humana legi Divinæ, cui subordinatur: ità ut non censeatur lex humana certa & obligans in conscientia, nisi quatenùs conformis est principijs à lege Divina manantibus, & consequenter opinio in lege humana verè probabilis non censetur, nisi quatenùs legi humanæ est conformis, & legi Divinæ non est adversaria.

Doctrina notabilis.

De vera mensura rectitudinis & probabilitatis opinionum, ad hoc ut ex illis liceat operari.

Ut opinionum rectitudo & probabilitas, ac vera mensura rectitudinis conscientijs quibuscunque magis clarescere possit, *Lex constat tribus ex illas.*

Advertendnm est, Primò: Tribus ferè omnem legem constare, nimirùm: *Voluntate & intentione legislatoris, lege ipsâ, sive substantiâ legis, & fine ad quem lex ordinatur.* Ex quibus hæc diversitas inferenda est inter ea, quæ

Differentia inter ea quæ sunt legis Divinæ, & quæ humanæ.

quæ pertinent ad legem Divinam, & opiniones, quæ pertinent ad legem humanam: quòd in lege Divina non detur opinionum diversitas; in lege autem humana detur. *Explico in lege Divina*: Cùm enim lex Divina in substantia præcepti, per Scripturas & Traditiones, imò & per naturalem synderesim, & legem internam naturæ sit certa: & de voluntate & intentione legislatoris, ac fine propter sapientiæ, providentiæ, ac potentiæ Divinæ infallibilitatem, ac immutabilitatem (ubi de ea per legem internam, Scripturas, & Traditiones constat) nefas sit ambigere: idcircò in lege Divina non datur opinio, nec interpretatio: nisi duæ fortè leges contrariæ occurrant, cui utrique simul satisfieri non possit: aut nisi circumstantia aliqua ità materiam legis alteret, ut non censeatur comprehendi. Hi enim sunt tantùm duo casus, in quibus opiniones aliquæ nasci possunt in lege Divina (ut nuper explicavimus) qui quidem substantiam legis Divinæ nullatenùs intrant, ut dùm de lege constat, dicatur, hoc vel illo modo intelligenda, aut interpretanda, seu obligare, vel non obligare: si enim duo occurrant præcepta contraria, non destruitur unum per aliud, sed unum tantùm in singulari casu alteri præfertur. *Ex. g.* Duo præcepta concurrunt: unum, conservandæ vitæ propriæ: alterum, non occidendi: si cum cautela inculpatæ tutelæ non possim meam vitam conservare, nisi occidendo aggressorem, licet aggressorem occidere: quamvis *enim* duo illa sint præcepta Divina, ordine tamen charitatis unum alteri præfertur, quia plùs mihi teneor, quàm proximo providere. *Similiter*: Aliquis est dubius de voto emisso: aliquorum opinio est, talem teneri ad implendum: aliorum est, non teneri: opiniones non fundantur in præcepto de *voti reddendi* simpliciter, sed tantùm in circumstantia dubietatis: an verè censendus sit votum emisisse, an non: sive, an lex possideat contrà dubitantem, an verò dubitantis libertas possideat contrà legem?

Aliter porrò res se habet in lege humana, cùm enim homo sit inconstans & instabilis, & incertæ sint providentiæ nostræ, etiamsi de verbis legis constet, sæpiùs non constat de sensu, qui pertinet ad substantiam; quinimò dubitatur frequentiùs de voluntate, intentione, ac fine legislatoris, quæ sunt anima & spiritus legis. Hinc non est mirum, si tot opiniones in lege humana circumferantur, si tot ferè sensus, quot capita Canonistarum, Legisperitorum, & aliorum, qui in leges humanas scribunt, si tot interpretationes fiant etiam sibi invicem contrariæ, quæ omnes oriuntur vel ex sensu verborum aliter & aliter intellecto, vel ex voluntate, intentione, ac fine legis varijs interpretationibus explicatis.

1. Tim. 1. v. 5. *Matth. 22. v. 40.* *Matth. 7. v. 12.* *Finis omnis legis charitas.*

Advertendum secundò, Quòd juxtà Apostolum 1. Timoth. 1. *Finis præcepti sit charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Et juxta dictum CHRISTI Matth. 22. *In duobus mandatis* (dilectionis scilicet Dei & proximi) *universa lex pendet & Prophetæ.* Et Matth. 7. *Omnia ergò quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis: Hæc est enim lex & Prophetæ.* Charitatis totius potissima ratio habenda est in opinionibus, aut formandis, aut deligendis, ità ut nulla opinio probabilitatem habere possit, neque in lege humana, minùs in Divina, quæ principijs charitatis adversatur: quia principium & finis omnis legis est charitas. Quod sic *declaro*: Tria sunt in charitatis præceptis, nimirum: substantia, finis præcepti, & ordo in charitate requisitus, ut sit ordinata charitas; *Ordinavit* utique (ait Sponsa Cant. 2.) *in me charitatem.* *Cant. 2. v. 4.* Substantia præcepti, est ipsum mandatum charitatis. Finis, est Deus; hic est enim terminus, ut Deus colatur & ametur propter se: homo autem, ut se & proximum pariter amet propter Deum. Ordo autem charitatis id continet, ut Deus irreferibiliter & primariò ametur; in homine verò respectu sui ipsius, ut primò animam suam diligat propter Deum, secundò corpus in ordine ad animam & Deum. In ratione proximi: Primò diligenda venit Ecclesia & Respublica, bonum enim universale præferendum est particulari. Secundò, parentes, consanguinei & affines, qui sunt aliquid nostri, & qui parentum locum tenent: ut sunt Reges, Principes, Magistratus, &c. unusquisque in gradu suo. Tertiò, cæteri quilibet, etiam prout nobis, vel communi & publico bono sunt magis juncti. Et juxtà hæc omnia opiniones sunt mensurandæ ad hoc, ut sint verè probabiles, aut ut etiam improbabiles judicentur. Pro quo pono duas Regulas.

Regula I.

Opinio debet conformari charitati.

O*Mnis opinio, ut sit verè probabilis, debet conformari principijs & præceptis charitatis Dei & proximi in substantia, fine & ordine.* Ratio est: Quia in his *duobus universa lex pendet & Prophetæ.* Nec est ulla lex humana qualiscumque, si justa sit, & veræ legis rationem obtineat, quæ principia charitatis non spectet: aut enim sunt leges pertinentes ad fidem vel Religionem, & hæ spectant ad præceptum charitatis Dei; fides ut fundamentum, religio ut effectus: aut sunt leges spectantes ad homines & Reipublicæ conservationem, utilitatem, disciplinam, mores in virtutibus & justitia fundatos, & hæ pertinent ad alterum præceptum dilectionis sui & proximi, juxtà ordinem assignatum, referibiliter tamen ad Deum tanquàm ad finem ultimum. Undè si opinio à principijs, fine & ordine charitatis deviet, improbabilis est censenda, prout statim dicetur.

Dixi (*debet conformari principijs charitatis*) si enim conformis non sit, difformem esse necessè est, eò ipsò quòd ad legem judicatur pertinere: indifferentes enim actus illi dicuntur, qui nec præcepti, nec prohibiti sunt, & idcircò ad opinionem practicam de obligatione alicujus legis non spectant.

Divisio opinionis nova. Undè hic singulariter eruenda est quædam specialis divisio *Opinionis*, quam apud nullum hactenùs legi, est tamen magnæ energiæ & importantiæ ad cognoscendas opiniones verè probabiles, & puto salvo meliori judicio, rem satis clarè explicare. Alia igitur est *Opinio rectificans & dirigens*: Alia est *Opinio* duntaxat *à peccato excusans.* *Opinio rectificans.* Illa dicitur *Opinio rectificans & dirigens*, quæ non tantùm ostendit actum probabiliter à peccato excusari, sed etiam probabilem rectitudinem, seu conformitatem ad legem, actui inesse demonstrat. *Opinio excusans.* *Opinio excusans tantùm* est, quæ in hoc solo versatur, ut ostendat actum probabiliter à peccato posse excusari, non tamen ostendit in illo probabilem aliquam rectitudinem, vel conformitatem ad legem, nisi remotè & negativè; tota enim versatur ut malitiam ab actu, vel agente propulset.

Dico itaque ex hac divisione, quòd in actibus positivis ad opinionem verè probabilem non sufficiat *Opinio excusans tantùm*, sed debeat etiam esse *Rectificans*, sive quæ ostendat rectitudinem aliquam probabilem, & conformitatem ad legem. Et *Ratio est*: Quia nemò potest positivè operari, nisi sub aliqua probabilitate sibi proponat actionem esse honestam: honestas autem illa non tantùm est negatio inhonesti, sed etiam positiva quædam rectitudo & conformitas ad legem. *Explico exemplo*: Volo colere Deum aliquo actu, quem aliqui opinantur superstitiosum, alij probabiliter religiosum, non sufficit mihi, quòd probabiliter opiner non esse superstitiosum, sed etiam probabiliter debeo opinari esse religiosum, ut actum Religionis honestè censeat absque peccato exercere: hòc ipsò enim quò operor, debeo saltem mihi proponere me honestè operari. Aliud est in actibus negativis, sive omissionibus: quia eorum omissio est quædam negatio actûs, sive cessatio ab actu, ad quam sufficit opinari, nullam esse in cessatione malitiam; sive sufficit *Opinio excusans à malo.*

Dices: Qui ex opinione probabili putat se non malè agere, absque peccato operatur, ergò sufficit etiam in actu positivo *Opinio excusans à malo.* *Respondeo neg. Conseq. Ad Antecedens dico*: Me hìc non agere de actu bono vel malo simpliciter, sed de actu, quo lex positivè observatur, sive de actu præcepto vel prohibito, ad quem non sufficit, ut credam actum non esse malum, ut honestè legem observem, sed oportet ut opiner *probabiliter* actum esse conformem legi, quæ mihi præcipit illum exercere, ut legi satisfaciam. Et hoc est quod iterùm nuper notabam, non sufficere opinionem aliquâ probabilem circumferri, vel apud Auctores reperiri ad operandum, nisi illa opinio concurrat antecedenter vel concomitanter ad actum, docens illum esse probabiliter honestum.

Regula 2.

Nulla opinio quovis modo devians à principijs, & ordine præscripto charitatis, ejusque substantia & [illegible]e, sive circa Deum, sive circa seipsum vel proximum, potest æstimari verè probabilis. *Opinio devians à charitate improbabilis.* Hæc Regula constat & infertur ex præcedenti: si enim aliquo modo declinet, censetur à lege declinare; quia, ut dictum est, finis omnis legis est charitas: & in duobus præceptis charitatis tota Lex pendet & Prophetæ.

Et hic est lapis lydius, ad quem omnes opiniones, imò & omnes humanæ leges in conscientia obligantes probari debent, & si benè hæ Regulæ applicentur, innumerabiles opiniones, quæ pro probabilibus venditantur, falsæ & damnabiles apparebunt ad plurimorum non mediocrem confusionem. Quin & à legibus multis humanis conscientia libera apparebit ad multorum solatium. Sed de his suo loco Tomo alteru.

QUÆSTIO VI.

An ex pluribus opinionibus verè probabilibus sit semper probabilior eligenda?

PRo resolutione adverte: Aliud esse *Opinionem* dici *veriorem*: Aliud *probabiliorem*. Illa enim dicitur *Verior*, cui subest major veritas cognita, sive quæ de veritate majorem aliquam certitudinem habet. Illa verò dicitur *Probabilior*, quæ apparentiam majorem habet sive ratiocinationis, sive auctoritatis, etsi respectu scientiæ sive cognitionis à parte rei sit semper incerta. Hoc prænotato sit:

CONCLUSIO I.

Inter duas opiniones, si aliqua sit à parte rei verior, sive cui veritas cognita cum aliqua certitudine subsit, si nihil aliud obstet, verior præferenda est, & eligenda. *Opinio verior præferenda.* *Ex. g.* Pœnitenti in extremis adest Confessarius approbatus, & adest simplex Sacerdos: Duplex est opinio probabilis; altera dicit teneri approbato confiteri: altera etiam probabilis affirmat illum ratione istius extremi articuli posse confiteri simplici Sacerdoti; si nihil obstet, debet pœnitens confiteri approbato. *Ratio est*: Quia inter duas illas opiniones uni subest à parte rei cognita veritas, nimirùm: Jurisdictio certa & probata in ordine ad absolutionem in Approbato; alteri verò ex omni parte tantùm adest probabilitas cum formidine de opposito. Sicut ergò

gò non licet (ubi nihil obstat) eligere opinionem tantùm probabilem relictâ certâ veritate & scientiâ : sicuon licet relinquere opinionem ex aliqua sui parte certam & veram cognitam ut talem (si nihil oblset) & eligere tantùm probabilem, cui subest formido de opposito, ratione cujus se exponit periculo peccati, maximè cùm veritas & certitudo stent à parte ejus, quod ad absolutionem requiritur, nimirùm jurisdictionis, & in altera opinione formido de opposito eandem partem afficiat ; sicut autem se habet totum certum ad totum probabile, sic pars certa ad partem tantùm probabilem, sed non licet sententiam certam relinquere, & sequi opinionem tantùm probabilem propter periculum; ergò nec opinionem ex sui præcipua parte certam, licebit relinquere, & sequi partem oppositam tantùm probabilem.

Dixi (*nisi aliud obstet*) Si enim Approbatus videatur indoctus, imprudens, vel cui ex aliqua causa refugiat & horreat pœnitens confiteri, tunc potest confiteri simplici Sacerdoti. *Ratio est* : Quia tunc opinio transit in sententiam certam : ob impedimenta enim allegata censetur pœnitens non habere opportunam copiam Confessarij singulariter approbati. Et certum est in isto casu simplicem Sacerdotem habere auctoritatem & jurisdictionem certam ab Ecclesia sibi collatam ; opinio enim sive probabilitas cum formidine oppositi, oriebatur tantùm ratione præsentiæ alterius singulariter approbati. Cùm verò pœnitens in isto extremo (in quo debet & vult Ecclesia ut sit liberrimus) habeat causam refugiendi approbatum, ille habetur in tali casu pro non præsente obligatoriè, & recurritur ad alium, qui in tali articulo, alijs approbatis non præsentibus, certam & non controversam habet jurisdictionem : sic in alijs similibus impedimentis ratiocinandum est.

CONCLUSIO II.

Opinionū verè probabilium libera est electio.

Nter opiniones plures, quæ sunt tantùm probabiles, si verè omnes sint probabiles, etiamsi aliqua probabilior appareat, licet quamcunque ex illis sequi & eligere. Ratio est : Quia, ut supponitur, omnes sunt probabiles: quòd autem aliqua appareat probabilior, hoc tantùm apparens est, & sæpè non verum. Frequenter enim quæ minùs probabilia apparent, illa magis sunt vera: cùm apparentia illa majoris probabilitatis ut plurimùm oriatur ex subtilitate, facundia, solertia ingenij ratiocinantis, aut strepitu ac majori pompâ Auctorum, quibus præponenda est aliquando sincera & solida alicujus ingenij tardioris resolutio, quia rem profundiùs considerat, attentiùs ruminat, & in humana opinionum lubricitate velut bos lassus exercitatione fortiùs pedem figit.

QUÆSTIO VII.

An inter probabiles opiniones detur aliqua tutior, & an illa tutior sit eligenda?

Omnes opiniones verè probabiles tutæ.

SUpponitur primò, Omnes opioinnes, si verè probabiles sint, esse tutas, ità ut homo, ex quacunque operetur, tutè, & absque periculo peccati, quantum est ex vi illius opinionis operetur, quandò (ut sæpè dictum est) nulla ad operationem scientia seu sententia certa, dùm operandum est, suppetit. Et *Ratio est* : Quia ad operandum sufficit certitudo moralis (ubi Theologica & omnimoda non habetur) qui autem ex opinione verè probabili agit, etsi de re formidinem habeat oppositi, de honestate tamen actionis moraliter certus est, nec ad majorem certitudinem tenetur.

Quæ dicatur opinio tutior.

Supponendum secundò, Illam passim vocari *Tutiorem*, quæ longiùs à peccato, vel peccati periculo hominem removet, aut quæ simul alicui operi charitatis, vel obligationi satisfacit ad majorem utilitatem. *Exemplum de primo.* In obligatione Horarum pro Monialibus, quæ ex vi Regulæ suæ non tenentur illas legere : Duplex est opinio probabilis : Altera dicit illas nullatenùs teneri legere Horas : Altera dicit è contrà consuetudine legis vim habente, obligari. Alicui fortè videbitur posterior affirmativa *Tutior*, quia à periculo peccati longiùs removet : & indè volet concludere esse illam opinionem in praxi eligendam. *Exemplum de secundo.* Infirmo alicui ante adventum Sacerdotis obmutescenti, & sensibus perculso, ità ut signum non possit dare alicujus pœnitentiæ : Aliqua opinio dicit non licere impertiri Absolutionem sub pœna peccati mortalis & sacrilegij, quia hic nulla supponitur sensibilis materia : Altera dicit omninò libere, sive ediderit priùs antè adventum Sacerdotis signa, sive non, quia supponitur velle, vel voluisse, & forte signa aliqua ediderit, quæ Sacerdos non advercit : Illa, quæ affirmat licere, videtur *Tutior* : quia absolvere est opus extremæ charitatis, imò in Pastore & Parocho opus justitiæ, & in gravissimam necessitatem vel utilitatem infirmi, cùm ab Absolutione fortè salus ejus dependeat.

Dupliciter opinio removet periculum peccati.

Supponendum tertiò, Dupliciter posse dici opinionem probabilem removere periculum peccati. Primò, Simpliciter & absolutè absque aliquo gravamine operantis vel tertij. Secundò Cum gravamine aliquo operantis, vel alicujus tertij. *Explicatur exemplo primo* : Obligans ad Horas Moniales ex Regula non obligatas, removet quidem periculum peccati, sed magno gravamine lectionis Horarum, cum circumstantijs illud præceptum

concomitantibus. *Similiter* : Non dare absolutionem infirmo obmutescenti, gravamen est magnum ipsi infirmo : aliàs potest dari aliqua opinio removens periculum peccati absque ullo gravamine. Ut , una est opinio licere percutere Clericum absque Excommunicationis incursione , etsi sciam esse Clericum , si in Clericali habitu non reperiatur : Altera opinio est , non licere. Cùm mihi sit æquè liberum absque ullo gravamine, imò liberiùs abstinere , quàm percutere : etsi utraque opinio sit probabilis : *Opinio* tamen asserens non licere , *tutior* est , & absque ullo gravamine operantis , vel tertij. His suppositis fit :

CONCLUSIO I.

Opinio tutior non semper præferenda.

I*Nter opiniones verè probabiles, per se non tenetur homo sequi tutiorem.* Ratio est : Quia ut supponitur, & suprà docuimus , omnes verè probabiles, sunt in operando tutæ ; excludunt enim omne periculum peccati , eò ipsò quòd veritatem probabilem dictant ; securus autem est, si moralem & probabilem veritatem sequatur , nec ad plùs obligatur. Undè cùm opiniones probabiles sint , per se moraliter sunt *tutæ* quoad exclusionem à periculo peccati , & prudenter aliquis potest quamlibet sequi quoad peccati evitationem simpliciter.

Dixi (*per se non tenetur homo sequi tutiorem*) per accidens enim interdùm tenebitur , eò quòd, etsi manendo in præcisâ actione , quæ fit ex opinione probabili , tutè operetur , nec possit peccare : quia tamen ex occasione ad operationes illius sequitur peccatum , vel proximum peccandi periculum, tenebitur abstinere non tam ab opinione, quàm ab operatione consequente opinionem , non quia opinio minùs tuta est, sed quia operatio periculum annexum habet. *Ex. g.* Probabilis opinio est licere cuilibet juxtà morem patriæ osculo fœminam salutare maximè propinquam, etiamsi quis sentiat levem aliquem naturæ motum , qui sequitur osculum naturâ suâ: contingit autem Joannem ex illo osculo graves & periculosas sentire tentationes , & interdùm lapsus est : tenetur non tam abstinere ab opinione , quàm ab actione opinionem consequente , non quòd opinio sit minùs tuta , sed quia ejus operatio est peccati sequentis occasio proxima & incentivum.

Et hoc modo credo intelligendas Doctorum sententias , sive cùm dicunt tutiores esse, quæ magis à peccato removent , sive cùm dicunt ex hoc capite tutiorem opinionem semper minùs tutæ præferendam : non enim possunt intelligi de opinione per se , cùm opiniones eò ipsò , quò sunt verè probabiles , sint verè tutæ , & pro libertate arbitrij possint eligi ; sed quòd operationes ex opinionibus sequentes possint esse occasio vel incentivum peccati , à quibus operationibus cuilibet prudenti cessandum est propter periculum peccati, quod ex operatione aut nasci potest , aut ex circumstantijs oriundum colligitur. Undè fit :

CONCLUSIO II.

Opinione probabili stante vitandum interdum opus sequens.

S*I ex operatione ab opinione probabili proveniente sequatur periculum peccati, & si ab opinione non sit abstinendum , ab operatione tamen abstinendum est, non propter se, sed propter consequentiam , quia est incentivum vel occasio peccati.* Patet Conclusio ex immediatè dictis.

CONCLUSIO III.

Opinio gravans relinquenda.

Q*Vandocunque sequitur ex aliqua opinione gravamen operanti , vel alicui tertio* : præferri semper potest altera opinio, & aliquandò consultiùs est sequi illam, quæ à gravamine absolvit, relictâ illâ , quæ gravamen inducit : opinio enim, quæ à gravamine absolvit , vocatur ab aliquibus tutior propter obligationem charitatis, qua quis tenetur suæ libertati vel alienæ utilitati consulere. *Explico exemplo* : Est aliqua opinio probabilis asserens, legem jejunij esse latam vel obligare; alia autem similiter probabilis negat aut legem latam esse, aut obligare; potest quis, & aliquandò consultiùs est præferre opinionem, quæ dicit non esse latam, aut non obligare (si ambæ sint probabiles) ei, quæ dicit obligare, aut latam esse : quia ordine charitatis meam libertatem servituti præferre debeo , & *Melior est conditio possidentis.* Similiter opinio probabilis est, infirmum obmutescentem , nec dantem signa sufficientia præsente Sacerdote, non posse absolvi. Altera affirmat posse: Affirmativa præferenda est , quia Negativa gravamen inducit infirmo , & tale gravamen, ut ab absolutione dependeat aliquandò ejus salus. Ratio jam indicata est : quia etsi primâ facie una opinio videatur magis favere legi, & longiùs à peccati periculo removere, quia tamen lex, aut legis obligatio adhuc sub opinione est , semper illa præferenda est, quæ libertati animæ & ordini charitatis consulit , quàm quæ servitutem inducit , aut charitatem excludit juxtà commune axioma : *In legibus odia esse restringenda , & favores ampliandos* ; odiosa autem est opinio, quæ ligat : favorabilis quæ absolvit, ubi de neutra constat , nisi sub probabilitate utrimque. Undè & opinio , quæ nititur æquitati scriptæ, præfertur ei, quæ nititur rigori scripto; & ubi sunt diversæ opiniones probabiles super legum obligatione, semper in benigniorem & mitiorem partem ac in favorem Rei lex est interpretanda. Vide Legistas & Canonistas.

Adnotatio notabilis.

Nota. UNdè arbitror illos parùm discretè facere, qui magis rigorosam opinionem semper præferunt, minùs rigorosæ; putantque se animabus benè consuluisse, si semper rigorosam opinionem suis pœnitentibus & iis qui se consulunt, persuaserint, eo fundamento: quòd longiùs, eos à peccato vel periculo peccati removeant. Quod reverà falsum esse infinitæ experientiæ demonstrant. Interdùm enim ipsi pœnitenti nocent: quia cùm ex fragilitate humana semper in malum proclives simus: Et *nitimur in vetitum semper, cupimusque negata*; Undè putant ponere peccatis majus obstaculum, inde ministrant majus incentivum, redduntque conscientias timidas, inconstantes, afflictas, pusillanimes, de peccato in peccatum sola interdùm apprehensione peccandi ruentes: quinimò anxietates tot tantasque causant, ut tandem cerebro vacuo in deliria & fatuitates hominem deducant.

Inde fit ut tales semper dubitent de suis actionibus, ut non sit finis confitendi, etiam cum periculo frequentis sacrilegii, ut ab omni opere veri amoris & perfectionis impediantur, dum semper in paviditate sua trepidant, & velut scarabeus melancholicè in stercore suo nutriuntur. Quæ omnia proh dolor! experti nimis fuimus.

Dices. Ergo semper laxior opinio, modò sit probabilis, erit consulenti vel pœnitenti consulenda, *Resp. neg. conseq.* sed sicut qui opinionem eligit discretione uti debet, sic qui consulit juxta varias opiniones probabiles summâ discretione utatur necesse est, nec sub prætextu majoris puritatis ad rigores litterales legis debet declinare, pro quo pono sequentia consilia.

Consilium primum.

Consil. 1. DOctor vel Confessarius debet semper inter diversas opiniones probabiles illam consulere, quæ utilitati spirituali animæ magis deservit, etiamsi sit contra propriam. Explico exemplis sequentibus.

Primò, Videt pœnitentem inquietum, anxium in lectione horarum, verba, & horas sæpè repetentem: Consulere illi debet opinionem quæ dicit: Attentionem internam non præcipi: sufficere si moraliter legat: verba singula non esse physicè, sed moraliter pronuntianda, & similia quæ sub opinionem verè probabilem cadunt.

Item: Videt hominem anxium in confessionibus multiplicandis & repetendis, motum interdùm præcisâ ratione numeri explicandi, omnia enartandi, quaslibet circumstantias annotandi, huic proponendæ sunt opiniones liberiores, modo tamen veræ: ut, quòd sola mortalia sint necessariò confitenda: quòd, quando non constat absolutè, & quasi sub juramento de aliquo defectu in particulari, confessiones non sint repetendæ: Quòd circumstantiæ tantùm aggravantes non sint de necessitate explicandæ, &c. Sic in similibus: quia anxietates, turbationes, & perplexitates non tantùm officiunt perfectioni, sed etiam in plurima peccata hominem interdùm præcipitant.

Dixi (*etiamsi sit contra propriam opinionem*) non enim tenetur quis semper respondere secundùm opinionem suam, sed potiùs tenetur respondere secundùm necessitatem præsentem & spiritualem utilitatem interrogantis, etiam per opinionem contrariam, quam tamen existimet verè probabilem, etsi alteram penes se probabiliorem habeat, quam sequatur. Quinimò aliquis potest pro uno tempore sequi unam opinionem quam existimat verè probabilem, alio tempore & occasione aliam quæ est ipsi magis opportuna, modò tamen illi tamquam verè probabili assentiatur.

Consilium secundum.

DOctor vel Confessarius si deprehendat interrogantem ex opinionibus laxioribus quamvis probabilibus, declinaturum in libertates carnis, & pericula peccatorum, ac culpabilem suæ salutis incuriam, tenetur consulere & inculcare magis strictas. *Ratio est:* quia etsi opiniones sint verè probabiles in se, & in operatione immediata quæ ab illis procedit, quia tamen in effectu & consequenti potest aperire januam ad mala & peccata: tenetur quis saltem ex charitate, quantum in se est, interroganti benè consulere: finis enim consultationis debet esse salus & bonum interrogantis. Consil. 2.

Ex. gr. advertit interrogantem super obligatione horarum esse hominem incurium, laxum, sine devotione, sine affectu, debet illi inculcare quantùm fieri potest, attentionem in lectione horarum, & obligationem ex vi virtutis Religionis, & pericula non tam opinionis contrariæ, quàm facti & emergentium casuum aperire.

Consilium tertium.

QUandocumque consultus, prævidet ex opinione stricta interrogantem casurum in multa peccata, aut tacere debet, aut opinionem magis opportunam, si quæ verè probabilis appareat, consulere. *Ex. gr.* Dubitatur de matrimonii validitate, opinionibus probabilibus in diversa abeuntibus: si videat ex opinione quæ asserit matrimonium invalidum, virum non relicturum suam uxorem, vel econtrà, sed non obstante responsione de invaliditate matrimonii perseveraturus in eo; aut periculum esse pro prolibus susceptis, aut infamiam aliquam ex separatione secuturam: Aut tacere debet: aut alteram opinionem, quæ verè probabiliter asserit matrimonium esse vali- Consil. 3.

am, quia cùm in lege humana tria includantur nimirùm: Verba legis sive substantia, voluntas sive intentio legislatoris, & finis propter quem lex data est; Et ob inconstantiam & incertas humanas providentias de istis dubitari frequenter contingat, inde tot opiniones variæ, sub diversa probabilitate moraliter vera apparente, sunt conceptæ.

Sextò, Constat quàm periculosum sit uti opinionibus illis, quæ etsi in se sint verè probabiles, illarum tamen usus ex effectibus consequentibus in varia salutis discrimina & peccati pericula utentem præcipitant: undè quamvis sint in seipsis quoad moralem veritatem tutæ, in effectibus tamen consequentibus sunt periculosissimæ.

Tandem ex omnibus prædictis colligi potest, quo delectu opinionibus utendum sit, tum in operatione, tum in consultatione. Et hæc quoad hunc titulum de opinione sint dicta.

TITVLVS VI.

De conscientia scrupulosa.

QUÆSTIO I.

Quid sit scrupulus?

CONCLUSIO UNICA.

Definitio scrupuli. *Scrupulus est anxietas & titubatio quadam mentis, cum quadam dubitatione & trepidatione in agendo, conscientiam torquens, & turbatam reddens, ex levibus & incertis conjecturis orta.*

Dixi (*Anxietas & titubatio quadam mentis*) sunt enim scrupulosi similes foliis arboris agitatis vento, quæ modò in unam, modò in aliam partem inflectuntur, & in continua ferè sunt trepidatione.

Unde addidi (*cum quadam animi dubitatione & trepidatione*) in hoc enim scrupulus differt à vero dubio: quòd dubium suspensum animum teneat, scrupulus autem ut tremula quædam horologii lingula modò in unam, modò in alteram partem inflectat, semper trepidans, & quantumvis inflectatur in unam vel aliam partem nunquam medium tenens, sed sub dubitatione aliqua semper tremens, nunquam cessans.

Dixi (*in agendo*) agimus enim de scrupulo practico, parùm est enim quòd quis in speculatione variis agitetur trepidationibus modò in praxi se resolvat in alterutram partem. Tunc enim scrupulus speculativus, sive quæcumque speculativa in mente titubatio non potest nocere, etsi toto corpore, & omnibus potentiis homo agendo tremeret; modò ad agendum se in partem quam scit aut credit esse honestam practicè resolvat, sitque etiam contra omnes adversos motus patienter resignatus.

Dixi (*conscientiam torquens & turbatam reddens*) effectus est enim scrupuli torquere & turbare, in quo distinguitur contra dubium & opinionem. Dubiæ enim conscientiæ est, suspensa manere; Opinosæ autem ex rationabili alterius partis probabilitate aliquo modo formidare; Scrupulus autem torquet, & turbat conscientiam.

Dixi (*ex levibus & incertis conjecturis*) scrupulosorum enim motiva, conjecturæ sunt potiùs, quàm rationes: sicut autem conjectura incertitudinem & levitatem quandam habet, sic levibus & incertis innititur. Undè & scrupulus comparatur timori nocturno: sicut enim qui in nocte timet, sibi varias umbras, phantasmata, motus, sonos, apparitiones fingit, sic scrupulosa conscientia variis frangitur imaginationibus, & tremula semper redditur.

Hìc tamen advertendum est: abusivè & frequenter periculosè eos vocari scrupulosos: Qui vero Dei timore & amore perfectæ justitiæ, nævos etiam parvulos & imperfectiones quascumque in via Dei refugiunt, & quantùm possunt venialia peccata vitare conantur. Hi enim levibus & vanis seu incertis conjecturis non agitantur, sed stabiles & immobiles permanent, velut jurantes & statuentes custodire omnia judicia justitiæ Dei, fœdus etiam pacisceotes cum oculis, nec cogitare de virgine (ut Job ait) fundamenta igitur eorum sunt candor, veritas, sinceritas, quæ nihil quantumvis leve admittunt.

QUÆSTIO II.

Quæ sit distinctio inter timoratum in timore Dei, & scrupulosum?

A Proposito hanc quæstionem pono, quia hoc sæculo in quo sicut amor, sic filialis timor exulat, omnes verè timorati ut scrupulosi exsibilantur, & abstinetur à viis & conversatione eorum velut ab immunditia.

CONCLUSIO UNICA.

Inter verè timoratos Dei timore & scrupulosos, hæ sunt ferè distinctiones. Differentia inter timoratū & scrupulosum.

Prima: Sumitur ex natura timoris Dei, & scrupuli. Timor enim Dei fundatur in ipsorum præceptorum Dei perfectione, & veritate. Lex enim Dei sicut & sapientia, *Candor est lucis æternæ, & speculum sine macula, &c. Et imago bonitatis illius*: utique non admittens tenebras, *Deus enim lux est, & tenebræ in eo non sunt ulla.* Speculum autem sine macula est, unde & quivis nævus ab illa est tollendus, imago autem bonitatis illius est, à qua omnis vel Sap 7. v.26. 1. Ioan. 1. v. 5.

vel levis malitia est propulsanda. Undè & Psalm. 18. dicitur *lex immaculata, praeceptum lucidum*, & alibi: *Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terrae, purgatum septuplum.* Super hoc fundatur timoratos, ut amore Dei etiam otiosum verbum, & otiosam cogitationem refugiat, sciens & videns puritati divinae legis & beneplaciti repugnare, & quia de verbo otioso oportet reddere rationem in die judicii. Econtrà: Scrupulosus fundatur, aut potiùs sequitur quemlibet ventum imaginationis suae: inducens potiùs tenebras & fumos lucernae & veritati Dei, & maculosis imaginationibus tersum veritatis speculum commaculans; & de bonitate Dei diffidens, nolens monito Sapientis *sentire de Domino in bonitate & in simplicitate cordis quaerere illum.*

Ps. 118. v. 8 9. Psal. v. 7. Sap. 1. v. 1.

Secunda igitur distinctio sumitur ex origine: Oritur enim timor eorum, quos timoratos nuncupamus, ex amore Dei, estque verus timor filialis, in Scriptura ubique commendatus. Quare enim timoratus omnia etiam minima, & eorum suspicionem cavet? Non alia utique de causa, quàm qui amore casto & fideli timet supremam illam Patris bonitatem offendere, & quantùm potest, hoc in se conatur exhibere cum Apostolo, ut sit fidelis & habeat conscientiam bonam ad Deum, & ad homines semper. Timor autem scrupulosorum & scrupuli eorum oriuntur vel ex amore proprio & vano, vel ex timore servili, undè non tam ad Deum aspiciunt, quàm ad seipsos; nec semel in se divinae bonitatis imaginem formant, sed terrores, poenas, ignes, amaritudines semper considerant, &c. Undè in ipsis regnat potius amor & timor sui, quam amor & timor Dei.

Ex quo sequitur *tertia* distinctio sumpta ab effectibus. Effectus enim timoris Dei in timoratis, sunt: puritas & firmitas cordis, vigilantia & sollicitudo sine anxietate: Apprehensio mali sine turbatione, poenitentia cum spe & amore: austeritas & asperitas vitae, ex amore conservandae justitiae, & injustitiae vindicandae propter fontem omnis justitiae Deum. Unde primo videmus illos puritatis omnis assertores semper imperturbatos, stabiles, & constantes in via Dei, *Optimum utique est* (inquit Apostolus eis) *gratiâ stabilire cor.* Secundo videmus ad modicam mali suspicionem, cum quadam alacritate ad arma convolantes, aut cum tranquillitate cordis custodiae sui invigilantes absque animi turbatione. Quòd si aliqui motus irascibilis in illis appareant, rationem sequuntur ut satellitium ejus. Tertio si apprehendant malum aliquod vel imminere, vel inesse, statim absque turbatione ad Deum suspirant: undè quartò eorum poenitentia cum amore & spe conjuncta est: Et quintò si austeritates vitae suscipiunt, non alio motivo faciunt, quàm ut contra Daemonem, carnem, & mundum, justitiam Dei custodiant & in seipsos misericordem vindictam, Dei loco exerceant.

Ad Hebr. 13. v. 9.

Econtrà: Timor scrupulosorum *primò*: est plenus impuritate & inconstantiâ mentis, ac instabilitate omnis actionis. *Secundo*, tantùm abest, ut in vigilantiam & sollicitudinem alacrem exeant, quin potiùs in anxietatem, pusillanimitatem, tepiditatem, & acediam ac taedium omnis boni devolvantur. *Tertiò*, Apprehensio mali est cum turbatione totius hominis, ita, ut nec seipsos capiant, imò quodam mentis delirio fatiscant. *Quartò*, poenitentia eorum potius horrorem suipsius, & desperationem adjunctam habet. *Quintò*, si asperitates & austeritates vitae suscipiant, carnificina potiùs, & tortura animae est, quàm medicinalis cura alicujus plagae, vel gloria misericordis vindictae. De his omnibus vide SS. Patres, ac vitae spiritualis & pietatis instructores & Duces, quibus libris plenus est mundus.

Denique *quarta* distinctio est: quòd timoratorum consolatio & gloria sit testimonium conscientiae suae: Scrupulosis autem testimonium conscientiae sit tortura, cruciatus, & desolatio animae. Ama igitur timoratum esse, & metire cor ejus quod est templum Dei autem illâ virgâ mensurâ hominis, quae est Angeli Apoc. 21.

QUAESTIO III.

Quae sit origo conscientiae scrupulosae, & scrupulorum?

ETsi aliquid in quaestione superiori de origine scrupulosae conscientiae & scrupulorum attigerimus: pauca tamen pro ratione instituti hujus addenda sunt. Sit ergo

CONCLUSIO UNICA.

ORigines & causae scrupulorum sunt potissimùm sequentes. 1. Ignorantia. 2. Cerebri & imaginationis debilitas. 3. Complexio frigida & melancholia. 4. Immoderatus & indiscretus fervor, maximè in exercitiis corporalibus. 5. Nimius timor servilis. 6. Consuetudo cum scrupulosis. 7. Tentatio Daemonis. 8. Permissio Dei.

Origines scrupulorum.

Quae omnia apud Auctores latè probantur ex variis historiis, quas longum esset enarrare. Pro quibus latissimè vide Richardum Hallum de conscientia quadripartita lib. 3. per totum.

Et certè nemo cum scrupulosis est conversatus, qui non singula advertetit: Qui enim ignorantes sunt, quibusvis facilè moventur & decipiuntur, eoque tardioris curationis sunt, quòd obstinato animo suae imaginationi falsae & inutili adhaereant. Qui verò cerebro & imaginatione debiles sunt, rem penetrare nequeunt. Melancholici & qui sunt frigidae complexionis, suo phlegmate & adhaesivis conceptibus obruuntur. Immoderatus & indiscretus fervor, totam corporis harmoniam destruit, & viam ad fatuitatem sternit. Nimius timor animam

animam tremulam & trepidantem reddit. Consuetudo & conversatio scrupulosorum, ipsorum moribus facilè conformatur. Ad hæc accedit tentatio Dæmonis, in omnibus superioribus velut follis moventis. Aliquando verò singulari suâ providentiâ Deus aut superbiam nostram permissione suâ singulari à scrupulis depasci permittit, aut in fornace scrupulorum nos purgat, & fidelitatem nostram probat. Quid scrupulosis accidat nunquam scripto poterit declarari, continua enim experientia nova semper experitur, nec est exercitatio molesta magis, quàm scrupulosorum directio vel instru[...]

QUÆSTIO IV.

Quæ sint remedia contra scrupulos?

Consilia duo pro curandis scrupulosis. Cognitis originibus scrupulosorum facile est remedia proponere, difficillimum tamen scrupulosis illa persuadere.

CONCLUSIO I.

Duo *sunt potissimum remedia scrupuloso necessaria si curari velit. Primum est:* Ut consilio alicujus solidi & expertis directoris vel consultoris, non obstantibus quibuscumque motibus, & trepidantis rationis suæ argumentis, omninò se subjiciat & acquiescat. Sic consulunt auctores omnes.

Fundarut autem in eo, quòd quilibet in propria causâ sit cœcus. *Item,* quòd, sicut sensibile positum supra sensum impedit sensationem: sic & habitus pravæ imaginationis obruens intellectum, impediat intelligentiam: unde fit, quòd quidquid versatur in imaginativa, putent inesse intellectivæ, & quidquid inclinatio vel appetitus inferior & animalis suggerit, putant esse in voluntate. *Aliundè:* Dæmon tot imaginationibus & ratiocinationibus illos obruit, ut his omnibus assentiri, & subsequente voluntate consentire videantur.

Pro quo, *advertendum est primò:* omnia quæ in imaginativa & appetitiva sensibili sive animali fiunt, similia esse iis quæ in intellectu & voluntate fieri consueverunt.

Secundò, Dæmonem qui species excitare & variè immutare potest, interdùm tantâ vehementiâ species commovere, ut vix homo possit de veritate eorum, quæ in suis potentiis fiunt, dijudicare, tum propter apprehensionem vehementem, tum propter totius hominis turbationem: unde ipsi necessarium est judicium hominis experti, qui & suâ experientiâ, scientiâ, & patientiâ sciat judicare de omnibus, & cui se scrupulosus submittat.

Tertiò notandum est: Omnia penè quæ à Dæmone fieri solent, à melancholico spiritu per vim imaginativam mirabiliter efformari: quòd si spiritui melancholico se Dæmon immiscest, in supremo periculo vel deceptionis, vel fatuitatis versatur scrupulosus. His omnibus nullum subest remedium, quàm contra proprium sensum & quamcumque claram ratiocinationem, se alterius judicio & verbo remittere & resignare, etiamsi usque ad extremam afflictionem animi & corporis, & velut mortem jam imminentem scrupulosus reducatur.

Secundum remedium contra scrupulos est ex consilio directoris fortiter agere, & velut agonizare, donec tandem scrupulus cesset. Utrumque meritorium est: quia & nos humiliat, & majorem fidem in Deum excitat, & animam in fornace humiliationis probat.

Exemplum.

Scio hominem pro doctissimo habitum, qui & omnibus secura consilia dabat, & de alienis clarissimè discernere poterat, à Deo traditum hujusmodi scrupulis; quem non sinebant scrupuli quiescere: ille nunquam remediis ullis usus, nisi duobus istis.

Primò igitur, si Confessarium accedebat consulturus, illum præmonebat ut rationibus in responsione suâ non uteretur, se enim habere rationes apparentes in contrarium vehementiores, quàm posset pro sua responsione stabilienda allegare: idcircò simpliciter suam sententiam aperiret, paratum autem se esse simpliciter dicto acquiescere, etiamsi Angelus de cœlo illi aliud significaret.

Secundò, Si scrupulis dum esset ad sacrum missæ sacrificium accedendum, imò & ad confessionem sacramentalem, vehementer concuteretur: fortiter se resolvens confessionem non præmittebat, sed accedens ad sacro-sancta mysteria etiam palpitante pectore & corde, ac stridentibus ferè dentibus celebrabat. Quinimò & cùm contingeret ipsi confessario adesse illum dimittebat ante inchoatam confessionem, allegans turbationem suam ex scrupulis non permittere, ut sedatè confiteretur. Quid indè? Rediit ad plenam cordis tranquillitatem, imò ubi se fortiter sic gessisset aliquot post momentis, ad serenitatem mentis reducebatur. Hæc sunt efficacissima remedia; Alia quidem interdùm leniunt, & ad tempus animum afflictum refovent, nunquam autem à scrupulis perfectè eruunt, quin semper recrudescant. Et hæc valent potissimùm ad primam, 2. 4. 5. 7. octavam originem scrupulorum suprà relatam.

CON-

solvat si scrupulos esse deprehendat, non esse peccata, non debere confiteri, nec permittat ullatenus illum confessiones de illis facere, aut iterare, imò nunquàm absolutionem det super solis scrupulis, nisi sit alia materia sufficiens. Si verò agatur de futuro, illi resolutiones firmas ingerat, quas teneatur etiam manente scrupulo, contra ipsum scrupulum practicare, etiamsi eum pluribus diebus, imo & mensibus videat afflictum.

Sextò, Cogere eum deberet frequenter, ut contra scrupulum agat: quamdiu enim scrupulus manet, id est, quamdiu mens vacillat & titubat ob incertas suas ratiunculas, tamdiu periculum peccati non est; & verbo alterius, quinimò & resolutioni propriæ innixus scrupulosus, quod licet contra hujusmodi vacillationes frontem obfirmare, contra scrupulum agere; non modò sufficit illi ad vitandum peccatum, sed etiam meritorium est, & actus virtutis fortitudinis.

Septimò, Debet multum advertere Confessarius, nè in fatuitatem per cerebri vacuitatem, vel in phrenesim scrupulosus dilabatur. Idcircò jejunia & austeritates prohibeat, etiam in diebus obligationis, si vel modicum videat nocere, fervores temperet, cibos sufficientes consulat, exercitationes spirituales, ubi oporet imaginatione & intellectûs discursu agere, ab illo omninò arceri curet, exercitationes honestas corporales illi provideat; nec timeat interdùm in nonnullis præceptis Ecclesiæ vel regulæ circà scrupulosum dispensare, si ex horum observatione videat illum cerebro periclitari. Fateor interdùm eò deveni, ut beneficiatum obligatum ad Horas dicendas ab obligatione ad tempus absolverim, & in illa obligatione dispensaverim, quia videbam ex mentis agitatione & repetitiunculis in delirium tendere. Et in similibus declarationibus & dispensationibus in talibus casibus eò liberiùs procedo, quò novi periculum & necessitatem, hoc quidem firmissimo meo fundamento: si ob morbum, febrem, dolores capitis, &c. quis sit excusatus ab officio legendo; quidni excusetur ob animi turbationem, & jam ferè inchoatum delirium, quæ prævalent morbo cuilibet corporali? Nec expectandum est, donec jam ad delirium deveniat, sed præveniendus est casus. Vidi semel cum risu in cujusdam Ordinis reformati monasterij infirmaria, tabulam, cui inscripta erant Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, Completorium foraminibus condistincta cum appensa notula, quæ infigi, & de uno in alterum foramen transferri poterat. Religiosus verò, qui me deducebat, cùm ridentem adverteret, petijt, an nossem, quis istius tabulæ usus esset? respondi: instrumentum esse ad delirium & phrenesim: me enim ex modo agnoscere scrupulosi alicujus noras, qui cùm frequentiùs scrupulis agitetur, an omnes Horas ex ordine recitaverit, modus memoriæ ipsi impositus est, ut notulam post singulas Horas transferret. Annuebat ductor meus, & ea de causâ tabulam factam affirmabat. Intuli: sed nunquid æquè dubitare potest, an notulam debitè transtulerit, aut transferre oblitus fuerit, sicut dubitare consuevit an Horas legerit, & sic usque ad delirium viâ istâ importunâ pervenire? Risit & falsus est itè evenisse, & de facto scrupulosum illum, in cujus gratia tabella facta fuerat, supervenientibus istis dubitationibus ac fluctuationibus in amentiam devenisse. Cum talibus sanè non modò dispensandum, sed prohibendum non tantùm ut non repetant, sed quandoque periculo præviso præcipiendum, ut omninò abstineant à lectione Horarum.

Octavo, Cavendum est, nè scrupulus scrupulo superinducatur. Undè à multis discursibus & ratiocinationibus cum scrupulosis abstinendum, quia ad singula verba novos sibi scrupulos postea effingunt.

Excusationes scrupulosorum evulsæ.

Sed dicunt primò: *Bonarum mentium est culpam agnoscere, ubi culpa non est*, Sumitur axioma ex S. Greg. in Resp. 1. ad Augustinum Episcopum Angliæ. *Respondeo*: Hoc axioma humilitatis indicium esse, non præsidium erroris & mendacij. Neque enim vult S. Gregorius nos asserere culpam esse, sive actum peccatum esse, quod culpa aut peccatum non est, sed infirmitatem humanam agnoscere, quæ fragilitati peccandi subjecta est, eo sensu, quo Job 9. agnoscit: *Verebar* (aiens) *opera mea sciens, quia non parceres delinquenti*. Et David quamvis securus de peccati remissione, orans tamen Psalm. 50. *Ampliùs* (inquit) *lava me ab iniquitate mea*. Si enim lotus, quid adhuc lavari ampliùs postulat? dicit enim alibi: *Dixi confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*. Certè infirmitatem suam agnoscens cogitabat quod Job 9. dicit: *Si fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me*. Et quod ipsemet Psalm. 18. clamabat: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo*. De hoc humiliationis utilissimo exercitio per agnitionē scrupulorum disertè agit Joannes Gerson de consolatione Theologiæ lib. 3. prosâ 4. lit. C. & D. ubi & explicat illud S. Pauli ad Rom. 7. *Scio enim quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum*. Explicat exemplo de Agathonis timore in hora mortis.

S. Greg. in Resp. 1. ad Aug. Episc. Angl.

Job. 9. v. 28.

Psalm. 50. vers. 4.

Psalm. 31. vers. 5.

Job. 9. v. 30.

Psalm. 18. vers. 13.

Ad Rom. 7. v. 18.

Allegant *secundò*, illud Proverb. 28. *Beatus homo qui semper est pavidus*. Verùm *Respondeo*: Pavorem illum esse beatum, non qui deprimit, aut in pusillanimitatem ducit, sed qui vigilantiam, diligentiam, & fervorem promovet, ut de timorato superiùs latiùs est dictum.

Prov. 28. vers. 14. Notanda omnia sequentia.

Tertiò, Addunt: Quod in hora mortis facturus esses, hoc modò faciendum: sic enim vive ut moriturus: terribilia enim sunt judicia Dei. Verùm iterùm *Respondeo*: Nec in morte scrupuli utiles sunt, sed periculo pleni, dùm vel inutilibus anima dissipatur eâ horâ, quâ Deo per amorem & affectum adhærere debet: quin, & Dæmon urget tunc frequentiùs inutiles scrupulos, ut

ut animum in desperationis barathrum deijciat. Undè urgeo in contrarium : fac quod in morte faciendum est, plora, confide, ama, projice te in eum, qui solus te salvare potest. Et resolutivè adjicio : omnis opinio, quæ in vita verè probabilis & tuta est, ratione instantis mortis non minùs probabilis & tuta censenda est. Concludo: *Dicite pusillanimis, confortamini, & nolite timere.*

Isai. 35. v. 4.

Urgent *quartò*, Quilibet de seipso & pro seipso in die judicij rationem reddere debet: nec qui consulunt, protectores suorum consiliorum sunt. Denique, cùm scrupuloso suaseris, & convictus coram te fuerit, vix unò passu à te recedit, quin ingerat Dæmon· aut pœnitentem perfectè se non declarâsse : aut Confessarium non perfectè intellexisse · aut resolutionem Confessarij fuisse ad solatium, non secundùm veritatis rigorem: aut in suspicionem vitæ laxioris Confessarium inducit. *Respondeo*, Quis de morbo & ejus levamine meliùs judicare potest: infirmus, an medicus? Quis clariùs videre censendus est, qui cœco ducatum præstat, an cœcus ipse, qui lumine indiget? Monet sanè Sapiens Proverb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et Tob. 4. *Consilium semper à sapiente perquire.* Quin & ministros suos assecurans Deus Lucæ 10 *Qui* (inquit) *vos audit me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Nec laxior vita Pharisæorum eos à veritate dicenda excludit in consilijs, cùm mandet CHRISTUS Matth. 23. *Omnia ergò quæcunque dixerint vobis, servate & facite, opera verò eorum nolite facere.* Addo, qui in isto statu Confessario credit, in judicio Dei immunis est, quamvis aliquis error interveniret : quia fecit tunc, quod facere tenebatur. Et hæc est causa, cur sæpiùs scrupulosi in desperationem, vel gravissima pericula abeant, occulta nimirùm superbia, ob quam sibi soli, & suæ imaginationi credere volunt. Vidi (cum horrore dico) per hujusmodi obstinatam superbiam & proprium judicium, plures laqueo vitam finivisse ex scrupulo, quamvis aliàs pijssimi essent, Deo derelinquente incredulitatem & obstinatum judicium, ac occultam superbiam ipsorum. Fuge laqueum & acquiesce, ac totum Deo & Confessario in scrupulis te committe.

Prov. 3. vers. 5. Tob. 4 vers. 19. Luc 10. vers. 16. Matth. 23 vers. 4.

Qui plura de scrupulis & scrupulosis quærit summè utilia, legat pijssimum & expertissimum Gersonem in Tractatu de remedijs contrà pusillanimes, & lib. de passionibus animæ, nec non toto Tractatu de diversis tentationibus Diaboli, & in Tractatibus super Magnificat, & in alijs pluribus locis, quæ vide in indicibus operum ejus. Restat tamen unum dubium, quod paucis absolvo.

Dubium.

An scrupulosus agens contrà scrupulum, stante conscientiâ scrupulosâ peccare possit?

Quando scrupulo- R Espondeo Primò, Stante conscientiâ simpliciter tantùm scrupulosâ, nullatenùs peccare potest. *Ratio est:* Quia scrupulus est tantùm fluctuatio mentis & inconstantia ex debilibus fundamentis orta : undè potiùs afflictio judicanda est, ad quam sedandam vel repellendam omnem conatum contrarium impendere licet. *sus agat absque peccato contrà scrupulos.*

Respondeo secundò, Si conscientia scrupulosa in judicium aliquod determinetur : tunc peccatum erit agere contrà judicium, non ex ratione conscientiæ scrupulosæ, sed ex ratione conscientiæ erroneæ; conscientia enim scrupulosa mediante judicio transit in erroneam. Advertendum tamen non facilè credendum esse scrupulosis, dùm etiam affirmant se judicium formâsse, & actui ex judicio procedenti consensisse: sicut enim in uno sunt turbati, sic in alio. Debet autem res expendi ex seipsâ, ut superiùs dixi. *Mutatio scrupulosæ conscientiæ in erroneam.*

Appendix notabilis

Pro distinctione diversorum motuum animæ contrà scrupulos, & qualiter ordine naturali scrupulosi ad delirium tendant.

H Ic iterùm repetenda sunt multa, quæ sparsim insinuavimus : motus varios animi reputari dubia aut scrupulos, qui tamen nec dubia, nec scrupuli sunt. Sunt autem sequentia : *Timor, Tremor, Angustia, Anxietas, Turbatio, Tristitia, Dolor, Inquietudo, Delirium.* In his ordinariè putant consistere aut dubium, aut scrupulum, aut consensum, aut in peccatorum cogitatione morositatem peccaminosam : quæ tamen puræ sunt animæ passiones naturales, & pœnæ inconstantis & ignorantis naturæ, quæ magis concludunt aversionem à peccato, quàm consensum in peccatum, vel ejus commissionem. *Explico* : Ex eo quòd quis peccatum apprehendat vel casum : 1. *Timor* quidam & formido in anima nascitur 2. Si urgeat tentatio, vel periculum, *Tremor* sequitur, qui se extendit etiam ad corpus. 3. Si apprehendat animus difficile effugium, angustiatur, & indè oritur *Angustia*, & quædam oppressio cordis. 4. Sequitur *Anxietas*, quæ est filia angustiatæ solicitudinis de futuro, vel possibili eventu 5. Ex anxietate nimia oritur *Turbatio*. 6. Ex turbatione *Tristitia*, quæ etiam in corpore suas impressiones habet. 7. Causat dolorem etiam ad graves morbos ciendos & causandos. 8. Ex dolore *Inquietudo* tanta interdùm egreditur, ut somnus pereat, agitatio continua cerebri sedari non possit: cujus 9. finis est *Delirium*. In his omnibus videat prudens Lector, nil peccati veri dubij, vel fundati scrupuli inesse posse, sed passionibus naturalibus, animam simul & corpus corrumpi. Et ex hac annotatione discant, qui hujusmodi sunt, vel qui afflictos dirigunt, commune illud Poëtæ : *Principijs obsta, serò medicina paratur.* *Via scrupulosorum ad delirium.*

TITU-

TITULUS VII.
De conscientia hypocondriaca & fatua.
QUÆSTIO UNICA.
Quid sit conscientia fatua & hypocondriaca?

EX industria separavi hanc partitionem conscientiæ, quam aliqui cum scrupulosâ conscientia confundunt, quia verè ad illam non spectat.

CONCLUSIO UNICA.

Diffinitio conscientia fatua. *Conscientia hypocondriaca & fatua nihil est aliud, quàm fatuitas mentis, & delirium quoddam partiale, ex humore aliquo pravo, vel alia pravâ dispositione prædominante procedens, quâ homo in deliria & fatuas actiones ac operationes, discursus, ratiocinationes prorumpit.*

Hæc conscientiæ nomen non meretur, quia mera fatuitas est, &, ut dixi, delirium partiale, etsi enim in omnibus aliis hujusmodi hypocondriaci plenâ ratione utantur ut plurimum, in aliquibus tamen adeò sunt deliri, ut nil in illis nisi fatuum sonet. Unde orant, lachrymantur, genuflectunt, peccata enarrant & detestantur, & alia multa præclara faciunt, quæ ubi examinantur, fatua esse, & à læso cerebro provenire patenter dignoscuntur.

Notabile exemplum. Exemplum unum sufficiat: Quidam alicujus Ordinis Religiosus dum Guardianum agerem, ad conventum nostrum confugit, meam velut protectionem quæsiturus contra Superiores suos: dum verò Lectorem S. Theologiæ ad eum examinandum misissem, apparuit vir in sermone valdè religiosus, pius, timens Deum, de sua regula & obligatione perfectissimè discurrens, zelo strictioris vitæ fugam simà propriis Prælatis pallians, & conscientiæ suæ obligationem allegans, ita ut pluribus horis non fuerit agnitus nisi prudens, & sapiens: post aliquot horas dum penitùs causa sui egressus inquireretur, cœpit discursu Theologico suam fatuitatem aperire, volens justificare legitimum suum à monasterio proprio egressum, sub titulo dimissionis implicitæ: Allegabat enim dimissionem quandam ab ordine implicitam dari, per appositionem panis corrupti ad mensam, vel negationem synapis cùm aliis ministraretur: quâ legitimè asserebat se dimissum, allegans & auctoritates Doctorum famosorum Hispaniæ, & alia delira commenta sub conscientiæ rationibus suggerens: confusus isto discursu S. Theologiæ Lector obstupuit & quem commendaverat ut sapientem, delirum clamat. Mittimus ad Superiorem ipsius, cum quo adventante miser ille hypocondriacus rationibus disputat, risum omnibus movet & compassionem, cùm in cæteris aliàs piissimus & sapientissimus appareret. Expertus sum & alios simili mania partiali correptos, & hypocondrio laborantes. Quod Confessario advertendum est, sæpè enim ista contingunt etiam personis, de quibus nulla videtur delirii suspicio, frequentiùs autem in mulieribus, Monialibus, & nonnullis quas devotas vocant, quæ aliquando pluribus annis Confessarios fatigant, doctissimos ad se accersiri procurant, de quibus si attentè verba, actiones, & rationes considerentur & examinentur, aliud judicium rectè ferri non potest, nisi quòd sint hypocondriacæ, maniacæ, vel honestius deliræ. Expertus loquor: de illis enim possem historiarum librum texere. Sed hæc satis superque.

TRACTATUS SEXTUS
DE
SENTENTIA, ET ABSOLUTIONE.

TITULUS PRIMUS
DE
NATURA ET ESSENTIA SENTENTIÆ in Tribunali Sacramentali.

QUÆSTIO I.
Quid sit sententia in hoc Tribunali sacramentali, & in quo consistat?

CONCLUSIO UNICA.

Diffinitio sententiæ sacramentalis. *Sententia nihil est aliud, quàm expressio judicij ex statu peccatoris per ejus confessionem cognito in ordine ad eum absolvendum, vel condemnandum, verbo vel signo legitimo per judicē peccatori declarata.* Tom. I.

Dico (*expressio judicij*) in sententia enim continetur eminenter tota vis judicii, & sententia est velut completus actus omnes præcedentes virtute complectens.

Dico (*ex statu peccatoris*) nimirùm quà peccator est, non enim sententia in hoc Sacramento sive Tribunali potest nisi in peccatorem, & pro peccatore cognitum & habitum, ferri.

Dico (*ex statu per ejus confessionem cognito*) Nam

Nam (ut docuimus) peccator ipse est accusator simul & testis, & conscientia ejus partes defendentis & convincentis agit. Nec potest Confessarius à peccatis quantumvis sibi cognitis absolvere, nisi quatenùs aliquo modo à confitente sibi sunt manifestata. Undè quando Christus sanabat quosdam à morbo corporali, & simul absolvebat à peccatis sibi cognitis: non per sententiam judiciariam absolvebat, sed per potestatem absolutam excellentiæ, & gratiosam liberalitatem. In hoc verò tribunali requiritur, ut pœnitens aliquo motu, nutu, vel signo agnoverit peccatum suum in ordine ad sententiam & absolutionem.

Undè addidi (*in ordine ad eum absolvendum, vel condemnandum*) *Primò*, enim non sufficit peccatorem historicè sua enarrasse, nisi etiam actus rei gratiam postulantis exercuerit.

Secundò, per has particulas insinuntur duo fines & effectus sententiæ judiciariæ in hoc Tribunali, nimirùm absolutio rei quæ est primò-principalis, & condemnatio qui est secundò-principalis, de quibus egimus Tract. 1. tit. 1 quæst. 3. concl. 1. explicantes illud Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. 20. v. 22, 23.

Dixi (*verbis vel signis legitimis*) absolutio enim necessariò consistit in verbis formæ: condemnatio autem etsi etiam verbo communiter fiat, nutibus tamen & signis fieri potest, ut postea dicemus.

Dixi (*per judicem peccatori declarata*) ut enim docebimus, sententia debet per ipsum judicem pronuntiari, & per eundem peccatori declarari. Quomodo verò non sit pura & nuda declaratio, sed etiam formalis & effectiva absolutio aut condemnatio, declaratum est in principio hujus operis, & magis explicabitur in procinctu Tractatûs hujus.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit sententia in hoc Tribunali sacramentali?

CONCLUSIO I.

Sententia duplex, absolutoria & condemnatoria.

DUplex datur sententia in hoc Tribunali: *Alia est absolutoria: alia est condemnatoria*, sive ut terminis Scripturæ utamur: *Alia est, quâ peccatum remittitur sive solvitur: Alia est, quâ peccata retinentur, sive quâ peccator ligatur.* Constat ex verbis Christi Joann. 20. & ex duobus finibus sive effectibus hujus Sacramenti.

CONCLUSIO II.

Absolutoria duplex interlocutoria & diffinitiva.

SEntentia *absolutoria* duplex assignari potest: *Alia enim est diffinitiva, alia interlocutoria. Diffinitiva* dicitur, quando crimen à quo absolvit, ita diffinitivè absolvitur, ut nunquam ampliùs in judicium deduci debeat: *Interlocutoria* verò est: quando crimen quidem absolvitur simpliciter, ratione tamen aliquarum circumstantiarum iterùm debet ad judicium reduci. *Explico:* Homicida aliquis confitetur se hominem graviter & periculosè vulnerasse, vulneratus verò qui necdum mortuus erat, posteà ex vulnere moritur: absolvitur quidem absolutè & simpliciter à peccato, ubi tamen vulneratus moritur, tenetur iterùm comparere, & de illata morte confiteri: quia aliud est vulnerasse, aliud occidisse, & morte secutâ conditiones & circumstantiæ variæ ut restitutionis, & satisfactionis renascuntur: super quibus debet Confessarius judicium ferre. *Iterùm*: Ex infirmitate in deliquium animi vel debilitatem peccator cadit, ratione cujus non potest plenè confiteri, ut etiam fit in angustiis naufragii, vel periculi gravis imminentis: absolvendus est quidem simpliciter & absolutè peccator in his casibus, sententia tamen absolutionis habetur velut interlocutoria, quia si supervivat iterùm debet confiteri, & absolutioni diffinitivæ se subjicere.

In condemnatione sive sententia condemnatoria, nunquam diffinitiva sententia simpliciter reperitur, semper enim interlocutoria est, quia sive peccator aliquo vinculo ligetur, sive peccatum retineatur, semper pro liberatione potest ad judicium recurrere.

QUÆSTIO III.

Quæ sit materia sententiæ hujus Tribunalis?

RAtio dubitandi est propter generalia verba quæ in variis Scripturæ locis referuntur: non enim tantùm dictum est Petro Matt. 16 *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis*: sed etiam cæteris Apostolis Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis.* In quibus non solùm peccata, sed varia vincula animæ subintelliguntur. Matth. 16. v. 19. Matth. 18. v. 18.

CONCLUSIO I.

SOla peccata post Baptismum commissa, & peccatorum pœna in foro Dei, sunt materia sententiæ hujus Tribunalis. Ratio sumenda est ex ipso Tribunalis fundamento, in quo loquitur Christus de solis peccatis. Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis* (nimirùm peccata) *retenta sunt.* Materia sententiæ, peccata & peccatorū pœna. Joan. 20. v. 23.

CONCLUSIO II.

ABsolutiones vel condemnationes, sive alligationes cæterorum spiritualium vinculorum etsi ad potestatem clavium pertineant, non tamē pertinent ad sententiam hujus Tribunalis. Unde etsi in hoc Tribunali dentur, & super illis judex sacramentalis ferat sententiam, non tamen in ipso præcisè Sacramento. *Explico*: Absolvitur quis à censuris, vel dispensatur in votis & juramentis in sacramentali confessione: Absolutiones illæ non spectant ad Sacramentum, Censuræ, vota non sunt materia sententiæ sacramentalis.

cùm

cùm possint etiam extra Sacramentum fieri, sed vel præcedunt vel sequuntur. Ita absolutio à censuris præcedere debet absolutionem à peccatis; Similiter, dispensatio in votis vel præcedere potest vel sequi. Nec refert quòd in eodem sæpè contextu istæ absolutiones & dispensationes à Sacerdote proferantur, sacramentalis enim absolutio tantùm & præcisè incipit à verbis illis, *absolvo te à peccatis tuis*.

Dices: In nonnullis concessionibus Summorum Pontificum continentur frequenter illa verba: *Quòd Confessarii possint absolvere aliquos à censuris, vel dispensare in votis in foro conscientiæ, vel in foro sacramentali*; ergo talis absolutio vel dispensatio, pertinet ad Sacramentum. *Resp. neg. conseq.* Forum enim conscientiæ dicitur, non ut complectitur Sacramentum, sed ut distinguitur à foro fori, sive foro externo: Deindè, nec forum sacramentale præcisè ipsum Sacramentum solum complectitur, sed quidquid aliquo modo ad Sacramentum refertur, sive quod in administratione Sacramenti simul executioni mandatur. Hoc modo, absolutio censurarum ad sacramentalem sententiam prærequiritur ut participationi Sacramentorum, à qua peccator excusus erat per censuras, restituatur; Dispensatio etiam in simul fit, ut plenam libertatem tempore quo à peccatis absolvitur, etiam à vinculis illis, peccator consequatur.

TITVLVS II.

De Absolutione.

QUÆSTIO I.

An absolutio à peccatis debeat dari verbo?

Ratio dubitandi est: quia ex verbis Christi id non colligitur: dicit enim simpliciter: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: Atqui per nutus, signa, scripturam quis significare potest se remittere peccata: ergo verbo opus non est.

Ioan. 20. v. 23.

CONCLUSIO UNICA.

Absolutio à peccatis necessariò necessitate Sacramenti verbo oris debet dari, & exprimi. Ita docet Concil. Trid. sess. 14. c. 3. *Docet* (inquit) *præterea S. Synodus Sacramenti pœnitentiæ formam in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse: Ego te absolvo*, &c. Fundamentum autem sumendum est ex traditione Apostolica, & communi totius Ecclesiæ consensu & usu, & quamvis commune sit omnibus Sacramentis ut verbis forma exprimatur, excepto matrimonio (quod per signa, nutus, & scripturam fieri potest, quia in contractu ad Sacramenti sublimitatem elevato, consistit) peculiari tamen ratione in Sacramento Pœnitentiæ requiri videtur ex ratione sententiæ judicialis, quæ non sufficit si scribatur, nisi etiam ore judicis proferatur. Undè cap. *Etsi sententia diffinitiva, de sententia & re judicata in 6.* nulla decernitur sententia scripta, *si à judice litigatoribus non recitetur.*

Concil. Trid. sess. 14. c. 3. *Absolutio debet dari verbo.*

QUÆSTIO II.

Quibus verbis sententia absolutionis à peccatis debeat exprimi?

CONCLUSIO I.

Verba essentialia sententiæ absolutionis in hoc Tribunali sacramentali sunt hæc: *Ego absolvo te*. Ita Concil. Trid. sup.

Declaratur autem: quia & judicis persona, & actus, & reus plenè exprimuntur. Judicis quidem persona pronomine, *ego*, sive explicitè ponatur, sive in indicativo, *absolvo*, includatur: actus etiam sufficienter declaratur verbo indicativi modi præsentis temporis, *absolvo*, etsi enim verbum *absolvo*, sit commune ad absolutionem à quocumque vinculo sive pœnæ, sive pœnitentiæ, sive censuræ, sive culpæ: Ex eo tamen quòd pronuntiatur super confessione hîc & nunc facta, sufficienter determinatur intelligi de absolutione à peccatis hîc & nunc confessis. Persona rei etiam exprimitur per pronomen accusativum, *te*, quod etiam quia præsentem confitentem designat, sufficiens est, ut non exprimatur nomen illius qui confitetur.

Explicatio verborum sententiæ.

CONCLUSIO II.

Etsi hæc verba, *Ego absolvo te*, vel, *absolvo te*, essentialiter sufficiant ad formam sive sententiam sacramentalem, ex institutione tamen Ecclesiæ, & communi usu addenda sunt verba: *A peccatis tuis*, quæ æquivalent universali *ab omnibus peccatis tuis*: Indiffinita enim in materia necessaria sive necessariò conjuncta, æquivalent universali. Hîc autem est materia necessariò conjuncta: Impium utique est à Deo dimidiatam sperare veniam, nec potest unum peccatum mortale absq; alio dimitti. Hæc concl. supponitur à Concilio Trid. *suprà sess. 14. cap. 3.* ubi cùm dixit: *Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse, Ego te absolvo*, subjungit particulam (*&c.*) quâ quidem particulâ clarè demonstrat se noluisse definire quæstiones scholasticorum, an aliud quod sequitur, *à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Amen*, sint de essentia formæ vel non? Ex eo tamen quòd ad integritatem aliquam pertineant, posuit particulam (*&c.*) ostendens non debere omitti, sed saltem ad integritatem & magis explicitam sententiam debere addi, quia ex usurpatione communi Ecclesiæ sunt magis expressæ significationis. Quod benè notandum est.

Explicatio verborum superadditorum.

Concil. Trid. sup.

Ex quo arbitror peccare sciolos quosdam, qui quia legerunt, vel docuerunt aut saltem edocti sunt hæc verba: *Ego absolvo te*, vel *absolvo te* esse sufficientia ad essentiã formæ, sive sententiæ sacramentalis absolutionis; Ibi sistunt nec dignantur ulteriora verba, *à peccatis*, addere, ut ostendant se doctos. Qui cum risu excipiendi essent & monendi, ut saltem juxta Concilii Triden-

Nota.

Tridentini textum, particulam (*&c.*) adjungerent. Quale verò peccatum ſit omittere illud *à peccatis*, & invocationem SS. Trinitatis, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti*, credo quidem ob levitatem imprudentis hominis, eſſe tantùm veniale: ſi quis tamen obſtinatè omitteret, condemnarem illum peccati mortalis: quia contra omnem Eccleſiæ conſuetudinem & uſurpationem in re gravi faceret. Gravitas autem rei expenditur; quia etſi, ut ſuprà diximus, verbum *abſolvo*, ſufficienter determinetur per confeſſionem præſentem ut intelligatur de peccatis, quia tamen poſſet fieri, ut pœnitens ſolùm venialia confeſſus eſſet, à mortalibus autem etiam quæ latent, abſolvi deberet, videretur verbum *abſolvo* reſtringi ad ea, quæ præſenti confeſſione declarata ſunt, quod valde periculoſum eſſet; cùm autem addit, *à peccatis tuis*, jam univerſaliter peccata quæcumque includuntur, ſive directè, ſive indirectè abſolutioni ſubjiciantur, ut etiam ſuperiùs de iſta particula explicatum eſt.

Dices: In iſto textu Concilii ſtatim ſubjungitur & declaratur: *Quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquā ſpectant, neq; ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſaria.* Ergo illæ particulæ (*à peccatis* cum invocatione SS. Trinitatis) abſque culpa omitti poſſunt. *Reſp. neg. conſeq.* Ratio eſt: quia hæc non includuntur in precibus de Eccleſiæ more junctis, neque enim preces ſunt, ſed ad enuntiationem ſententiæ per modum particulæ magis explicativæ pertinent, includunturq; in particula (*&c.*) ad verbum *abſolvo* poſita in textu Trid. Preces verò de quibus Concilium loquitur, ſunt illæ vel quæ proponuntur, videlicet: *Miſereatur*, &c. *indulgentiam*, &c. *Cætera bona per te facta vel facienda cedant tibi in remiſſionem peccatorum: Dominus noſter IESus Chriſtus te abſolvat*, &c. vel quæ poſtponuntur ab aliquibus, urpotè: *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, merita B. MARIAE ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni egeris, vel mali ſuſtinueris, cedant tibi in remiſſionem peccatorum, in augmentum gratiæ, in præmium vitæ æternæ.* Hæ ſunt quæ vocantur & verè ſunt preces & more S. Eccleſiæ laudabiliter adhibendæ, quæ tamen ad arbitrium Confeſſarii poſſunt omitti vel omnes, vel aliquæ juxta rationem beneplaciti Sacerdotis. De aliis quæ formæ junguntur in eadem enuntiatione, nihil determinavit Concilium propter controverſias ſcholaſticorum: An eſſent de eſſentia, an de integritate? Noluit tamen derogare in aliquo conſuetudini Eccleſiæ illa pronuntiandi, ſed magis docuit ſaltem ſervari debere complectendo illa in particula (*&c.*) non ſine cauſa in textu verbo *abſolvo* adjuncta. Et hæc ſint ſufficienter dicta quoad verba formæ: Quæ enim traduntur de verbis æquipollentibus *concedo, remitto*, &c. vel *abſolvatur ſervus Chriſti*, ad ſpeculationem magis ſpectant; nec ullatenùs ad praxim legitimè abſq; peccato, reduci poſſunt: neque enim fingi poteſt practica neceſſitas, in qua quis dicere cogatur: *condono tibi peccata tua*, & dicere non poſſit, *abſolvo te à peccatis tuis.*

Concil. Trid. ſeſſ. 14 de pœn. cap. 3

Preces ſuperadditæ quales.

Quamquam in ea ſim ſententia verbū paſſivum, *abſolvatur ſervus Chriſti à peccatis*, &c. non valere, niſi perſona judicis exprimatur & addatur *à me*: nomen enim ſive perſona judicis, & non tantùm actus exprimi debet: undè & in Jure cautum eſt (*c. Cùm ab uno arbitro, tit. de ſententia & re judicata in 6.*) ut ſi plures fuerint judices, qui ex illorum numero recitat ſententiam, *non utatur verbis ſingularis numeri, ſed pluralis & dicat: Nos tales judices*, &c. per quod indicatur in ſententia omni, etiam externi fori, perſonam judicis vel judicum exprimendam.

Iudicis perſona exprimenda.

QUÆSTIO III.
Quis ſit ſenſus adæquatus verborum ſententiæ abſolutionis?

RAtio dubitandi eſt: quia ſæpè qui confitetur jam abſolutus eſt à peccatis, vel per contritionem perfectam, vel per alteram priorem confeſſionem, ut ſi ex devotione cum novis actibus pœnitentiæ repetat peccata in alia confeſſione priùs abſoluta, tunc enim non poteſt dici hâc ſententiâ abſolvi à peccatis.

CONCLUSIO UNICA.

SEnſus adæquatus formæ ſacramentalis hujus Tribunalis eſt: Poteſtate judiciali mihi commiſsâ, tibi remitto peccata per hoc Sacramentum quod per ſe mediante gratiâ quam efficit, remiſſivum peccati eſt. Hæc enim omnia virtute continentur in illis verbis, *abſolvo*. Verbū enim illud judiciale, poteſtatē in miniſtro velut in judice deſignat: ipſum iterùm verbum materiam ipſam, quæ per confeſſionem judicio ſubjecta eſt, indicat: quæ cùm non niſi per gratiam poſitivam reconciliatricem poſſit tolli, verbum ipſum *abſolvo*, ſolutionem reatus ſignificans, virtutem ipſam & qualitatem quâ ſolvitur reatus, includit: pronomen autem, *Te*, reum reconciliatione indigentem oſtendit & afficit.

Senſus verborum ſententiæ.

Ex qua concluſione primò. Conſtat Sacerdotem non exhibere purum tantùm miniſterium declarando peccata remiſſa, ſed per actum judicialem (quo ab ipſo velut à judice ſententia pronuntiatur) gratiam efficaciter virtute ſententiæ infundi, & efficaciter peccata remitti: ut definit *Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 6.*

Conſtat ſecundò. In quocumque pœnitente, qui hoc Tribunal ſubit, etſi aliàs juſtificatus eſſet, ſi obicem non ponat, per ſententiam illam cauſari gratiam de ſe peccati remiſſivam: Ideoque nunquam formam ſacramentalem eſſe otioſam, aut inutilem.

Conſtat tertiò. Formam illam ſemper verā eſſe etiam veritate formali, quamvis homo per contritionem, aut gratiam præcedentem juſtificatus eſſet. Duo enim operatur hæc forma ſive ſententia. 1. Gratiam, quæ ordinatur ad tollendam maculam ſive reatum peccati, ſi inſit: 2. Abſolutionem vinculi, quo peccator tenetur non tantùm coram Deo juſtificari, ſed etiam coram hoc Tribunali ſacramentali, juxta illud:

Quæ

Qua retinueritis, retenta sunt: Censentur autem peccata à Sacerdotibus retenta, si ab eis non sint dimissa: non quia non possint interdùm à Deo remitti per contritionem & actum amoris Dei super omnia, sed quia non remittuntur nisi cum obligatione, sub pœna iterùm mortis, sive peccati mortalis, comparendi in hoc judicio: in re ipsa quidem si subiti possit: in voto autem, casu quo subiti non possit. Undè peccatum non censetur completè remissum, nisi is cui est remissum, hoc Tribunal subierit; non quia culpa remissa non sit per contritionem, sed quia non est remissa nisi sub voto subeundi hoc tribunal, quod est quoddam hujus remissionis complementum sive conditio, non quidem actum remissionis suspendens, sed illum velut terminans propter votum in ipso actu inclusum & obligationem quæ voti terminus est. *Explico*: In illo qui justificatur per contritionem sive Baptismum flaminis, antequam Baptismum fluminis in re suscipiat, verificatur satis hæc forma: *Ego te baptizo*: etsi enim à peccato tam originali, quàm actuali, per contritionem fuerit liberatus, non nisi tamen in voto Baptismi aquæ: Cùm ergo Baptismus aquæ adhibetur, forma *Ego te baptizo*, non verificatur, nisi quia jam terminus completur, in cujus voto prior remissio est facta. Igitur similiter verificatur benè hæc sententia *absolvo te*, etsi homo priùs justificatus fuerit, quia non justificatus est nisi in voto & ordine, ut hanc sententiam subiret. Vide quæ diximus Tract. 1. tit. 1. qu. 12. de eo qui etsi gratiam & absolutionem à Principe recepit, judicio tamen debet sisti ut gratia Principis completa esse censeatur.

Ioan. 20. v. 23.

Exemplum de Baptismo.

Dices: Etsi hæc concluderent de justificato per contritionem, non videntur tamen concludere de justificato priùs per aliam confessionem & absolutionem, cùm eadem purè peccata repetit sub novis actibus pœnitentis. *Resp.* Non minùs in illo sententiam verificari, semper enim confert gratiam remissivam peccati per actum verè judicialem. Sicut enim non repugnat ex causa & occasione eundem reum sæpiùs in eodem vel diverso judicio civili absolvi, quia sæpiùs repetita est causa & processus revisus: sic non repugnat in sacramentali judicio bis hominem super iisdem absolvi, si actus de novo & velut iterùm causa repetatur. Multiplicatio enim sententiæ in civilibus moraliter prodest ad justificationem: In Sacramento autem etiam realiter prodest, quia multiplicat efficaciter gratiam suâ naturâ remissivam peccati; Quinimò fit, ut qui sola peccata aliàs confessa confitetur, virtute præsentis absolutionis absolvatur indirectè ab aliquibus occultis, & ut plurimùm à venialibus, sine quibus nemo vivit, si ab illis aversum animum habeat, etsi, vel ob levitatem materiæ, vel quia non occurrunt modò ea, non confiteatur.

QUÆSTIO IV.

An verba absolutionis ad absentem dirigi possint?

SEnsus quæstionis est: An eum, qui confessus fuerit præsens Sacerdoti, possit Sacerdos absolvere cùm est absens: vel, præsentem absolvere eum, qui absens per litteras, vel per nuntium confessus fuerit?

CONCLUSIO I.

VErba absolutionis ad absentem dirigi non possunt, ita ut per illa qui absens est, à peccatis absolvatur; etiamsi præsens confessus fuisset, vel aliàs peccata sua Sacerdoti nuntiasset. Ita declaratum est per Clementem VIII. in Decreto super hoc edito an. Domini 1602. die 20. Junii, super additâ excommunicatione reservatâ Summo Pontifici iis qui vel absentem absolverent, vel docerent aliquem posse per litteras vel nuntium absenti confiteri sacramentaliter, & ab eodē absente absolutionem obtinere. Et quidem ratio hujus Decreti, si natura hujus Sacramenti spectetur, clara est: cùm enim materia proxima hujus Sacramenti & judicii sint actus pœnitentis quatenùs à pœnitente exercentur, utpotè confessio dolorosa peccatorum cum proposito emendæ, spe veniæ, &c. omnesque partes ad hoc prærequisitæ, ut sunt *Accusatio, testimonium, contritio, confessio, satisfactio, pœnitentiæ susceptio* à pœnitente procedant: Etsi litteræ vel nuntius Sacerdoti absenti peccata possint nuntiare: Non potest tamen illi constare moraliter de pœnitentis actibus super quibus præsens sententia dari debet, cùm potuerit simulare, mentem mutare, in diversa peccata à scriptione litterarum incidisse, imò in actuali peccato mortali esse, aut etiam obiisse antequam litteræ vel nuntius pervenerit. Undè Sacerdos qui absentem absolvit, non habet materiam proximam moraliter certam. Et aliæ rationes addi possunt, sed pontificium Decretum sufficit.

Non potest absolvi absens.

CONCLUSIO II.

LIcet Sacerdoti absolvere pœnitentē præsentem, qui per nuntium vel litteras confessus fuisset, modò præsens nutu vel signo sufficienti confessionem suam ratificet, & signa pœnitentiæ edat, indicans se petere absolutionem. Ratio est: quia litteræ & nuntius tunc tantùm se tenent ex parte materiæ remotæ, actus autem pœnitentis etiam signo & nutibus expressi, sunt materia proxima, supponunturque in præsentia Sacerdotis exerceri. Nec Clemens VIII. in hac re aliquid decrevit. Sicut enim præsenti absolutio datur, sic confessio in præsentia fieri censetur per actus præsentes. Est utique idem omninò, ac si quis ob causas chartam in qua peccata sua scripta sunt, legendam Sacerdoti traderet, & se ea confiteri testaretur, ac super iis se absolvi peteret editis pœnitentiæ sufficientibus signis. Quod fieri posse, in confesso est ex aliqua causa singulari, ut aliàs est dictum.

Qui confessus est absens, præsens potest absolvi.

QUÆSTIO V.

An absolutio possit dari pœnitenti dum jam à confessionali recessit, & adhuc in conspectu Sacerdotis est, quando Confessarius oblitus est dare absolutionem?

HIc casus interdùm contingit ex inadvertentia aliqua, *Ex. gr.* Ita intentus fuit Sacerdos in admonitione pœnitentis ut oblitus fuerit dare absolutionem: Recordatur autem primùm, cùm jam recedit pœnitens & ab illo longiùs abest.

CONCLUSIO I.

SI pœnitens ita longè absit, ut totaliter sit extra conspectum Sacerdotis, & moraliter absens ab illo, non potest Sacerdos illum sic absentem absolvere. Ratio sumenda est ex concl. 1. quæst. præcedentis, & Decreto Clementis VIII. verè enim talis est absens, absenti autem non potest impendi absolutio.

De pœnitente longiùs absente.

CONCLUSIO II.

De pœnitente in conspectu Confessarii existente.

S*I pœnitens sit adhuc in Sacerdotis conspectu, & incommodum sit illum revocare, vel illum adire, potest absolvi.* Ratio est: quia præsens est, & moraliter censetur habere jus ad absolutionem quam credit se accepisse, uti & accipere debuit virtute confessionis sacramentalis factæ. Nec refert quòd sit extra locũ confessionalis vel judicii, nec ampliùs cogitet de absolutione recipienda: Locus enim non est de necessitate ad validitatem Sacramenti, sicut nec actualis cogitatio de recipienda absolutione: censetur enim voluntas recipiendi absolutionem interpretativè remanere ex actibus prioribus, quia si sciret pœnitens sibi non datam absolutionem, utique rediret ut sibi debitam exigeret: voluntas enim prior non est revocata, sed tantùm cessavit, quia absolutionem se habuisse credidit.

Dixi (*& incommodum sit illum revocare*, utpotè, quia est nimia turba populi, & difficilis iterùm accessus, vel ob aliquam verecundiam, de qua daretur suspicandi occasio quòd aliquid omisisset, vel defectus aliquis commissus esset: Si enim nullum sit incommodum, convenientius est illum revocare, & in loco judicii absolvere scientem.

QUÆSTIO VI.

An liceat sæpiùs in eadem confessione repetere sententiam absolutionis?

CAsus is est: Post datam absolutionis sententiam, pœnitens iterùm peccata aliqua repræsentat, & clavibus supponit: contingit enim, vel quòd aliquod peccatum priùs omiserit, quia memoriâ exciderat, vel quòd numerum præcedentium augeat, aut aliquam circumstantiam prioribus peccatis superaddat.

CONCLUSIO I.

Absolutio ordinariè repeti non potest.

N*On est repetenda absolutio in eadem confessione ob majorem numerum ejusdem peccati post absolutionem à pœnitente superadditum, si modicum tantùm excedat, & in priori moraliter contineatur, aut ob circumstantiam quæ speciem non mutat, aut propter peccata quæ tantùm venialia sunt.*

Ratio hujus conclusionis est quoad numerum majorem peccatorum: quia major numerus pertinet ad peccatum ejusdem speciei jam remissum per priorem absolutionem, & superadditio numeri nihil est aliud, quàm supplementum ejusdem materiæ, & qualitatis ad materiam præcedentem in ordine ad judicis scientiam, & clavium potestatem cui subjici debebat. Hinc fit quòd juxta communem doctrinam, qui confitens numerum peccatorum certum, addit particulas *plùs*, vel *minùs*, si modicum tantùm utique ad duos vel tres actus vel omissiones in magno numero excedat, non tenetur numerum illum repetere: Si autem plures notabiliter unitates ut quatuor aut quinq; numerum certum excedant, aut si non addiderit particulas *plùs, minusve*, & inveniat numerum majorem, tenetur illum vel in eadem confessione etiã post absolutionem, vel in alia supplere ut præcepto de integritate materiali satisfaciat, & semel subjiciantur clavibus sive tribunali, semper tamen servatâ ratione quòd non requiratur Arithmetica integritas, sed sufficiat moralis, ut suo loco diximus. Cùm igitur in eadem confessione illa explicat, non est repetenda absolutio, quia est tantùm numericum supplementum, quod moraliter priori numero censetur in eadem confessione conjungi.

Quibus casibus absolutio repetenda.

Dixi secundò in conclusione (*aut ob circumstantiã quæ speciem non mutat*) si enim speciem mutet, aut de illorum peccatorum numero sit, quæ circumstantiam mixtam habeat (ut docuimus *tract. 3. tit. 3. q. 4.*) tunc revera repeti debet absolutio, quia jam non censetur tale peccatum in priori confessione ullatenùs contineri, sed purè nova materia est. *Ex. gr.* Quis dicit se fornicatum fuisse, sive concubitum carnalem illicitum habuisse bis: si post absolutionem reflectitur concubitum unum fuisse cum maritata; sicut debet repetere peccatum illud & explicare fuisse adulterium, sic repetenda est absolutio, quia materia altera est, & alterius speciei, quàm quæ in confessione ante absolutionem explicata erat. *Similiter* dixit quis, se furatum esse 20. asses, post absolutionem autem recordatur se furatum esse 20. florenos, idque Sacerdoti explicat, debet repeti absolutio, quia confessio post absolutionem nova est, novum peccatum continens ratione circumstantiæ aggravatis mixtæ, quia malitia furti & obligatio sequitur gravitatem materiæ, quæ notabiliter excedit.

Dixi tertiò: (*Aut propter peccata quæ tantùm venialia sunt*) quia enim ista non sunt materia necessaria, super illis non debet inordinatè repeti absolutio. Et hoc maximè notandum est scrupulosis, aut nimis condescendentibus Confessariis, qui ad qualibet peccata post absolutionem datam superaddita, etiam quoad circumstantias tantùm aggravantes, pluries absolutionem inordinatè replicant.

CONCLUSIO II.

O*B peccata speciem mutantia, aut mixtas circumstantias quæ malitiam peccati graviter immutant, repetenda est peccatorum absolutio.* Ratio est: quia illa novam materiam novæ confessionis suppeditant, prout superiori Conclusione explicavimus.

QUÆSTIO VII.

An absolutio sacramentalis possit sub conditione dari?

ADvertendũ multiplices posse concipi conditiones quæ formæ sive sententiæ sacramentali adjunguntur, quæ quantùm ad quæstionem præsentem spectant, secundùm tria tempora distingui possunt. Aliæ enim sunt *conditiones præteriti*, aliæ *præsentis*, aliæ, *futuri temporis*. *Conditiones præteriti temporis* sunt, quæ in præterito censentur subsistere, ut: *Si non fuisti absolutus, ego te absolvo*: *Præsentis* autem *temporis* sunt, quæ pro præsenti supponunt, ut: *si es dispositus vel si habeo jurisdictionem, ego te absolvo*. *Futuri* tandem *temporis* sunt, quæ in futurũ adimplendæ reservãtur, ut: *si restitueris vel talem pœnitentiam impleveris, absolvo te.*

CONCLUSIO I.

Regulariter conditio in absolu-

R*Egulariter non licet adhibere conditionem ne quidem mentalem in pronuntianda absolutione.* Ratio est: Quia absolutio est sententia judicialis, sive quæ sequitur judicium & examen sufficiens ad sententiam

ferendam

tione non admittenda.

ferendam. Aut igitur judicatur homo reus sufficienter dispositus, ut in eum sententia gratiæ & absolutionis, sive ad remissionem peccatorum feratur, & tunc absolutè est pronuntianda sententia retentionis, sive condemnationis juxtà judicij veritatem. Et ampliùs declaro: nam judicium de dispositione pœnitentis ad absolutionem, vel est certum, vel dubium, vel opinosum: si sit Certum, absolutè pronuntianda est sententia: si sit Dubium, in dubijs favendum est pœnitenti, in cujus favorem hoc tribunal Sacramentale institutum est, & *In dubijs tutior pars est eligenda, Meliorque est conditio possidentis*; hic autem tutiùs est hominem absolvere, quàm absolutionem negare, & jus ad absolutionem est veluti in possessione peccatoris, in cujus gratiam & favorem est instituta à CHRISTO: quòd si judicium est Opinosum, cùm omni opinioni subsit moralis veritas, quamvis sub formidine oppositi, in favorem tamen Rei semper, etiam in judicio externo inclinandum est, & odium ac pœnæ sunt restringendæ.

Dices: Reddetur absolutio & Sacramentum invalidum, committeturque sacrilegium. *Resp.* Si Sacramentum sit invalidum, non erit ex parte Confessarij, qui hîc & nunc, cùm non possit habere certiorem notitiam, prudenter, & ex debito charitatis nititur remedio in favorem Rei sive peccatoris instituto. Et si sacrilegium committatur ex parte Sacerdotis, materiale tantùm erit peccatum, non formale. A materiali autem non potest sibi semper consulere Confessarius, cùm sæpè super dispositione pœnitentis inculpabiliter falli possit, & ad communes Regulas humanæ prudentiæ tantùm teneatur.

CONCLUSIO II.

Quibus casibus absolutio sub conditione dari possit.

P*Er accidens licet interdùm sub conditione absolvere ob aliquam naturalem perplexitatem.* Explico: Reperio hominem in via vulneratum, vel infirmum animam agentem, nescio an sit Catholicus, vel Hæreticus, signa etiam apparentia sufficienter non habeo de ejus dispositione. Interim agitur de damnatione æterna, & hîc nullum formare possum judicium, nec certum, nec dubium, quia in dubio utrimq; debent rationes aliquæ apparere, minùs opinosum eâdem ratione, sed habeo puram nescientiam, ex qua perplexus sum, nè anima pereat, quam fortè juvare possem: licet tunc mihi sub conditione mentali vel explicita, *Si sis dispositus*, illum absolvere. *Ratio est:* quia in gravi & extrema necessitate ratio charitatis postulat, ut quæcunque remedia, quæ quovis modo, vel quavis etiam incertitudine occurrunt, adhibeamus, modò nobis constet non posse nocere. Hoc modo diximus in lixivio, brodio carnium, vel aliquo mixto, ubi nihil habemus ad manum, nos posse baptizare, quia Sacramenta necessitatis sunt. Quin & in historia Ecclesiastica de quodam refertur, qui in deserto adhibitâ arenâ, cùm deesset aqua, baptizavit: quod medium etsi nullatenùs conveniens esset, illius tamen actus non condemnatur, sed charitatis simplicitas laudatur, imò & is, qui sic baptizatus fuerat, justificatus insinuatur baptismo utiq; flaminis, & ardoris voti. Qui igitur sic in casu necessitatis & perplexitatis utitur conditione in absolvendo, nullam injuriam vel irreverentiam facit Sacramento, & quacunque vi, etsi incerta, consulit, prout hîc & nunc consulere potest necessitati peccatoris.

Aliu casus & frequentior est: Ex naturali inadvertentia perplexus est Confessarius, an dederit absolutionem pœnitenti: ex una parte timet de salute & injuria pœnitentis, si non absolvat; ex altera timet de irreverentia & sacrilegio, si absolutum jam absolvat: potest, imò tenetur conditione conceptâ absolvere, rationibus supradictis.

Doctrina notabilis.

Discrimen inter Dubium & Perplexitatem.

EX dictis advertere debet Sacerdos: aliud in hac materia esse *Dubium*, aliud *Perplexitatem*. Dubium enim est suspensio quædam mentis & judicij de dispositione vel indispositione pœnitentis, de obligatione vel non obligatione Sacerdotis, rationibus utrimque suadentibus, vel dissuadentibus, ita ut in neutram partem homo se resolvere possit. Perplexitas autem non tam est de dispositione, vel indispositione pœnitentis, sive de obligatione Sacerdotis ad absolutionem dandam, sed de peccato vel obligatione succurrendi peccatori, quæ ex dubio nascitur, ex quo homo perplexus manet. *Explico in exemplis allatis:* Confessarius ex hoc, quòd aliqua ratio suadeat, absolutionem à se priùs datam, & alia è contrà dissuadeat, vel potiùs affirmet non datam: Neutrâ ratione sufficiente ad inclinandum in alterutram partem dubius hæret, ex qua dubietate tùm demùm oritur perplexitas; non jam de dubio, sed de peccato, quod imminet, sive unam partem sequatur sive alteram; si enim absolvat, credit se peccare, quia alter jam absolutus est, & sacrilegium committere, eò quòd proferat sententiam nullam, scilicet super materia nulla: si autem non absolvat, exponit peccatorem tantùm fortè attritum, discrimini salutis. Itaque resolutio sequens absolvendi sub conditione, dubium nec tollit, nec resolvit, sed perplexitati duntaxat provider medio meliori, quo fieri potest. Quæ omnia singulariter notanda sunt: potest enim quis manente dubio tollere perplexitatem, & à peccati periculo se liberare. Et conditio adhibita absolutioni non respicit dubitationem præcisè de statu & dispositione pœnitentis, sive de judicio formando circa pœnitentem, sed de perplexitate, quomodò succurratur pœnitenti, & evitetur peccatum. Vide plura in Tit. de Conscientia dubia.

CONCLUSIO III.

Qualis conditio in absolutione adhiberi possit.

C*Onditio, si qua aliquandò sit addenda in absolutione, debet esse de præterito vel præsenti, nullatenùs autem de futuro.* Ex. g. *Si tu es dispositus*, vel, *si te non absolvi*: Non autem, *Si restitueris*, vel *posteà iterùm peccata confessus fueris, aut satisfeceris.* Ratio est: Quia non potest Sacerdos suspendere effectum Sacramenti in futurum: sed ad effectum de præsenti requiritur intentio ut nunc, Cùm enim ex vi verborum gratiam operetur & remissionem peccatorum, statim in ultimo instanti, si non ponatur obex, effectum suum verba sortiuntur. Undè sacrilegæ essent istæ conditiones.

Dices: Non remittitur furtum, nisi restituatur ablatum, ergò licet apponere conditionem *Si restitueris.* *Item:* Non remittitur peccatum, nisi sub conditione, quòd pœnitens satisfactionem adimpleat, vel ea, quæ Sacerdos injungit, faciat; ergò licet sub conditione futura absolvere. *Resp. Neg.* Omnia, quæ assumuntur. Si enim cùm quis confitetur, voluntatem habeat restituendi vel satisfaciendi, &c. absolutè remittitur peccatum, & infunditur gratia absque ulla conditione; si verò non habeat voluntatem, tunc in actuali peccato mortali censetur remanere, & sacrilegam Confessionem facit: quòd si cùm confitetur, habuit voluntatem restituendi & satisfaciendi, postmodum autem ex sua culpa id non faciat, peccat novo mortali peccato, & nihilominùs semper restitutioni & satisfactioni obligatus remanet.

QUÆSTIO VIII.

Quo tempore danda sit Absolutio?

Absolutio statim danda.

R*Egulariter danda est absolutio statim confessione & iis, quæ ad illam spectant & ordinantur, absolutis.* Conclusio clara est. Est enim absolutio totius judicii complementum, unde perfectis iis, quæ ad judicium Sacramentale spectant, non est quòd Sacerdos absolutionem remoretur; imo peccabit remoras sine causa prætexendo; hoc enim non modò periculosum est, sed etiam in gravem pœnitentis injuriam cederet, dum sæpiùs ad illud tribunal accedere teneretur, aut diversis tergiversationibus vexaretur.

Dixi (*remoras sine causa prætexenda*) aliquando enim differri potest absolutio causâ examinis necessarii, aut dispositionis requisitæ in peccatore conciliandæ. Quomodo quis generalem sacerdotum confessionem instituens, pluribus diebus confessionem instituit, & ultimo die completâ confessione absolutionè recipit. Et in similibus casibus & causis dilationes sententiæ indulgendæ sunt; modo tamen absit periculum vel mortis, vel alicujus impedimenti, quo minùs absolutio posteà utiliter illi conferri possit. Undè sit:

CONCLUSIO II.

Absolutio super confessione dimidiata.

I*N casu periculi apparentis tenetur Confessarius, etiam super dimidiatam confessionem absolutionem pronuntiare.* Ratio est: Quia consulendum est saluti peccatoris, quæ (si differatur absolutio) supponitur periclitari, nec integritas materialis confessionis hic & nunc requiritur.

Ex quo sequitur: Quòd, qui ad infirmum periclitantem ob instantem mortem accedit, debeat aliquot peccatis confessis absolutionem illi impertiri, nè subito expiret: qua absolutione data, si supervivat, & confessionem prosequi possit, tunc residuum audiatur. Et hic casus in naufragii periculo frequentissimus est, ubi uno aut altero peccato proposito datur absolutio, reservando cætera confitenda in tempus opportunum, si peccator naufragium evadat.

QUÆSTIO IX.

An interdùm dari possit sententia interlocutoria in hoc tribunali?

S*Ententiam interlocutoriam vocant, quæ totam causam non absolvit seu definit, sed tantùm aliquam ejus partem, sive membrum, aut incidentalem quæstionem.*

CONCLUSIO I.

Non datur sententia interlocutoria quoad effectū

N*Unquam datur in hoc tribunali sententia interlocutoria quoad effectum.* Ratio est: Quia qui absolvitur, ab omnibus absolvitur, cùm unum peccatum absque altero remitti non possit.

CONCLUSIO II.

Datur sententia interlocutoria quoad materiam remotam.

D*Atur sententia interlocutoria in hoc tribunali quoad materiam remotam, sive peccata.* Explico. Est aliquis, qui peccata habet, quæ sufficienter explicare non potest, & de quibus consequenter Confessarius judicium sufficiens non potest ferre. In hoc casu potest dare absolutionem directè super confessis, indirectè autem super aliis, & obligare pœnitentem ad subeundum alterius iterum hoc tribunal ad confitenda peccata, quæ istâ vice explicare non potuit. *Ratio est*: Quia ut aliquando monuimus, integritas materialis non est de essentia confessionis, & (ut supponitur) Confessarius causam habet ulteriora examinandi, ad quæ commodè non potest nunc respondere pœnitens, nec Confessarius eorum sufficientem nancisci notitiam.

Dices: Differat absolutionem, donec omnia peccata explicaverit pœnitens. *Respondeo*: Frequenter vel non posse (ut diximus in periculo mortis) vel non expedire, ut quia pœnitens debet vel celebrare, vel communicare, aut Sacramentum aliud suscipere, aut ministrare, vel ob similes casus, & causas occurrentes, in quibus magis expedit absolvere, quàm absolutionem differre.

TITULUS III.

De sententia Condemnationis sive Retentionis.

QUÆSTIO I.

Quotuplex sit Rei condemnatio in hoc tribunali?

CONCLUSIO UNICA.

Condemnatio privativa.

D*Uplex est condemnatio Rei in hoc tribunali; alia est Privativa, alia Positiva.*

Privativa dicitur, qua Sacerdos judex in hoc tribunali ob indispositionem peccatoris simpliciter negat absolutionem, sive judicat eum absolutione indignum. Et hoc est propriè *Retinere peccata*, juxtà illud: *Quorum retinueritis peccata retenta sunt.* Illa enim dicuntur propriè retineri, super quibus negatur absolutio, estque effectus sententiæ hujus tribunalis, quotiescunque ex confessione vel cognitione status peccatoris, peccator ex declaratione judicis ab absolutione repellitur, & velut condemnatur. Undè hæc condemnatio distinguitur à pura negatione absolutionis. Peccator enim, qui ad hoc tribunal non accedit, etsi ipsius peccata negativè dicantur non remissa; negatio tamen illa non est effectus hujus tribunalis; quando verò accessit, & judicio Sacerdotis est repulsus, tunc est hujus tribunalis effectus privativus, quia absolutè gratiâ remissionis, quam postulabat, privatur, & tanquam indignus condemnatur.

Joan. 20. vers. 23.

Condemnatio positiva.

Positiva Condemnatio sive Retentio dicitur: Quando etsi peccator à culpa & pœnæ æternitate per sententiam absolutionis liberetur, ipsi tamen sententia aliqua sive pœna & satisfactio injungitur, & aliquibus interdùm obligationibus à judice gravatur, quibus sub novo peccato satisfacere tenetur.

Undè hîc duplex pœna consideranda est: Altera qua pœnitens pœnis residuis propter peccata in hoc mundo vel in purgatorio debitis satisfacit. Altera qua obligationibus ex peccatis oriundis satisfacere tenetur, sicut in furtis restitutio bonorum, in detractionibus restitutio honoris, in publicè peccantibus scandali reparatio, in odio & inimicitia reconciliatio, & id genus, quæ imponi debent à Confessario, & ex natura peccatorum pœnitentem obligant.

QUÆSTIO II.

In quibus casibus possit, vel teneatur Sacerdos sententiam condemnationis ferre in peccatorem negando absolutionem?

CONCLUSIO I.

Quandò neganda absolutio.

Q*Uandocunque ex notitia in confessione habita Confessarius certò advertit indispositionem aliquam in peccatore, quæ opponitur fini Sacramenti, vel obicem ponit ejus effectui, tenetur ei denegare absolutionem.* Ratio est: Quia tenetur sacrilegium impedire, & justam sententiam ferre juxtà notitiam in confessione habitam; cùm igitur supponatur peccator indispositus ad finem vel effectum Sacramenti, consequenter judicatur indignus; si indignus, ergo justissimè non absolvendus: nam teste Scriptura Isai. 5. *Væ qui justificatis impium.* Et Psal. 81. *Usquequò judicatis*, id est, approbatis *iniquitatem, & facies peccatorum sumitis!*

Isai. 5. vers. 23.
Psal. 81. vers. 2.

Dixi (*certò advertit*) si enim dubius tantum sit de indispositione, in favorem peccatoris judicandum est, & absolvendus.

Dixi (*ex notitia in confessione habita*) non enim in hoc Sacramento potest Confessarius sequi notitiam extra sacramentalem, si contradicat pœnitens, & si in contradictione persistat, absolvendus est. Credendum enim est in hoc tribunali pœnitenti tam pro se, quàm contra se, quia ipse accusator est & testis. Et sicut in foro externo judex non potest judicare secundùm privatam suam scientiam, sed debet ex allegatis & probatis in suo tribunali sententiam ferre; ità similiter judex Sacramentalis sive Confessarius ex allegatis & testificatis ab ipso pœnitente debet procedere, non autem ex propria notitia.

Undè prudenter notandum est: Quòd quamvis ex notitia externa, quam habet Confessarius, possit recusare audire confessionem peccatoris, quia scit externâ notitiâ illum indispositum, si tamen audiverit ejus confessionem, & ex illa non advertit certò illum indispositum, etsi privatâ externâ notitiâ sciret illum indispositum, tenetur absolvere, ob rationes immediatè allegatas.

Corollarium.

Quandò teneatur Confessarius etiam dubius dare absolutionem.

E*X quibus, Infero primò*: Confessarium peccare, si neget absolutionem pœnitenti, qui confessus est, ob solam dubiam ejus indispositionem, si pœnitens petat & urgeat absolvi. Ratio est: Quia *in dubiis melior est conditio possidentis*, pœnitens autem factâ confessione possidet jus ad absolutionem, quamdiu certò non constat judici quod sit indignus, cùm hoc tribunal in ejus favorem sit institutum.

Dixi tamen (*si pœnitens petat & urgeat absolvi*) potest enim Sacerdos ei consulere & suadere, ut expectet, donec se melius disposuerit, & sic acquiescentem remittere.

Ob externam notitiam Confessarius non potest negare absolutionē.

Infero secundò, Quòd Confessarius externam notitiam habens de peccatis pœnitentis vel indispositione, quam pœnitens negat, ubi illum sufficienter monuerit & examinaverit, non debet contestari, sed remittere ipsius conscientiæ, & tanquam nescium se gerere, & ad absolutionem procedere, si pœnitens urgeat. *Explico exemplo.* Vidit Confessarius Petrum percutientem proximum, vel furtum committentem: Petrus accedens ad illum, & ei confitens, negat percussionem vel furtum, etsi examinetur, & dicat ei Sacerdos, se vidisse, tenetur Confessarius, si Petrus perseveret

veret in negando, illum absolvere, quia illi in hoc tribunali pro se, sicut & contrà se est credendum, ut diximus. Nec obstat quòd viderit eum peccantem, notitia enim illa ei in aliquo hic deservire non potest nisi ad examen, & aliàs fieri potest, ut putet Petrus se justè percussisse, aut rem alienam per compensationem justam accepisse, undè & percussionem & furtum potest negare sub ratione peccati, sub qua sola est interrogandus à Confessario.

CONCLUSIO II.

Indispositiones ratione quarum neganda est absolutio.

INdispositiones, ratione quarum tenetur Sacerdos absolutionem negare, sunt ferè sequentes: Defectus patens in confessionis formali integritate, in Attritione, in Proposito emendæ, Restitutionibus, Reparationibus scandalorum, Reconciliatione cum inimicis, Occasionibus proximis fugiendis, Obedientia ad satisfactionem congruam suscipiendam, recidiva continua non interpolata, quâdam etiam in persona deprehensâ fatuitate, vel quia nullum reale peccatum in singulari proponit; sed tantùm generales quosdam modos, qui nihil explicant, sed justis & injustis sunt communes. *Ex. g.* dicentes: non egi gratias Deo, ut debui, divinis gratiis non correspondi, & similia, quæ tam justus, quàm injustus affirmare semper potest ob quæ animus non potest dici verè à peccato aversus, & ad Deum conversus, sive dispositus ad hoc Sacramentum.

Dices: Apud Doctorem subtilem Scotum in 4. dist. 15. qu. 1. num. 14. permittitur pœnitenti recusare omnem pœnitentiam, modò satisfacere velit residuo pœnarum debitarum in purgatorio. *Resp.* Subtilitatem esse merè speculativam, & in praxi nullatenùs tutam: etsi enim concludat de satisfactione pœnarum simpliciter in foro Dei, quam debet peccator vel in hoc mundo vel in alio adimplere: non tamen concludit de satisfactione ut est pars integralis Sacramenti, & cujus susceptio ad integritatem Sacramenti spectat. Undè *dico*: Etsi pœnitens quoad forum Dei possit recusare pœnas, & se resolvere ad satisfactionem in igne purgatorii: quo ad forum tamen Sacramenti, gravem irreverentiam faceret Sacramento, redderetque illud mutilum parte integrali, ac non minùs mortaliter peccaret, quàm qui ex propria voluntate culpabiliter omitteret partem integralem sacrificii. Quod ergò Doctor subtilis subtiliter concludit, est, quòd qui pœnitentiam Sacramentalem respueret, essentiam Sacramenti non læderet, tamen læderet non sine mortali peccato ejus integritatem.

QUÆSTIO III.

An Confessarius possit immutare, vel dispensare in pœnitentia ab alio Confessario imposita?

IN variis varia legi, quæ confusionem potiùs pariunt, & materiam altercationis ministrant, quàm resolvant. Quæstio tamen in praxi necessaria est, cùm Confessarii modò inveniant summas difficultates & offendicula in pœnitentiis impositis, quibus animæ in profundum inferni demerguntur. Nolo, sicut à principio protestatus sum, cum ullo Auctore, sicut nec manum, sic nec calamum conserere. Sufficit mihi, magisq; placet extrà pulverulentam disputationem veritatem contemplari. Primò igitur nonnulla velut resolutionis totius difficultatis fundamenta eruemus: demùm distinctè erutâ veritate, illam adstruemus, iis salvis, quæ diximus *Tract. 4. Tit. 7. de Satisfact. Quæst. 6.*

Prænotanda.

ADvertendum itaque est, quæstionem esse posse *Primò*, de immutanda extrà confessionem pœnitentia à Confessario in confessione imposita, vel de immutanda in alia Sacramentali confessione. *Secundò*, de immutanda ab eodem Confessario, vel ab alio. *Tertiò*, de immutanda repetitis & auditis iterùm iisdem peccatis, pro quibus pœnitentia est imposita, vel simpliciter absque eo quòd pœnitens repetat peccata priora, sed tantùm de commissis ab ultima confessione confiteatur. *Quartò*, de immutatione, quæ fit à Superiore Confessarii, vel ab Inferiore. His enim ferè fundamentis innititur opinionum varietas. *Pœnitentiarum varia immutationes.*

Secundò advertendum est, Pœnitentiam per sententiam Confessarii ut judicis impositam, esse partem integralem illius in individuo Sacramenti & judicii, in quo est imposita.

Tertiò advertendum est, Variè dici posse immutari pœnitentiam ab alio, vel in alia confessione impositam. 1. Judicando pœnitentem ad illam non potuisse adstringi, utpotè, quia injusta vel indiscreta, vel quia offendiculum ponit pœnitenti, estque vel inutilis, vel damnosa, sive damnum oriatur ex fragilitate personæ, cui imponitur, sive ex aliis circumstantiis. Hæc enim ferè obvia sunt in pœnitentiis impositis à diversis, qui vel rem, vel personas, vel circumstantias non attenderunt, sed quasdam regulas generales sequuti sunt. 2. Absolutè in prima pœnitentia dispensando, & aliam imponendo, quæ credatur utilior. 3. Simpliciter & absolutè à priori pœnitentia imposita pœnitentem liberando nullâ aliâ impositâ. *Varia causa pœnitentiam mutandi.*

Advertendum quartò, Triplices considerari posse pœnitentias. Aliæ sunt, quæ ex natura peccati imponi necessariò debent, suntque potiùs pœnæ & obligationes peccatum consequentes, quàm ex libertate judicii impositæ, quia etsi non imponerentur, tamen obligant. Imponi autem debent ex natura judicii, & correlativo, quod habet ad peccata debitè punienda. Talia sunt restitutiones bonorum, famæ, damnorum, reconciliatio animorum in odiis & inimicitiis. Aliæ sunt pœnitentiæ punitivæ: ut si gulosus jejunio, libidinosus cilicio, negligens vigiliâ mulctetur. Aliæ sunt medicinales: ut frequentatio Sacramentorum, concionum, orationum, peregrinationum, & ad impetrandam Dei misericordiam, & imprimendos exercitatione spirituali contrarios habitus adversùs vitia & humanas fragilitates, clavus enim *Varia pœnitentia.*

nim clavo pellitur,& pietas impietatem expellit. Hæc porrò duo postrema membra aliquandò in eodem conveniunt, aliquandò disparantur,ut infrà patebit.

Sacramentum pœnitentiæ in favorem pœnitentis institutum. *Advertendum quintò*,Hoc judicium (ut sæpiùs repetitum est in varijs locis) in favorem pœnitentis & peccatoris esse institutum primariò, ut à peccatis & æterna damnatione liberetur: Primarius enim finis est absolutio à peccatis,& justificatio peccatoris. Undè in hoc differt à judicijs civilibus & politicis: quòd judicia politica & civilia criminalia pro fine habeant malorum exemplarem punitionem, & Reipublicæ conservationem per externam vindictam. Hoc autem judicium & tribunal Sacramentale finem habet, animarum & peccatorum salutem, & non tam per vindictam,quam per misericordiam & Dei gratiam, ac cœlestis Ierusalem in electis suis conservationem exercitus,ut insinuat Concil.Trid sess,14.c.8.juxtà illud Pauli: *Fidelis sermo,& omni acceptione dignus, quòd* CHRISTUS JESUS *venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Et 2.ad Cor.5. *Posuit in nobis verbum reconciliationis, pro* CHRISTO *ergò legatione fungimur.* *1.ad Tim. 1.v 15.* *2. Cor.5. v.19.20.*

Quem finem *pro conservatione cœlestis Ierusalem* S. Petrus explicans 1. ep c. 1. *Benedictus* (inquit) *Deus & Pater Domini nostri* JESU CHRISTI,*qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem* JESU CHRISTI *ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem,conservatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei custodimini, perfidem in salutem paratam revelari in tempore novissimo.* In quibus verbis noto principium totius,esse *misericordiam magnam*,finem esse *hæreditatem*,quæ & conservatur in cœlis,& in nobis,&quæ non obstantibus fumis peccatorum & incertitudine humanâ, revelabitur in tempore novissimo. Quæ singula indicant omnia,quæ electo peccatori obveniunt, esse puræ misericordiæ, & referri in ultimam hæreditatem. Undè in hoc differt tribunal externum justitiæ civilis vel politiæ cujuslibet ab hoc tribunali: quòd in civili,siquid vindictæ fit, ab extrinseco inferatur: in tribunali autem Sacramentali,quidquid vindictæ est, ità pœnam infligit, ut in interiori homine effectum habeat,& sanitatem operetur: percutit enim ut sanet,occidit,ut vivificet, ad inferos deducit ut reducat. *1 Pet.1. v.3.4.5.*

Judicia non distinguntur personis,sed authoritate, &c. *Advertendum sextò*,Judicia non distingui personis,quæ judices sunt: sed auctoritate, jurisdictione,ac legibus Principis, qui judicia instituit. Undè si ab eodem Principe in eadem Republica plura tribunalia constituerentur eâdem auctoritate, ijsdem numero legibus, eâdem jurisdictione,ijsdem subditis,nil referret, ubi quis judicaretur, vel à quo justificaretur, vel condemnaretur. Hoc particularius est in hoc tribunali Sacramentali: etsi enim innumeri pene sint judices, quibus à CHRISTO per se insufflante in Discipulos, & à Petro & ejus Successoribus est data potestas remittendi peccata: unicum tamen est in universo tribunal,& eâdem substantiâ,auctoritate, legibus,jurisdictione, ac formali ratione subditorum fundatum, sicut & unum baptisma,una fides, & unus Deus. Quod clare demonstro: uno enim,semper ordinis Sacramento omnes Sacerdotes uniformiter initiati sunt: unam potestatem à CHRISTO datam per verba (*Quorum remiseritis peccata,remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*) omnes accipiunt: jurisdictionem uniformem per Petrum Vicarium CHRISTI & Episcopos acquirunt: subditos eosdem, nimirùm homines baptizatos, Ecclesiæ Dei membra nanciscuntur: per accidens enim est respectu tribunalis,quòd unus uni diœcesi præsideat,alter in universa Ecclesia ubique judicet, unus ordinariam potestatem accipiat, alter delegatam, unus universaliter in omnia peccata vim suæ potestatis exerat, alius reservatam & restrictam consequatur: hæc enim pertinent ad Petrum & CHRISTI Vicarium, qui ut Reipublicæ Christianæ sub CHRISTO caput, diversimodè debet magnum illud corpus (quod est regnum CHRISTI) dirigere, partitione factâ ejusdem potestatis per judices varios,supremos,subalternatos, infimos, ordinatios,delegatos,&c.quæ in substantia non est nisi unica eademque potestas per multos variè dispertita,sub ijsdem tamen proportionatè legibus modisque. His ità prænotatis per singula pono Conclusiones resultantes. *Ioan 20. vers.23.*

CONCLUSIO I.

Non potest immutari pœnitentia extrà Sacramentum. Non potest Confessarius, *vel idem qui pœnitentiam imposuit,vel alius,pœnitentiam in hoc tribunali impositam extrà Sacramentum immutare.* Ratio est: Quia impositio pœnitentiæ Sacramentalis ut pars integralis pertinet ad sententiam tribunalis Sacramentalis,ideoque neque primò imponi,neque posteà immutari potest, nisi in ipso tribunali,aliàs invalidè imponitur, & invalidè immutatur.

Advertendum tamen est ut censeatur imponi vel immutari in tribunali, non esse necesse, ut quis in loco judicij sive confessionali sedeat tanquàm confessionem auditurus;sed sufficere, ut actus sint Sacramentales, nimirùm: ut Confessarius tanquàm Confessarius pœnitentem sua proponentem Sacramentaliter audiat,&ut pœnitens sua Sacramentaliter proponat Confessarij judicio Sacramentaliter resolvenda. *Explico:* Pœnitens,ubi Confessarius à confessionali recessit, oblitus est pœnitentiæ impositæ, aut fortè Confessarius ex oblivione oblitus est imponere: accedit pœnitens ut Confessarium super pœnitentia vel non imposita vel oblita conveniat; non est necesse ut Confessarius ad confessionale revertatur, aut aliâ cæremoniâ utatur,ut sedendo,&c. ad hoc ut cùm jam recessit à confessionali, indicet pœnitenti pœnitentiam impositam,aut immutet; sed sufficit ut pœnitens innuat se habere aliquid pertinens ad confessionem,& Confessarius ut actum Sacramentalem suscipiat, & resolutionem velut in Sacramento donet. *Ratio est:* Quia illæ cære-

mo-

moniæ non sunt de essentia vel substantia hujus tribunalis, & aliàs ad vitandam aliquam verecundiam breviter per actum Sacramentalem potest Confessarius supplere, quod oblivione omissum est in confessione primaria, sive fuerit ex sua parte, sive ex parte pœnitentis.

CONCLUSIO II.

Confessarius à se impositam pœnitentiam potest immutare.

Potest Confessarius, sive in ordine ad primam confessionem, sive in altera, ex prudenti judicio immutare, revocare, vel etiam dispensare in pœnitentia à semetipso imposita, modò id fiat vel in ipsa confessione, vel saltem actu Sacramentali ad hoc tribunal spectante, ut superiùs exemplificatum est. Ratio clara est: quia ipse est judex, ad quem causa delata est, adeoque ad eum pertinet de pœnitentia disponere.

Dices: Jam pœnitentia supponitur in præterito imposita tanquàm pars integralis prioris confessionis sive Sacramenti & judicij in suo individuo completi, ergò nihil ampliùs circà illam immutari poterit. *Resp. neg. Conseq.* Nihil enim impedit, quò minùs circà actus judicij etiam diffinitivâ sententiâ prolatâ posteà aliquid immutetur, si reus ad idem judicium iterùm recurrat, sive per revisionem, sive per postulationem gratiæ, sive per declarationem aliquam ulteriorem, vel manifestationem alicujus conditionis & circumstantiæ, ratione cujus expediat de sententiæ effectu, pœnis impositis & alijs aliter disponere. Hoc enim frequenter in judicijs civilibus contingit. Ità conformiter in hoc Sacramento, & eò magis, quò hoc tribunal & omnia, quæ in eo fiunt, in favorem pœnitentis sunt ordinata. Sicut enim impositâ jam pœnitentiâ in eadem confessione potest pœnitens supplicare pro immotatione, vel revocatione allegatis causis rationabilibus, sic post confessionem sentiens se pœnitentiâ nimis importunâ gravari, ad eundem judicem potest recurrere, ut ab eodem immutetur, ità tamen ut ille recursus, sicut & immutatio sint actus Sacramentales.

CONCLUSIO III.

Confessarius alter potest in terdum pœnitentiam immutare, &c.

Potest quilibet alius Confessarius (si pœnitens peccata vel summatim causæ impositæ pœnitentiæ in confessione repetat) pœnitentiam aut injustam, aut indiscretam declarare, vel si notet illam pœnitenti esse damnosam, inutilem, aut inconvenientem, illam immutare, imò interdùm omninò tollere. Ratio est: Quia, ut supponitur, pœnitens ejus judicio Sacramentali se sistit, & causas suas judicialiter ac sacramentaliter exponit, ergò Confessarius juxtà prudens judicium de illo & vinculis, ac obligationibus ejus ratione peccati contractis, potest plenè disponere, in quantum potestati ejus subjiciuntur. Cùm autem pœnitentiæ in Sacramento impositæ sint quasi obligationes, & vincula præcedentium peccatorum, sicut peccata priora possunt subjici ejus judicio, sic possunt & obligationes ista peccata consequentes, ac pœnitentiæ pro peccatis impositæ, eidem per omnia submitti, ut de illis pruden-ter secundùm allegata & probata à pœnitente, disponere valeat.

Dices: Hæc pænitentia, ab hoc Confessario in hoc confessionis Sacramento imposita, est pars integralis hujus præcedentis Sacramenti; atqui non licet mutilare Sacramentum sui parte integrali: ergò non licet istam pœnitentiam immutare, aut tollere. *Resp. neg. Conseq.* Ad *Antecedens* dico, hanc pœnitentiam non tam esse partem integralem Sacramenti hujus, quàm impositionem pœnitentiæ, sive obligationem ad pœnitentiam adimplendam, quæ obligatio semper conjunctam conditionem continet, nimirùm, nisi à principe per gratiam specialem remittatur, aut ab habente potestatem tollatur, aut immutetur in alio judicio, ad quod pœnitens pro sua necessitate ex causâ recurrat: sicque dato quòd immutetur aut tollatur legitimâ authoritate pœnitentia priùs imposita, non infertur mancum fuisse priùs judicium, quia reverà judex pænam imposuit, & obligatio ex impositione pœnæ nata est: sine præjudicio autem sententiæ & judicij, posteà ex causâ rationabili in alio tribunali ejusdem potestatis vel à principe tolli potest, ut in civilibus contingit, in quibus aliquandò tres sententiæ conformes requiruntur, interdùm revisio causæ sententiam immutat, interdùm indulgentia principis à pœnis per sententiam impositis absolvit. Id autem manifestè declaratur ex indulgentijs, quæ à Pontificibus de injunctis, & aliàs injungendis pœnitentijs dantur. Quid enim illæ indulgentiæ aliud sunt, quàm ablationes pœnarum, quæ injunctis pœnitentijs, vel injungendis correspondent? Modò autem vix injunguntur pœnitentiæ, nisi in Sacramentali foro. Stat itaque sententia mea: In Sacramentali tribunali posse immutari, ratificari, tolli, augeri pœnitentias ab eodem sive ab alio impositas, modò causa rationabilis in confessione cognita id requirat: non tamen pro libitu & voluntate, sed ex judicio formato. Pro quo iterùm sit:

CONCLUSIO IV.

Non tenentur repetenda peccata, ut immutetur pœnitentia.

Non tenetur regulariter pœnitens postulans immutationem pœnitentiæ, vel ejus sublationem, repetere peccata, vel informare Confessarium de causis, ob quas pœnitentiæ sunt impositæ, nisi de justitia impositæ pœnitentiæ sit controversia. Ratio est: Quia immutatio pœnitentiæ vel ejus abolitio non petitur semper ex justitia, vel obligatione injustæ impositionis, sed frequenter ex gratia, ob impossibilitatem vel gravem incommoditatem illam adimplendi, aut quia offendiculum est, & periculum peccandi inducit. Cùm igitur liceat petere gratiam simpliciter à judice legitimo, poterit & judex legitimus ex gratia speciali occurrente causâ rationabili à pœnitentia liberare. *Explico*: Pœnitens acceptavit jejunia & graves pœnitentias ex bona primùm voluntate, vel ex simplicitate cordis timens eas recusare; posteà advertit jejunia sibi nocere, ex fragilitate se sæpiùs illa omittere, de uno peccato in alterum labi, inquietudinibus opprimi: potest ad ob-

vium

vium quemcunque Confessarium approbatum recurrere, ut levamen accipiat, & pœnitentiæ immutationem, vel abolitionem obtineat. Cùm enim (ut superiùs annotatum est) sit idem judicium ejusdem potestatis, ab eodem institutore procedens, quod apud unum judicem fieri potest, apud alterum similiter eàdem potestate utentem, fieri posse convincitur, expositis ijmirùm causis, vel à Confessario notatis, ob quas expedit dispensationem, vel pœnitentiæ immutationem facere.

Dixi (*nisi de justitia pœnitentiæ sit controversia*) si enim ex hoc capite dispensandum fuerit, vel aliquid in pœnitentia immutandum, pœnitens causas aperire debebit. Scio me debuisse sæpiùs causas pœnitentiarum exquirere, quas deprehendi scrupulosè & indiscretè impositas, ità ut judicarem Confessarium peccâsse graviter ob pericula, quibus absque causa pœnitentem exposuerat.

CONCLUSIO V.

Obligationes peccatis adjunctæ mutari nequeunt. **P**Oenitentiæ, *sive potiùs obligationes ex natura peccatorum natæ, & à Confessarijs declaratæ, nec à Confessario, nec ab ullo alijs dispensari vel immutari possunt, si fundamentum obligatorium non tollatur.*

Explico: Imposuit Confessarius legitimè restitutionem bonorum, famæ, reconciliationem inimicitiarum, vitationem proximæ occasionis peccandi, posito quòd fundamentum remaneat, utpotè: injustitia, odium, proxima peccandi occasio, non potest immutari pœnitentia: illa enim pœnitentia non tam pendet ab impositione Sacerdotis, quàm à natura rei, & obligationis, quam solùm declarat, non propriè imponit Sacerdos: Unde

Dixi notanter. (*si fundamentum obligatorium non tollatur*) propter obligationes, quæ ex voto aut juramento aut hujusmodi nascuntur; si enim per dispensationem, aut commutationem auctoritate legitimâ factam, votum ipsum tollatur, aut immutetur, jam voto sublato, tolluntur & obligationes in voto &c. fundatæ.

Hæc latiùs repetij, quæ tamen omnia ferè eodem modo proposueram Tract. 4. Tit. 7. Quæst. 6. Quia incidi in doctissimum Joannem Sanchez in selectis disputationibus Disp. 14. qui in multis contrarius est, & rigidus nimis absque debito fundamento, idcircò placuit repetere ea, quæ tamen credebam sufficienter dicta, ut distinctiùs fundamenta meæ sententiæ aperirem.

QUÆSTIO IV.

An confessio possit sub satisfactione, seu pœnitentia Sacramentali imponi?

HAnc quæstionem movet iterùm Joannes Sanchez *suprà Quæst.* 13. affirmans, etiam confessionem repetitam eorundem peccatorum posse in satisfactionem imponi.

CONCLUSIO I.

Confessio Sacramentalis pro pœnitentia imponi potest. **C**Onfessio per se & simpliciter potest in satisfactionem imponi, supposito quòd pœnitens saltem peccata venialia habeat, qua confiteatur. Ratio est: Quia confessio est opus bonum & pœnale, ac consequenter satisfactorium.

Dixi (*supposito quòd peccata saltem venialia habeat*) etsi enim peccata venialia sint materia tantùm voluntaria Sacramentalis confessionis, hòc ipsò tamen quòd eorum confessio ex præcepto imponitur, fiunt materia necessaria, non in ordine ad remissionem peccati per absolutionem Sacramentalem, sed in ordine ad obligationem præcepti, & pœnitentiæ adimpletionem, sicut & alia opera voluntaria: quemadmodum enim si in Bulla indulgentiarum ut jubilæi specialiter inter opera ad lucrandam indulgentiam præcipiatur confessio peccatorū, tenebitur quis etiam cum solis venialibus confiteri, si indulgentiam lucrari velit; sic si Sacerdos simpliciter pro pœnitentia imponat confessionem, modò venialia habeat, tenebitur confiteri ad adimplendum mandatum & sententiam. Qui enim ponit confessionem pro pœnitentia; supponit saltem haberi materiam voluntariam ad illam pro tempore, quo imponit.

CONCLUSIO II.

Repetitio peccatorū absolutorū pro pœnitentia imponi non potest. **N**On potest Confessarius imponere repetitionem peccatorum jam absolutorum per se, in pœnitentiam Sacramentalem. Ratio est: Quia etsi confessio illa esset opus bonum & pœnale, cedit tamen in injustum gravamen pœnitentis, maximè ubi peccata graviora repeti deberent. Constans est enim omnium Doctorum sententia, quod nemo teneatur bis eadem peccata confiteri, ubi legitimè semel clavibus fuerint subjecta, nequidem ex præcepto Confessarij: est enim secundò se infamare, quæ infamia etsi ad alios non transeat, gravem tamen verecundiam causat. Deindè peccata homini confiteri ità pertinet ad præceptum Divinum specialiter, ut ab homine imponi non possit, undè nec à Deo quidem impositum censetur, nisi in ordine ad absolutionem peccatorum, quæ absque confessione per Sacerdotem confessi non potest. Qua ratione igitur Confessarius repetitionem peccatorum absolutorum imponere poterit, absque vestigio aliquo potestatis sibi à Deo specialiter factæ, cùm jam absoluta censeantur?

Nec est idem de venialibus nondùm confessis, actus enim pius & utilis est ad eorum remissionem ordinatus in favorem pœnitentis absque illius gravamine, cùm possit quodlibet confiteri alijs omissis absque ullo onere.

Dixi in Conclusione (*per se*) ex accidenti enim potest imponi peccatorum repetitio in alia confessione, ut quia necdùm planè examinata & explicata sunt, ob quod circumstantias aliquas ex judicio Confessarij requisitas, quæ ad certiorem eorum remissionem repeti debent.

Undè ad rationem à doctissimo Joanne Sanchez propositam: quòd confessio illa repetita habeat omnia, quæ requiruntur ad opus satisfactorium, *Respondeo*: Non omnia opera bona

bona satisfactoria posse in pœnitentiam sacramentalem injungi à Sacerdote; possunt enim aliqua quantumvis in se bona & pœnalia, esse incongrua & indiscreta, aut periculosa, qualis esse potest confessio illa repetita peccatorum.

CONCLUSIO III.

Qualiter imponatur confessio frequentior in pœnitentiam.

QVando imponitur confessio frequentior ut bis terve in mense, non tam attenditur ipsa confessio, quàm ejus usus & frequentatio ac utilitas & medicina indè pœnitenti obveniens, & ubi nil aliud exprimitur, supponitur habere peccata saltem venialia necdùm confessa, à quibus nunquam homo liber existit cùm septies in die cadat justus. Patet Conclusio ex sensu totius Ecclesiæ, quæ nequidem annualem confessionem præcipit nisi supposito quòd homo isto tempore peccaverit ut tradunt Doctores de confessione annua agentes.

QUÆSTIO V.

An possit confessarius imponere pœnitentiam pro animabus purgatorii persolvendam, ut recitare vigilias mortuorum?

HAnc iterùm quæstionem movet Joannes Sanchez q. 16, negans id fieri posse: cùm enim pœnitentia sacramentalis à Confessario imposita, ordinetur ad satisfactionem pro ipso pœnitente, sive ad diminutionem pœnæ peccatis suis debitæ, incongruè applicaretur alteri, & consequenter etiam defuncto.

Advertendum primò. In opere quolibet bono in gratia facto tria reperiri, videlicet, *meritum, satisfactionem*, & *impetrationem*: Meritum alicujus portionis gloriæ, satisfactionem pœnæ peccatis debitæ, & impetrationem beneficii alicujus à Deo.

Advertendum secundò. In opere satisfactorio in pœnitentiam à Sacerdote imposito, duplicem satisfactionem reperiri: Alia est *ex opere operato*, quæ respondet operi quà sacramentale est, & virtute Sacramenti elevatur: Alia est *ex opere operantis*, quæ respondet operi & æstimationi ejus juxta hominis fervorem & charitatem.

CONCLUSIO UNICA.

Fructus pœnitentiæ ex opere operantis applicari potest defunctis.

FRuctus satisfactorius in pœnitentia imposita ex opere operantis procedens, potest applicari fidelibus defunctis etiam de mandato Confessarii, cui acquiescere debet pœnitens: Et hoc est quod antiquæ praxes pœnitentiarum indicant: Habent enim illa opera præter bonitatem propriam, quandam charitatis diffusionem, quâ homo pro peccatis suis satisfaciens, etiam ad proximum diffunditur. *Ex. gr.* do eleëmosynam pauperi: per istud opus & mea peccata redimo, & proximi indigentiæ consulo: Sic in satisfactoriis pœnitentiis imponit Confessarius Sacerdoti pœnitenti, ut pro defunctis celebret tres Missas: Sacerdos illas celebrans sibi acquirit portionem, quæ ex vi sacrificii ipsi celebranti ex opere operato debetur, & portionem quæ ex vi operis per Sacramentum pœnitentiæ elevati, oritur: Fructum autem Missæ qui cæteris pro quibus celebratur applicari solet, tenetur ex vi præcepti Sacerdos applicare defunctis.

Quod & clarissimè exemplificatur de pœnitente, qui tenebatur officium Defunctorum pro defuncto certo tempore legere, & non legit, si Sacerdos illi pro pœnitentia illud legendum imponat, absque alia pœnitentia: Certum *primò* est, pœnitentem priori obligationi per hoc satisfacere. *Secundò*, certum est: officium illud Defunctorum sic ex priori obligatione impositum, defuncto prodesse, quia ad illud priùs habebat jus. *Tertiò*, certum est, pœnitentem per hoc sacramentalem pœnitentiam adimplere, & cùm sacramentalis pœnitentia ex opere operato partem pœnæ debitæ pro peccatis diminuat, consequenter dicendum est illam diminutionem pœnitenti deberi. Ex his patet responsio ad rationem in contrarium propositam.

QUÆSTIO VI.

An possit peccatori imponi pœnitentia publica?

CONCLUSIO UNICA.

Non potest publica pœnitentia imponi per fori hoc Sacramentum.

NOn potest pœnitentia publica ex vi Tribunalis hujus quà Sacramentum est, imponi pœnitenti, si per illam possit pratendi contra pœnitentem suspicio alicujus peccati etiam in genere.

Ratio est: quia Tribunal hoc ex natura suæ institutionis & jure divino ex omni sui parte debet esse secretum, ut latè docuimus, *Tract. 1. tit. 1. quæst. 14.* ubi de pœnitentiis publicis.

Dixi nihilominus *(ex vi Tribunalis hujus)* quia aliundè potest ex natura peccati provenire, ut pœnitens teneatur per pœnitentiam & satisfactionem publicam, publico alicui peccato & scandalo, aut injuriæ satisfacere, sed hanc non tam imponit Confessarius ex vi tribunalis, quàm debitam declarat ex vi criminis. Exempla obvia sunt: Sic enim usuratius publicus cogitur publicè restituere & usuram relinquere: Publicus concubinarius relinquere concubinam, &c. Tales fuerunt pœnitentiæ quæ in Canonibus pro peccatis aliàs publicis imponebantur.

Dixi (*per pœnitentiam possit pratendi*, &c.) possunt enim opera externa & publica sub Pœnitentia sacramentali imponi, quæ sunt indifferentia & communia justis & peccatoribus, & quæ solent in materia virtutis à quibuslibet indifferenter assumi, ut sunt jejunia, orationes, &c. Illa enim nec directè, nec indirectè si prudenter assumantur, possunt suspicionem peccati confessi ingerere, sed operibus etiam publicis existentibus manent omninò occulta crimina.

Et hæc sufficiant pro hac materia, & primo Tomo hujus Tribunalis.

EPI-

EPILOGVS
AD LECTOREM.

EN (Lector candide) *Primi Tomi Tribunalis sacramentalis structura :*
Codicem legum omnium in altero Tomo tu expecta. Hoc quidem volumine
templum misericordiæ sanctæ Dei cum Machabæo ascendes. Et si bené
attendas, cathedrá Sacerdotali in templo Dei restitutá, conatus sum eligere
1. Mach. Sacerdotes sine macula, voluntatem in lege Dei habentes: qui
4. v. 43. mundarent sancta: *De illis enim dicit Dominus, quia;* Labia Sacerdo-
Malach. tis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus : *Illos monuit Apostolus :*
2. v. 7. ut resuscitarent [*in ministerio*] gratiam quæ data est illis per impositionem manu-
2. Tim. 1. um Presbyterii : *Illis demandatum est, ut rectum Iudicium iudicent, & inter Lepram &*
vers. 6. *Lepram distinguant, ad hoc ut* consiliarios habeter *Ecclesia* sicut antiquitùs, *&* judices
Isai. 1. sicut prius. *Demùm Altare cordis readificavi lapidibus integris veræ doctrinæ, ut super*
v. 26. *altare illud sacrificium Deo offerretur* Spiritus contribulatus, *sciens quia* cor contritum
Ps. 50. & humiliatum Deus non despiciet. *Impositi & incensum sinceræ & dolorosæ confessio-*
v. 19. *nis, accensis super candelabro conscientiæ lucernis, quibus universum animæ templum illustra-*
retur. Quod reliquum est, lapides *contaminatarum opinionum* in locum immundum
1. Mach. *altero Tomo transferemus, & si qui controversi fuerint ex* Altari holocaustorum *rema-*
4. v. 43. *nentes* in monte domus, in loco apto *reponemus* quoadusque veniat Propheta qui re-
& seq. sponderet de eis. Virgulta *etiam errorum & falsitatum quæ in atriis domûs Dei* nata
sunt, sicut in saltu vel in montibus *Deo propitio eradicabimus. Omnia porrò quæ in hoc*
Tomo sunt dicta, non tantùm Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sacro iudicio, sed & quorumlibet Do-
ctorum amico, & prudenti calculo sint subiecta, prout & Auctor totus subiectus est.

AD MAIOREM

DEI

GLORIAM.

